This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/


HIERONYMUS
ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY

COMMENTARIA
IN OMNES
BEATI PAULI
ET SEPTEM CATHOLICAS
APOSTOLORUM
EPISTOLAS,

Tribus Tomis diſtincta.

AUTHORE

JOANNE BENCE

Doctore Sorbonico, ac Congregationis Oratorii JESU CHRISTI *Presbytero.*

Editio poſtrema prioribus multùm auctior & Emendatior.

TOMUS PRIMUS.

53/15
104-3

LOVANII,
Typis JOAN. FRANC. VAN OVERBEKE,
Sub ſigno Lampadis aureæ. 1763

Cum Approbatione & Privilegio.

572.6
B457m
1763
v.1

LECTORES BENEVOLI.

A Paucis annis Epitomen commentariorum *Eſtii* & *à Lapide* in omnes D. Pauli Epiſtolas olim à R. D. Joanne Gorcomio collectam vobis propoſui, quam ſummo applauſu excepiſtis: aliud nunc offero eorumdem Eſtii commentariorum compendium curâ & ſtudio JOAN. BENCE *Doctoris Sorbonici* elaboratum, quod pari benevolentiâ vos recepturos confido. Habet hoc præ prælaudato opere, primò quòd contineat commentaria etiam in Epiſtolas canonicas. Secundò quòd varias præcipuorum authorum expoſitiones in difficiliora loca ſuccinctè exhibeat, inter quas ordinariè Eſtii interpretationes præfert. Tertiò quòd has interpretationes ipſis Eſtii verbis proponat. Quartò quòd aſſignet textus Scripturæ Sacræ & Sanctorum Patrum &c. Per quæ hæc commentaria volumen epitomes à Joanne Gorcomio collectæ multùm excedunt; non ita tamen quin duobus tomis in octavo contineantur, ſicque adhuc juſtiſſimo titulo compendium com-

mentariorum, ſive ùt authori placuit, *Manuale in omnes D. Pauli Apoſtoli Epiſtolas*, *itidem in ſeptem Epiſtolas Canonicas* nuncupari poſſint.

Ad novam hujus operis editionem me movit plurium Theologorum deſiderium, qui illud è Gallia magnis ſumptibus ſibi comparabant; in quorum majus commodum loca quædam obſcuriora, mendaſque quibus ſcatent editiones gallicæ, in ipſis citationibus correxi, quædam etiam adjunxi pro explicando uno alterove textu conformiter ad ſententias celeberrimæ Univerſitatis Lovanienſis: in quibus omnibus integra & inviolata permanſit ſententia & ſenſus authoris; ita ut hæc editio non ſolùm typorum elegantiâ, ſed & correctione ac utilitate aliis præcedentibus plurimùm præſtet: quod ſi, *Lectores benevoli*, judicio veſtro comprobatum videro, ſummum votorum meorum obtinuero. Valete.

J. BENCE,
DOCTORIS SORBONICI,
Ac Congregationis Oratorii Jesu Christi Presbyteri;

COMMENTARIA IN EPISTOLAM S. PAULI APOSTOLI ad Romanos.

ARGUMENTUM.

PAULUS ſcribit ad omnes & ſolos Chriſti fideles, qui Romæ erant, partim gentiles, partim Judæos: Qui cùm ab Apoſtolo Petro & aliis fratribus, qui illuc ex Judæa advenerant, edocti eſſent, viam ſalutis in Chriſto, poſteà per quoſdam Moſaicæ Legis æmulatores, profeſſione quidem Chriſtianos; Sed à Chriſto, qui finis erat Legis, ipſâ

Legis æmulatione plurimùm aberrantes, turbati ſunt: excitatâ animorum odiosâ inter ipſos & gravi quæſtione de meritis & juſtificatione, dum ſcilicet utrique ſuis meritis Evangelii gratiam arrogarent: utriuſque partis factum deprimit: docens gratuitum Dei donum eſſe juſtificationem: hoc eſt, non per legem, aut ex ullo operum merito, dignitate, reſpectu: ſed gratis, per fidem in Chriſtum propitiatorem juſtificari tam Gentiles, quàm Judæos. Scribit Corintho.

CAPUT PRIMUM.

Ex fide Evangelii juſtitia.

Paulus, *ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei.*

1 Conditionem ſuam atque officium ſtatim in fronte Epiſtolæ ponit, more Romano: ut doctrinam Epiſtolæ commendet, & pſeudo-apoſtolos convincat, populos avertentes à ſua doctrina, eum non Apoſtolum, ſed pſeudo-apoſtolum calumniantes. *Paulus* olim Saulus, ſive binomius, ut Matthæus Levi dictus eſt: ſive idem nomen ſit, ut Simon dicitur filius Jonah & Johanah: ſive nomen unum mutatum in alterum à Deo; vel à victo Proconſule Sergio Paulò: vel ab ipſomet, ut ſe parvum & minimum Apoſtolorum, vel jam quietum & non inquietum, ut priùs oſtenderet. Servum autem ſe creatione, fide & vita agnoſcit eſſe ex humilitate. Et quia Sancti in hac vita nondum plenam libertatem habent, hæc tamen ſervitus non repugnat libertati & filiationi: Nam Chriſtus nos liberavit à ſtatu ſervitutis per Evangelium & in ſtatum filiorum tranſtulit. Sed non à ſervitute naturæ, nec à conditione ſervitutis, quia ab ipſo redempti ſumus, ideò fideles ejus ſervitu-

tem omnibus titulis præferebant. ex *Theod.* In Græco, *vocatus*, non participium, ſed nomen eſt vocativum aut vocatium. q.d.ſe profeſſione Chriſtianum, functione & officio vocatum Apoſtolum, & quidem vocatione immediatâ; ne ſe ingeſſiſſe propriâ authoritate videretur, ut pſeudo-apoſtoli calumniabantur. In via Damaſci ad fidem vocatus eſt; ad Apoſtolatum verò quando unà cum Barnaba à Spiritu ſancto electus eſt. *Act.* 9. 11. & 13. *Gal.* 1. peculiariter delectus ad prædicandum. Dicitur autem *ſegregatus*. 1. quia factus eſt extra numerum duodecim Apoſtolorum. In quo differt à Matthia, qui ſubrogatus eſt loco Judæ & unus de duodecim effectus: At Paulus ſeparatus eſt à numero illo. 2. Quia cæteris in Judæa manentibus, ipſe ad Gentes omnes miſſus eſt, ad *Gal.* 2. tertio. Quia per divinam præſcientiam multo antè fuit ſeparatus, *Gal.* 1. Et quia in lege erat Phariſæus, id eſt, ſeparatus, jam à lege ad Evangelium ſeparatur. Eſt autem Evangelium Dei, bonum nuntium, quia eſt Dei reconciliatio, diabolici regni diſſolutio, peccati remiſſio, à mortuis reſurrectio, ad vitam æternam via.

℣. 2. *Quòd antè promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis.*

℣. 3. *De filio ſuo....*

Evangelium ab antiquitate commendat, & ſe à novitatis invidia vindicat; cujus objectum eſt filius Dei; Verus Deus & homo, in quo excellentiam deſignat. *Suo* dixit, id eſt, proprio & naturali, non adoptivo; vel hoc refertur ad *promiſerat.* Nam Chriſtus Dei filius fuit promiſſus in Scripturis.

℣. 3.... qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem.

Temporariâ nativitate ſecundùm humanam naturam de matre, Patri factus eſt homo, ex quo erat ab æterno ſinè matre genitus Deus. *Gaig. Nobis factus eſt homo, ut nos redimeret: Patri, ut honorem ejus repararet, quem homo per peccatum læſerat.*

℣. 4. Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri.

Erat quidem tunc, etiam quando factus eſt ſecundùm carnem filius Dei, ſed non apparebat, non agnoſcebatur, latebat divinitas in carne, fuit tamen poſteà prædeclaratus, & prædemonſtratus filius eſſe Dei, & quidem præ aliis omnibus, qui filii Dei dicti ſunt, demonſtratus. Nam cæteri omnes filii adoptionis erant, & ſunt; At Chriſtus filius verus & naturalis non tantùm deſtinatus, ſeu definitus, ſed prædeſtinatus dicitur, quatenùs ab æterno decretum ac præordinatum eſt à Deo, ut in tempore hic homo, qui eſt Chriſtus, eſſet filius Dei. Nam etſi propter unitatem perſonæ tenendum ſit hunc hominem ſemper & ab æterno fuiſſe Dei filium, non tamen ab æterno verum fuit dicere, hic homo eſt filius Dei. Hoc igitur quod in tempore factum eſt, effectus fuit prædeſtinationis, ideòque rectè prædeſtinatus dicitur, ut *Pſal.* 44. *Heb.* 1. Primùm *in virtute*, id eſt, cum potentia Spiritûs ſancti data hominibus & Apoſtolis, per quam miracula fecerunt, quibus illum filium eſſe Dei comprobarunt. *Act.* 1. & 4. & *Luc.* 24. Deinde *ſecundùm Spiritum ſanctificationis.* Græcè *San-*

ditatis, id eſt, per Spiritum ſanctum in ſe credentibus per evidentia ſigna multipliciter datus eſt, primùm Apoſtolis in die Pentecoſtes; deinde aliis fidelibus. Quidam per Spiritum ſanctificationis intelligunt Spiritum ſanctum Virgini inumbrantem. Tertiò, *ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri*. q.d. Demonſtratus eſt Dei filius, poſt reſurrectionem; nam paulò poſt aſcendens in cœlum, miſit Spiritum ſanctum, cujus virtute & potentiâ inceperunt diſcipuli Chriſti divinitatem demonſtrare, *Mat. ult.* Vel declaratus eſt ex reſurrectione illorum mortuorum, qui Chriſto ſurgente ſurrexerunt & apparuerunt multis, *Matth.* 27. Vel ex eo quòd ſuâpte virtute ſurrexit à mortuis; vel quia poſt reſurrectionem homines ſanctificavit, quæ ſanctificatio illum Dei eſſe filium oſtendit: vel quia humanitas per divinitatem ſanctificabatur. ex *Eſtio*.

℣. 5. *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus, pro nomine ejus.*

Significat ſe à Chriſto Apoſtolum factum, ne cui ignaro aliquid minus cæteris Apoſtolis habere viſus eſſet. Quidam gratiam ad Apoſtolatum referunt, quaſi dicat. Accepi hanc gratiam, ut eſſem Apoſtolus. Alii exponunt gratiam, quâ remiſſa ſunt illi peccata, & factus fidelis & juſtus. Alii quâ patienter tot ſuſtulit labores, ut 1. *Cor.* 5. Per *Apoſtolatum* verò functionem ipſam & Apoſtolicum munus, quod in Juda fuit ſinè hac gratia. *In omnibus*, id eſt, ut ab omnibus obediatur. In quo declarat ſe accepiſſe Apoſtolatum prædicandi fidem Gentibus. Nam etſi Judæis etiam prædicaverit, tamen præcipuè inſtitutus eſt Apoſtolus Gentium, *Galat.* 2. ut in Gentibus nomen Chriſti agnoſ-

catur, ut *Act.*4. & 2.*Theſſ.* 1.*Chryſoſt.* exponit ad obediendum fidei, quæ eſt *de nomine ipſius*, id eſt, *vice ejus* 2. *Cor.* 5. Cujus ſum Apoſtolus, accepi, ut 2.*Cor.* 3.

℣.6. *In quibus eſtis & vos vocati Jeſu Chriſti.*

Id eſt, & vos, ô Romani, accepiſtis vocationem per quam facti eſtis Chriſtiani, ſervi, diſcipuli gratuitâ Dei vocatione, ſicque eos reddit benevolos & attentos ad fidei myſteria recipienda.

℣.7. *Omnibus qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis ſanctis: Gratia vobis, & pax à Deo Patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto.*

Vel qui eſtis Romæ Chriſtianis, ſive magnis, ſive parvis, ſive divitibus, ſive pauperibus, qui fidem accepiſtis Dei: nam non infidelibus ſcribebat. Perpende quàm ſit utile & honorificum Chriſtianum eſſe. Qui enim talis eſt, dilectus Dei eſt; ac gratuitæ ejus vocationis beneficio ſanctus. *Vocatis* ad ſanctitatem, ut ſint ſancti. Non quia omnes Romani ſancti, ſed quia Romana Eccleſia eſt ſanctorum cœtus. Nam vocatio Evangelica eò tendit ut fiant homines puri, ſinceri & Deo dicati. *Eph.* 1. & 1.*Cor.*6. Poſt epigraphen ſolemni more exorditur Epiſtolam à ſalutatione, quâ benè precatur iis, ad quos ſcribit, nempè remiſſionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, propter Chriſtum qui ſuo adventu hæc vobis obtinuit à Patre: ab ipſo enim ſtatum adoptionis filiorum accepimus, & Deum patrem clamamus. Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum vocat, quia nos redemit, & quia gratia & veritas per Chriſtum facta eſt, *Joan.* 1. 2. *Pet.* 1. Perſona Spiritus ſancti intelligitur in donis, quæ ſunt gratia & pax. ex *S.Thom.*

℣. 8. *Primùm quidem gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis : quia fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.*

Græcè, *De omnibus vobis*, id eſt, ob beneficia vobis impenſa, ac ſi mihi eſſent collata. Ideo dixit *Deo meo*, ex affectu, vel quia nondum perfecta erat illorum fides. Dixit per *Chriſtum*, tanquam per ſummum Sacerdotem, cujus oblatione omnia noſtra grata ſunt, vel quia eſt mediator Dei & hominum : vel quia per Chriſtum beneficium illud acceptum & effectum eſt. Eodem enim ordine debet gratiarum actio in Deum recurrère, quo gratiæ in nos deveniunt, quod eſt per Jeſum Chriſtum, ut *cap.* 5. Ponit autem materiam gratiarum actionis, quia fides eſt bonorum omnium fundamentum, *Heb.* 1. à qua commendantur Romani, quia fidem de facili ſuſceperunt, & in eadem firmiter permanebant, ait *S. Thom.* Et quia talis & tam manifeſta erat, ut in mundo toto annuntietur, & cæteræ nationes ſciant Romanos credidiſſe in Chriſtum. Nam exemplum tale multùm valebat ad confirmandam fidem, & recipiendam ab aliis Gentibus, ex *Tol. Totus mundus*, intelligitur Romano Imperio ſubjectus; vel eſt hyperbole, ut *Joan.* 12. Origines dictum ait propter virtutes & Angelos in cœlis exiſtentes, quibus illi Angeli administratorii, qui de terra ad cœlos aſcendunt, & illinc deſcendunt, annunciant, & evulgant Romanorum fidem. Vel quia Chriſtus per ſuum ſanguinem pacificavit ea quæ in cœlis, & quæ ſunt in terra. Sicque prædicata eſt in cælis & in terra. Ex *Orig.*

℣. 9. Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Evangelio filii ejus, quod ſinè intermiſſione memoriam veſtri facio.

℣. 10. Semper in Orationibus meis, ...
Dei teſtimonio probat ſe pro eis orare, & gratias Deo agere. Græcè non *mihi*, ſed *meus*: ideò negat Cajetanus Paulum hìc jurare. Meliùs *S. Thomas* & *Aug.* l. 1. de ſerm. Domini invocationem divini teſtimonii, & proinde juramentum hìc agnoſcunt, ut *Philip.* 1. *Cui ſervio*, ſcilicet cultu divino, *in ſpiritu meo*, id eſt, cultu interno & ſpirituali, qui conſiſtit in fide, ſpe & charitate, & non tantùm cultu exteriori, ut faciunt carnales Judæi. Vel cum animi ſincera promptitudine & alacritate. *Orig.* ſpiritum exponit mentem ſuperiorem animæ partem, ut *Joan.* 4. *Chryſ.* Spiritum ſanctum, cujus virtute ſerviebat. *Theod.* gratiam datam Paulo reſpondentem muneri ſuo ſecundùm quam Deo ſerviebat. Nec unquam orabat, quin pro ipſis etiam deprecaretur, ut 2. *Tim.* 1. *Theſſ.* 5. 1. *Luc.* 18. *Oportet ſemper orare.* id eſt, frequenter, vel ſtatis horis. Similiter intelligendum eſt, quod dicitur *Luc.* 2. 37., & *Cap.* 24. ℣. 53.

℣. 10. ... obſecrans, ſi quomodo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.
Prout iter liberum, non abſolutè, ſed ſecundùm Dei voluntatem, nihil quærens præter Dei gloriam.

℣. 11. Deſidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos.
Gratiam ſpiritualem vocat chariſmata Spiritûs

ſancti, de quibus 1. *Cor.* 12. adjecit, ut confirmem vos in ea quam jam accepiſtis à Petro & doctrina & religione. Vel donis acceptis.

℣. 12. *Id eſt, ſimul conſolari in vobis per eam quæ invicem eſt, fidem veſtram atque meam.*

Ut mutua conſolatio promanaret, Paulo ex eorum confirmatione: Romanis, ex conformitate fidei.

℣. 13. *Nolo autem vos ignorare fratres: quia ſæpe propoſui venire ad vos (& probibitus ſum uſque adbuc) ut aliquem fructum babeam in vobis, ſicut & in cæteris gentibus.*

Vel occupationibus impeditus, vel à Deo, quia tunc erant Romani imparati, ex *Chryſ.* vel à Dæmone, ſic *Baſil.* & *Orig.* Deo permittente, ut illi perfectiùs confirmentur: vel in pœnam; pœna enim peccatorum eſſe ſolet privatio prædicationis. Paulus fructum ſuum vocat: quia licet totus eſſet Domini, ſuo tamen miniſterio colligendum ſperabat, ac Domini lucrum ſuum reputabat. Hic fructus eſt fides & ſalus populi, ut *Joan.* 15. ex *Eſtio.*

℣. 14. *Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.*

Græcis qui pollent humanâ ſapientiâ & iis qui eâ carent. Ad prædicandum doctis & indoctis debitor factus eſt, quia Gentium Apoſtolus eſt electus & inſtitutus à Chriſto.

℣. 15. *Ita (quod in me) promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis evangelizare.*

Id eſt, igitur quàntum in me eſt, promptus ſum evangelizare etiam vobis modò ceſſent impedimenta.

℣. 16. *Non enim erubeſco Evangelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Judæo primùm, & Græco.*

Evangelium vocat, vel Evangelii prædicationem: vel ipſam rem prædicatam ut Chriſtum crucifixum. q. d. Quamvis Chriſtum eſſe crucifixum, & hoc ipſum palàm prædicare pro Evangelio probroſa res & ſtulta videatur, non tamen illius me pudet: habet enim latentem energiam ſalvandi, ut 1. *Cor.* 1. Porrò ſalus intelligitur non tantùm in vita æterna, quæ eſt conſummata ſalus, ſed etiam in juſtificatione, quæ eſt ſalus inchoata, ut *Ephe ſ.* 2. Tit. 3. *Omni credenti*, intellige corde perfecto, quo facere paratus ſit ea quæ fides monſtrat facienda, *Judæo primùm*, ſeu præcipuè, quia prior Judæus gratiam Evangelii recepit, ut notat *Chryſ.* Et quia etiam Judæi ſtatus verè prælatus erat ſtatui Gentium: tamen in efficacia Evangelii, & quantum ad finem conſequendum, non eſt diſtinctio Judæi & Græci, id eſt, Gentilis, ſed quantum ad ordinem Judæi ſunt primi. Ita *S. Thom.*

℣. 17. *Juſtitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem: ſicut ſcriptum eſt: Juſtus autem ex fide vivit.*

Juſtitia Dei, quâ juſtus eſt, ſervando promiſſa, in eo revelatur, ſcilicet in homine credente Evangelio: quia credit Deum impleſſe quod promiſit de Chriſto mittendo. Et hoc ſcilicet ex fide Dei promittentis, in fidem ſcilicet hominis credentis. ex *Theod.* Vel juſtitia Dei, quâ Deus homines juſtificat: quæ quidem juſtitia revelatur in Evangelio in quantum per fidem Evangelii homines juſtificantur. Vel juſtitia Dei dicitur; id eſt, vera juſtitia,

quâ nimirùm quis verè coram Deo, vel ante Deum juſtus conſtituitur, ut Noë *Geneſ.* 7. Zacharias & Elizabeth *Luc.* 2. & 3. unde ſubdit, *ex fide in fidem*, id eſt, ex fide veteris Teſtamenti in fidem novi Teſtamenti, quia ab utroque homines juſtificantur & ſalvantur per fidem Chriſti : eâdem enim fide crediderunt venturum, quâ nos veniſſe credimus. 1. *Cor.* 3. vel ex fide prædicatorum in fidem auditorum : vel ex fide unius articuli in fidem alterius, quia ad juſtificationem requiritur omnium articulorum fides : vel ex fide præſenti in fidem futuram, quæ quidem dicitur fides ratione certæ & futuræ cognitionis. ex *S. Thom.* Vel ex fide patrum in fidem filiorum : vel ex fide Prophetarum in fidem Apoſtolorum : vel ex fide imperfecta in fidem perfectam. Dixit *revelatur*, quia in Evangelio eſt fides diſtinctior, quàm in ſtatu legis, ubi myſteria velut in umbra erant. 1. *Cor.* 3. Propheta *Abac.* 2. indefinitè loquitur; nam comprehendit ſimul Judæorum ſtatum tunc præſentem, ſimul etiam evangelicum futurum. In utroque enim *juſtus fide vivit.* Et Dei juſtitia eſt per fidem & in hunc ſenſum adducitur à Paulo. Nam probat juſtitiam Dei eſſe ex fide in fidem, id eſt, ſemper per fidem : illâ tamen mutatâ in novam. q. d. Tunc & modo juſtitia per fidem eſt. Græcè *vivet*, ut *Gal.* 3. *Heb.* 10. meliùs *vivit*, ut ſit ſenſus : Juſtus in quantum juſtus, vivit ex fide : ut qui vitam juſtitiæ, nec adipiſci niſi per fidem, nec retinere poteſt, & in ea permanere, nec creſcere niſi per fidem. Hebræi legunt, *in fide ſua* : ſeptuaginta verò *in fide mea.* Sed ſenſus eſt idem : Nam fides eadem ſimul eſt juſti & Dei : Juſti, quia ipſi ineſt : Dei, quia à Deo donatur.

℣. 18. *Revelatur enim ira Dei de cœlo, ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.*

Id eſt ſi omnes tam qui legem Dei benè vivendo acceperunt, ut Judæi; quàm qui ſapientiæ ſtudioſi, ut Græci peccato & iræ Dei ſunt obnoxii, non ergo ex lege, neque ex operibus expectanda eſt juſtitia; ſed gratis habetur per fidem quæ eſt in Chriſto. Oſtendit etiam gentili eſſe neceſſarium Evangelium in ſalutem, quia per ipſum manifeſtum fit omnibus Gentibus eas obnoxias eſſe iræ Dei propter multiplicem impietatem & injuſtitiam earum. Et ut ab hac ira liberentur, neceſſe eſt ad fidem Evangelii confugere. Revelari dicit iram Dei in Evangelio, qui æternas pœnas præparatas malis, idololatris, philoſophis maximè, & ſapientibus Gentium, niſi reſipiſcant, manifeſtat. Cauſam autem iræ explicat, nempè quòd detinent veritatem Dei in injuſtitia, quia creaturis ipſis Dei veri notitiam prodentibus aures non præbent: in injuſtitia verò detinent, quia cultum Deo vero debitum creaturæ impendunt; vel qui veritatem, id eſt, Dei, ſcientiam habent, tamen malè vivunt, & tales ſunt mali Chriſtiani, ex *Oecum.* Vel qui datis ſibi à Deo bonis ad proprias voluntates abutuntur: vel qui ſciunt & veritatis Dei notitiam habent, tamen intra ſe detinent: ne aliis ſplendeat, permittentes alios in errore eſſe, ex *Aug.* Vel qui Deum verum cognoverunt, & deos falſos coluerunt: vel ipſi veritati ſeipſam manifeſtanti & offerenti reluctantur, non ei acquieſcunt, ut *Act.* 14.

℣. 19. *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtavit.*

Id totum quòd ad veri Dei cognitionem neceſſarium eſt, illis eſt manifeſtatum : ut Deum eſſe unum, æternum, mundi principem, actum purum, &c. non de facto : ſed quia habuerunt modum & magiſterium quo id aſſequi poſſent via naturali; quæ enim fidei ſunt, notitiam ampliorem Dei faciunt, ſed ad notitiam veri Dei neceſſaria non ſunt. Detinuerunt autem veritatem, quia cùm poſſent totum quod ad veri Dei cognitionem neceſſarium eſt, aſſequi, non ſunt aſſecuti, ſed imperfectè & diminutè, ut potiùs verum Deum ignoraverint. ex *Tol. Deus enim illis manifeſtavit*, non quidem infundèndo lumen interius, ut *Pſal.* 42. ſed exterius, proponendo viſibiles creaturas, in quibus Dei cognitio legitur, ut *Eccl.* 1. *Heb.* 11. ita *S. Thom.*

℣. 20. *Inviſibilia enim ipſius à creaturæ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas : Ita ut ſint inexcuſables.*

Creatura mundi, id eſt, res ipſa creata, ut ſenſus ſit. *inviſibilia Dei*, id eſt, attributa ſeu proprietates Dei, quæ corporeis oculis aſpici nequeunt, mente conſpiciuntur, ex univerſa hac creatura viſibili, quæ mundus dicitur, dum intelliguntur ex iis quæ facta ſunt. Græcè, per opera ſenſibus noſtris expoſita, tanquam per ſuos effectus. Nam ex operis præſtantia cognoſcitur ars, ingenium, & ſapientia opificis : ut *Pſal.* 18. *Sap.* 13. Quidam, ut *Orig.* & *Oecum.* per inviſibilia, Angelos acceperunt : quod rejicit *Theoph. S. Thom.* intel-

ligit divinam eſſentiam. Tria verò recenſet: ſempiternitatem, virtutem ſeu potentiam & divinitatem. Nam cujus virtus ſempiterna eſt, ipſum quoque ſempiternum eſt. Vel his tribus cætera comprehendit, quæ audito Dei nomine ſtatim in mentem veniunt: ut quòd ſummè bonus, juſtus, ſapiens, providens, quod incorporeus, actus purus, immutabilis, &c. *Ita ut inexcuſabiles ſint* Philoſophi & ſapientes, qui quamvis alia multa aſſecuti fuerint de Deo, iſta tamen non noverunt, quæ ſaltem imperfectè cognoſcere poterant.

℣. 21. *Quia cùm Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Sed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.*

Dicuntur Deum cognoviſſe, quia notitiam aliquam Dei habuerunt. At non glorificaverunt, quia non præclarè de eo ſenſerunt; Deum ipſum ſolum non cognoſcentes: nec egerunt gratias, recognoſcentes ipſum univerſorum opificem. Deus glorificatur, vel quando benè de eo ſentimus, vel quando eum honore & cultu debito celebramus. Neutrum fecerunt Philoſophi, ex *Chryſ.* & *Aug.* Sed vani facti ſunt in ratiocinationibus, quia quæ Dei inviſibilia noverunt, falsò tribuentes creaturæ, ſcientiam veri Dei non habuerunt: vel vani facti ſunt, quia ſcientiam illius cognitionis, quæ conſiſtit in vero Dei cultu & pietate, non ſunt aſſecuti. Et mens eorum ex culpa tantæ impietatis & ingratitudinis inſipiens, ſtolida effecta, multis errorum tenebris involuta eſt: Vel quam de Deo veram notitiam habuerunt, amiſerunt: vel quia opiniones falſas & impias miſcuerunt. *Sap.* 13.

℣.22. *Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*

Exiſtimantes ſeu dictitantes: vel ſapie nam ſibi à ſeipſis adſcribentes. Ex *S.Thom.*

℣.23. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei; in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.*

Etenim adorationem & confeſſionem, quam Deo immortali debuerunt, converterunt in ſimilitudinem corruptibilis hominis, talem aſſimilationem futilem Deum appellantes, & colentes; adoraverunt enim ligneas, & lapideas, & aureas ſtatuas, *Jer.* 2. non hominum imagines tantùm, ſed & animalium ſimilitudines, quod eſt extremæ dementiæ, ut *Pſ.* 105. *aft.* 17.

℣.24. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis.*

Tradere in aliquod malum culpæ vel pœnæ, non eſt aliud quàm hominem huic malo exponere, videlicet, deſerendo, non protegendo, non eripiendo; vel etiam occaſiones & offendicula ponendo; denique quomodolibet permittendo, ac permittere volendo, ut in ejuſmodi malum incidat, ſive is qui ſic traditur aliquo præcedente peccato, id commeruerit, ſive non: nam Deus filium ſic tradidit, ex *Aug.* q. 39. in *Exod.*

℣.25 *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potiùs quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.*

Non ſignificat illos coluiſſe creatorem minùs

quàm creaturam, ſed quod relicto creatore ad idola totos ſe converterunt colenda, quod mendacium vocat, quia minus ſunt quàm quod dicuntur, ſcilicet Deus. Et cauſam refert cur ſic derelicti & traditi fuerint à Deo, quia veritatem, id eſt, ea quæ cognoverunt de Deo, ut æternitatem, omnipotentiam & ipſam divinitatem, tranſtulerunt ad idola, colentes ea pro diis. *Benedictus* nomen eſt, non participium; ut ſit ſenſus. Qui tanquam Deus omnium rerum creator & omnium nobis bonorum author jure laudandus & prædicandus eſt per omnia ſæcula. *Amen*, eſt affirmatio immutabilitatis Dei, id eſt verè, aut fiat. Et ſenſus eſt ut verè laudandus eſt in omnem æternitatem: ita fiat, inæternum laudetur.

℣. 26. *Proptereà tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam & fœminæ eorum immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt contra naturam.*

Idololatræ ſeu prædicti ſapientes priùs cupiditati cordis traditi dicuntur: nunc autem paſſionibus, ſic ut ratione non ducantur, more pecudum: tales enim peccata carnis contra naturam hominis reddunt. Nam infidelium fœminæ ſe invicem contra naturam polluerunt, fœminæ contra fœminas exardeſcentes, ex *Amb.* vel cum maſculis indebitè ſe commiſcuerunt.

℣. 27. *Similiter autem & maſculi, relicto naturali uſu fœminæ, exarſerunt in deſideriis in invicem maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes.*

Naturalis uſus eſt ut vir & mulier in uno concubitu coëant: contra naturam verò ut

maſculus maſculum polluat, & mulier mulierem: & eadem eſt ratio in omni actu coïtûs, ex quo generatio ſequi non poteſt. *Gloſ.* & *S.Thom.* In verbo, *exarſerunt*, vis concupiſcentiæ exprimitur, ut *Pſal.* 105. Sunt qui putant Paulum reſpicere hic, ad obſcœnitatem ſacrorum gentilium, velut Liberi patris & Cybeles, in quibus turpia & nefanda quædam ſub velamine myſteriorum agebantur. Socratem hujus criminis arguit *Tertull.* in *Apol.* Ariſtotelem & Zenonem *Athenæus*, Platonem *Laërtius*, Qui pœnam condignam errori ſuo receperunt in ſe & ſuis corporibus: hi enim ordinem perverterunt cum ignominia quadam in Deum illata; nam relicto creatore, ad creaturam ſe converterunt. Juſta etiam & proportionata eſt recompenſatio, ut permittantur etiam ordinem naturæ invertere, cum dedecore & ignominia ipſorum: vel peccata turpia & contra naturam committentes receperunt dignam compenſationem, nempè ignominiam & infamiam quæ ex talibus peccatis conſequitur, ita *Theod.* Vel ipſa peccata ſunt recompenſatio idololatriæ, ut putat *Chryſoſt.* & *Amb.* Condigna autem eſt vindicta. quia ſicut authorem naturæ reliquerunt, ita in ſuis comiſtionibus ordinem relinquere naturæ permiſſi ſunt, ut notat *Anſel.* Vel ſicut idololatria eſt graviſſimum peccatum, ita in ſordidiſſima peccata permiſſi ſunt labi, ut ait *Ambr.*

℣. 28. *Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum ſenſum ut faciant ea quæ non conveniunt.*

Id eſt. Et ſicut non probaverunt, neque æſtimaverunt beneficium à Deo acceptum, quod erat *Deum habere in notitia*, id eſt Deum cog-

noviſſe; non noſſe eorum peccata : non gerere curam horum inferiorum, & ideò ſe facere impunè illa turpia, vel non ſibi propoſuiſſe Deum ante oculos, quod ſolent peccatores : vel ut *Chryſ.* neglexerunt veri Dei notitiam habere : ita viciſſim in pœnam tantæ ingratitudinis tradidit illos Deus in reprobam mentem; id eſt, permiſit eos ſibimetipſis : quo factum ut mentem induerint judicii prorſus depravati; quam proinde nemo probet, ſed omnes ut vilem & improbam contemnant. Ita ut faciant ea quæ facere non convenit, id eſt, ea quæ homines dedecent, utpote res turpiſſimas.

℣. 29. *Repletos omni iniquitate, malitia fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate.*

In particulari exponit ea quæ non conveniunt : in quæ iſti homines in reprobumque ſenſum ſunt traditi.

℣. 30. *Suſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes,*

℣. 31. *Inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia.*

Proſequitur peccatorum enumerationem.

℣. 32. *Qui cùm juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte : non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

At Philoſophos, etſi juſtitiam Dei cognoviſſent, malitiâ tamen ſuâ excœcatos, non eam antè

oculos habuiſſe; nec conſideraſſe quòd, exigente Dei juſtitiâ, morte digni ſunt qui talia faciunt: & qui conſentiunt facientibus, etiamſi ipſi fortè per ſe non faciant, nec facere velint: vel *conſentiunt*; id eſt, ea in aliis ſuo conſenſu, adulatione, & authoritate favent.

CAPUT. II.

Judæos ait inexcuſabiles, quòd legem à Deo acceptam, in qua gloriabantur, non ſervarent.

℣. 1. *Propter quod inexcuſabilis es ô homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas.*

POſt quam Gentilium peccata detexit: nunc quâdam inſinuatione tranſit ad reprehenſionem Judæorum, qui Gentiles tot vitiis contaminatos deſpiciebant, ut immundos, ac Dei beneficio judicabant indignos. q. d. Quamvis tot & tanta ſint peccata Gentilium, tu tamen etiam ô Judæe, qui illos contemnere & tuo judicio condemnare ſoles, inexcuſabilis es, nec ullam prætexere potes peccatis tuis ignorantiam. Unde patet hic de publicis judiciis non agi, ſed de privatis. Ait quippe; nam eo ipſo quo alium judicas peccatorem, & morte dignum, conſequenter etiam te condemnas. Eadem enim quæ judicas in aliis (ſive tu qui judicas alios) ipſe agis vel opere, vel voluntate ſaltem & deſiderio.

℣. 2. *Scimus enim quoniam judicium Dei eſt ſecundùm veritatem in eos qui talia agunt.*

Id eſt. Nos Judæi, ex lege nobis à Deo tradita, ſcimus certiùs quàm Gentiles qui legem non acceperunt, judicium exercendum *ſecundùm veritatem*, id eſt, juſtè, & ſecundùm merita operum, abſque reſpectu perſonarum adverſus eos qui talia agunt.

℣. 3. *Exiſtimas autem hoc ò homo, qui judicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei?*

Q.d. Si hoc exiſtimas, falſa eſt æſtimatio tua, ut *Pſal.* 38.48. cum ipſe legis peritus eadem facias.

℣ 4. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

Oſtendit cauſam hujus falſæ æſtimationis. Quia enim homo non ſtatim punitur à Deo pro peccato, æſtimat ſe non eſſe puniendum. ex *S. Thom. Divitias* vocat largam Dei benignitatem, quâ non præcedentibus hominum meritis eos ſalvare voluit, & vult, eiſque peccata condonat. *Tit.* 3. *Patientiam*, in eo quòd malos tolerat. *Longanimitatem*, in eo quòd pœnam in longum tempus differt, expectando pœnitentiam.

℣. 5. *Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei.*

Id eſt. Tu verò pro duritia tua, & corde impœnitente, id eſt, per hoc quod Dei boni-

tate te invitante non emolliris ad pœnitentiam, ſed magis obdureſcis in peccatis, accumulas tibi quemdam pœnarum theſaurum apud juſtitiam Dei, in tempus illud terribilis ac manifeſti ejus judicii, quo theſaurus ille pœnarum univerſus ſuper te ſimul effundetur. ex *Eſtio.*

℣. 6. *Qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus.*

Secundùm omnia bona, quæ non invenientur mortificata: & ſecundùm omnia mala, quæ non invenientur remiſſa. Nam & illa mortificata, & hæc remiſſa ſic habebuntur in illo judicio, tanquam facta nunquam fuiſſent. Hinc patet non ſoli fidei mercedem; ſed etiam operibus ex fide & charitate procedentibus reddi. ex *Chryſ.* & *Oecum.*

℣. 7. *Iis quidem qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.*

Senſus eſt. Iis qui in bona converſatione perſeverantes, nec eam propter ulla adverſa deſerentes, gloriam & honorem apud Deum atque in Deo, & incorruptionem, id eſt, immortalitatem quærunt, reddet Deus vitam æternam. Ita *Orig.* & *Chryſ.* Si cum ſequentibus conſtruatur, ſenſus eſt. Iis qui perſeverant in benefactis, & ex iis quærunt vitam æternam, reddet gloriam & honorem & incorruptionem, id eſt, ipſam vitam æternam. ſic *Latini.*

℣. 8. *Iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati: credunt autem iniquitati ira & indignatio.*

Intellige, reddetur à Deo. Id eſt, iis qui contentioſi ſunt, nec acquieſcunt veritati divi-

næ, id eſt, Evangelio ſibi annuntiato, ſive credenda ſpectes, ſive agenda: ſed magis diligunt credere, id eſt, acquieſcere & adhærere injuſtitiæ, & doctrinis, quibus injuſta & corrupta vita foveatur, iis, inquam, retribuetur à juſto judice Deo, indignatio & ira, id eſt, grave ſupplicium, quale ab animo irato expectari ſolet. Contentionem dicit eorum qui ſenſa capitis ſui non ratione, ſed pertinaciâ defendunt.

℣. 9. *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm & Græci.*

Subauditur ventura eſt, tam *Judæi*, quàm *Gentilis*, primùm tamen ac præcipuè Judæi: cùm propter illius populi prærogativas apud Deum, tùm quia priùs ei fuit oblata gratia Evangelii.

℣. 10. *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primùm, & Græco.*

Particula, *primùm*, eadem de cauſa poſita eſt ob quam ſuperiùs. Quamvis etiam verum ſit opera bona Judæorum ante adventum Chriſti, cæteris paribus, majori fuiſſe digna præmio, quàm opera Gentium: quia ex majori obligatione & arctiori præcepto procedebant. Vel hoc non intendit, ſi hæc ſententia procedit de ſtatu Judæi & Græci etiam ante adventum Evangelii: nec de Græco ſeu Gentili idololatra loquitur, hic enim non operatur bonum: ſed de eo qui extra ſtatum Judaïſmi tunc erat, & verum Deum colebat, & ſecundùm legem naturalem vivebat, cujus bona opera ſinè fide non erant, *Hebr.* 11. ut docent *Chryſ. Athan.* & *Theod.*

℣. 11. *Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.*

Senſus eſt. Deus in judicando non reſpicit cujuſquam perſonam: quod exempli gratiâ, vel Judæus ſit, vel doctus, vel dives, vel potens, vel nobilis: ſed tantùm reſpicit ad merita cauſæ. Eſt enim perſonarum acceptio, cùm in præmiis aut in pœnis ex juſtitia decernendis, vel omninò in judiciis, ſeu publicis, ſeu privatis, prætermiſsâ ratione meritorum, reſpicitur ad eas hominum qualitates, quæ nihil ad rem faciant, de qua judicandum ſit. Neque enim locum habet acceptio perſonarum in iis quæ merè gratuita ſunt, ut in eleëmoſynis. Unde non eſt acceptor perſonarum Deus, quando ex univerſo hominum genere alios eligit, alios reprobat, aliis dat gratiam aliis non dat. Electio enim ad gratiam indebita eſt, ut & ipſa gratia.

℣. 12. *Quicumque enim ſinè lege peccaverunt, ſinè lege peribunt: & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.*

Senſus eſt. Quicunque peccaverunt non acceptâ lege ſcripta à Deo, peribunt, non tamen condemnante eos lege ſcriptâ, quam non acceperunt, ſed ſolâ lege naturæ, contra quam peccaverunt. Qui verò lege à Deo ſibi traditâ contra eam peccaverunt, per eam ipſam legem condemnabuntur. Prius membrum competit in Gentiles, poſterius in Judæos. ex *Aug.* in *Pſ.* 118. *con.* 5.

℣. 13 *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.*

Id eſt, non qui legem audierunt & accep-

runt, eo ipſo juſti cenſentur apud Deum, dignique judicantur præmio; ſed factores, & qui legis opera faciunt, juſtificantur, & probantur, apud Deum, ſive audierint, ſive non. Idcirco qui bonum operantur & legem obſervant, ſive auditores fuerint ſive non, ſive Judæi, ſive græci, juſtificantur à Deo, & digni mercede cenſentur. Si ergo Judæus qui legem accepit, factor non eſt, apud Deum non juſtificatur. E contrario verò, ſi Græcus opera legis faciat, quamvis legem non accepit, juſtificatur. Ex quo probat Deum non eſſe acceptorem perſonarum: & arrogantiam Judæorum deprimit, qui lege à Deo accepta gloriabantur, & eo argumento juſtitiam ſibi vendicabant contra Gentes, quæ legem non acceperant. Juſtificare tripliciter accipitur. 1. Significat juſtum facere, ut *Rom.* 4. Secundò juſtiorem facere, ut *Apoc.* 22. Tertiò declarare alterum, ſive ſeipſum juſtum, ut *Eccl.* 7. *Matth.* 3. *S. Aug. l.* de *ſpir. & lit. c.* 6. Sed *factores legis juſtificabuntur*, id eſt, aliter non ſunt factores legis, niſi juſtificati fuerint, hoc eſt ex impiis juſti facti. Vel. Non auditores legis, ſed factores apud Deum juſti reputabuntur, hoc eſt, vero judicio juſti ſunt, utpote juſtitiam, quæ lege præcipitur, opere exercentes. Nec pugnat hic ſenſus cum ea doctrina, quæ removet ab operibus juſtificationem: ea enim doctrina accipienda eſt de operibus, non à fide profectis, cùm juſtificationis initium à fide ſit. Hic autem ſermo eſt de operibus verè bonis, & Deo acceptis ad vitam æternam. Hujuſmodi autem eſſe non poſſunt, niſi ex fide emanarint. Nam & de his agit *Jacobus*.

℣. 14. *Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.*

Id eſt. Cùm Gentes, quæ legem ſcriptam non acceperunt, naturaliter & ſinè lege ſcripta faciunt ea quæ legis ſcriptæ, id eſt, ea quæ lege decalogi continentur, hi legem ſcriptam non habentes ſibi ipſis ſunt loco legis, dum ſuâ ſponte ac proprio judicio, ſinè externo legis adminiculo & impulſu bonum operantur: atque in hoc completur quod dixi factores legis juſtificari. Sunt qui, *naturaliter*, ſic exponunt, ſponte, libenter: ut opponatur illi modo, quo Judæi ſub lege conſtituti legem obſervabant, nempe ſerviliter, & coactè. *S. Aug. lib.* de *Spir.* & *lit. cap.* 27. exponit ex natura per gratiam reparata: Alii ſic, *naturaliter*, Id eſt, duce ac monſtrante ipſa natura, ſeu naturali lumine rationis, abſque magiſterio legis ſcriptæ. Utrumque refert *S. Thomas*. Nec aliud vult *Aug.* cùm naturam interpretatur per gratiam reparatam.

℣. 15. *Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.*

q. d. Meritò dicti ſunt ſibi eſſe lex, quippe qui non ſolùm habent ſcriptum opus legis in cordibus, ſed etiam ſpecimen oſtendunt eos habere intra ſe ſcripta opera legis. Scriptura hæc cordis, eſt lumen naturale, ea probans aut prohibens, quæ lex ſcripta exteriùs probat aut prohibet facienda: nempe, *non occides*, *non furaberis*, *cole parentes*, *Deum venerare*, &c. Scriptum autem eſt à Spiritu ſan-

cto. *Oſtendunt* verò, faciendo ea quæ legis ſunt, cùm legem non acceperint, & per hoc declaratum quod ipſi ſibi ſunt lex. In eo quod faciunt ea quæ legis ſunt, non ſequuntur legem ſcriptam, quæ eis non eſt data, ſed ſuam ipſorum conſcientiam (intellige Dei gratiâ reformatam) quæ eis eſt loco legis, utpote teſtificans & dictans quid agendum, quid fugiendum. ita *Oecum.* Vel de ſolis juſtis hæc pars non accipitur. Habent enim omninò Gentes, etſi legis expertes conſcientiam factorum ſuorum intus in animo, quæ ipſis teſtimonium ingerit de iis quæ benè vel malè fecerint. Atque ex hoc teſtimonio conſcientiæ fit, ut dum facta ſua cogitando expendunt, & inter ſe conferunt, ipſis ſuis cogitationibus, vel accuſentur propter mala facta, vel excuſentur & laudentur propter bona. Vel hæc pars reſpicit tantùm bonos. Ex *Oecum.*

℣. 16. *In die, cùm judicabit Deus occulta hominum, ſecundùm Evangelium meum, per Jeſum Chriſtum.*

Exprimit quando id oſtendetur & manifeſtabitur, in die, inquit, ultimo. Tunc omnia interiora manifeſtabuntur, & tunc conſcientia uniuſcujuſque teſtis apparebit, & reddet teſtimonium legis ſcriptæ in cordibus, quæ omnia hactenùs ſoli habenti innoteſcunt. Dicitur Deus judicare per Chriſtum, quia Deus eſt judex inviſibilis: per Chriſtum autem ut homo eſt, judicium viſibile exercebit. Prætereà Deus eſt primus judex, Chriſtus autem ut homo, judex eſt poteſtate ſibi communicatâ, *Joan.* 5. Dicit, *Evangelium meum*, id eſt, à me prædicatum: ſeu quod prædicandum mihi Chriſtus tradidit. Quidam ſuſpicantur quoties Paulus dicit *juxta Evangelium meum*, de Lucæ ſignificare volumine. Ex *Hier.*

℣. 17. *Si autem tu Judæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo.*

℣. 18. *Et noſti voluntatem ejus, & probas utiliora, inſtructus per legem.*

℣. 19. *Confidis teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt.*

℣. 20. *Eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habenten formam ſcientiæ & veritatis in lege.*

Oſtenſo quòd factores legis juſtificantur, etiam ſinè hoc quod ſint auditores, quod pertinebat ad Gentes: hic oſtendit quod auditores non juſtificabuntur, niſi ſint factores: quod pertinet ad Judæos, quos graviter accuſat. Senſus autem eſt hic. Si, id eſt, quia tu Judæus cognominaris, & requieſcis in lege, &c. idcircò confidis te ducem cæcorum, &c. habentem formam ſcientiæ, id eſt, jactas te doctorem legis eſſe, qui ſolus alios veritatem legiſque cognitionem docere poſſis, atque illis juxta legem, vivendi normam præſcribere. q. d. O! Judæe, etiamſi habeas multa quibus gloriaris, non te excuſant apud Deum, immò majoris vindictæ reum efficiunt hæc. *Gaig.*

℣. 21. *Qui ergo alium doces, teipſum non doces: Qui prædicas non furandum, furaris:*

℣. 22. *Qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis:*

Quidam indefinitè legunt, quidam interrogativè. *Ergo*, habet illationem. q. d. Tu doces

alios, ergo teipſum docere debes. *Chryſ. ſerm.* 6. hoc Judæorum ſacrilegium exponit, quia idolothytis & his quæ dæmoniis offerebantur, utebantur. *Ambr.* quia Chriſtum negaverunt. Vel quia quæ Dei erant, violabant. Vel quia quæ Dei cultui deputata erant, in ſuos uſus referebant. Sic *Aug.*

℣. 23. *Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.*

Paulus non reprehendit Judæum quod in lege glorietur, ſicut nec quod doceat alios, nec quod prædicet non furandum, &c. Sed quod non reſponderet vita ſermoni.

℣. 24. *Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes ſicut ſcriptum eſt.*

Eſech. 36. vel *Iſa.* 52. Quia ſcilicet Gentes videntes Judæorum malam converſationem, reputabant hoc provenire ex mala inſtructione legis à Deo traditæ, ſicque malè de Deo & de religione obloquebantur. Et hoc eſt blaſphemari nomen Dei. Quanto magis nunc per malos Chriſtianos blaſphemabitur apud paganos cùm Evangelium præſtet legi?

℣. 25. *Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves: ſi autem prævaricator legis ſis, circumciſio tua facta eſt præputium.*

Aliud removet in quo gloriabantur Judæi, nempe circumciſionem. Et docet nihilò magis quàm ſuperiora profuturam ad ſalutem, ſi legem non obſervent. Quidam interpretantur circumciſionem, id eſt, genus & proſapiam circumciſi Abrahæ, de qua Judæi tantopere gloriabantur. q. d. Prodeſt quod filius ſis Abrahæ, ſi legem ſervaveris: ſin autem prævaricator legis es, fa-

ĉta eſt præputium, id eſt, non aliter tibi utilis eſt, ac ſi incircumciſus eſſes. Quinimò Gentilis ſi legem ſervat, præputium ejus reputabitur ad circumciſionem, & ad Abrahæ proſapiam, cenſebitur enim inter veros Abrahæ filios. Alii hunc eſſe ſenſum putant. Circumciſio quidem prodeſt non carnalitet, ſed ſpiritualiter ad legis intellectum obſervata: per quam nimirum legem intelligimus, ingreſsâ per fidem verâ cordis circumciſione ceſſare carnalem, quam qui mordicùs, ſpirituali neglectâ retinet, prævaricator eſt legis, nec illi plus quàm præputium valet. ita *Gaig.*

℣. 26. *Si igitur præputium juſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur?*

Id eſt. Si Gentilis, naturâ incircumciſus, legem cuſtodiat, præputium illius imputabitur ad circumciſionem, & tam illi valebit, quàm tibi legem cuſtodienti olim circumciſio: quia nimirum rem circumciſione ſignificatam exhibet opere. Eſt enim corde circumciſus, licèt non ex carne. ex *Gaig.*

℣. 27. *Et judicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te, qui per litteram, & circumciſionem prævaricator legis es?*

Senſum ſuperiorem auget. q.d. Non ſolùm Gentilis legem conſummans, id eſt, eam ſpiritualiter obſervans in Chriſti fide & circumciſione cordis, reputabitur apud Deum, tanquam circumciſus & Judæus, & juſtificabitur: Sed adhuc juſtificabit & condemnabit Judæum ipſum circumciſum, qui cùm habuerit circumciſionem ipſam exteriorem à Deo, acceperitque *literam*. Id eſt, legem ipſam ſcrip-

tam ratione, quarum tenebatur ampliùs juſtitias cuſtodire, inventus ſit prævaricator legis. ſic *Gaig.* & *Tol.*

℣. 28. *Non enim, qui in manifeſto, Judæus eſt: neque quæ in manifeſto, in carne eſt circumciſio.*

℣. 29. *Sed qui in abſcondito, Judæus eſt & circumciſio cordis in ſpiritu, non littera: cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.*

Id eſt. Non qui palàm ac manifeſtò ſe carne Judæum eſſe jactat, ſed qui in abſcondito, id eſt, corde ac ſpiritu, per fidem Chriſtum confitetur, is verè Judæus eſt: neque quæ in manifeſto in carne eſt circumciſio, id eſt, non externa carnis, ſed ſpiritualis vitiorum circumciſio, vera circumciſio eſt; quæ non litera conſtat, id eſt, carnali intelligentia ſecundùm rationem ſectæ pelliculæ, ſed in ſpiritu, id eſt, ſpirituali intelligentia, ut eſt, circumcidendi animi ſignum. Quæ quidem ſpiritualis circumciſio, etſi laudem non habet apud homines mentium ignaros, non tamen apud Deum cordium ſcrutatorem ſua laude caret. hæc *Gaig.*

CAPUT III.

Declarat in quibus Judæi præcellant Gentibus : Et omnes eſſe ſub peccato.

℣. 1. *Quid ergo amplius Judeo eſt ? aut quæ utilitas circumciſionis ?*

OBjicit contra præmiſſa. 1. Si ita eſſet, quod non eſt, verus Judæus, nec vera circumciſio in manifeſto, ſed in occulto cordis ? Quid ergo amplius eſt Judæo ? Id eſt, quid amplius datum eſt, quàm cæteris ? Videtur quod nihil. Et hoc eſt inconveniens. Ex *Deut.* 7. *Aut quæ utilitas circumciſionis* ? Scilicet exterioris. Et videtur quod nulla : quod eſt inconveniens, cùm ſit à Deo tradita. *Iſa.* 48.

℣. 2. *Multum per omnem modum. Primùm quidem quia credita ſunt illis eloquia Dei.*

Reſpondet objectioni, & explicat in quo Judæus præſtet Gentili, & quæ ſit utilitas circumciſionis : nec omnia recenſet, ſed unum quod eſt primum, id eſt, præcipuum & primarium, nempe quia Dei promiſſiones venturi Salvatoris & figuræ futurorum myſteriorum, reſponſa & oracula, in ſacris Scripturis contenta, illis credita ſunt & commiſſa, ut *Pſalm.* 147. ſicque illud *primùm*, non ſignificat narra-

tionis ordinem, numerationis principium, ſed quod eſt præcipuum, ut ſ.d. ex *Gaig.*

℣. 3. *Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Abſit.*

Id eſt. Dei promiſſiones irritas fecit, aut eum mendacem conſtituit. Græcè, *abolevit & antiquavit.* Dicit *quidam*, quia non omnes Judæi increduli fuerunt, & ad idola ſe converterunt: & eſt tacita ſecunda objectio. Abſit. q.d. Avertat Deus, non ita ſit, ut Dei veritas & fides evacuetur. Id eſt. Quamvis aliqui Judæorum increduli fuerint, tamen firma manent Dei promiſſa. Ut *Pſal.* 88. Sicque tacitæ objectioni reſpondet ſatis.

℣. 4. *Eſt autem Deus verax: Omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptum eſt: Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris.*

Græci legunt *Eſto fiat. Sit Deus verax.* Hoc eſt ſinè ambiguitate credatur verax in omnibus ſuis dictis & promiſſis. Contra verò homo mendax eſt, & in eloquiis, & in promiſſionibus ex conditione naturæ: at Deus non ſic ſe habet. Et probat ex *Pſal.* 50. Nequaquam ob peccatum & incredulitatem populi, fidem Dei, & promiſſionem irritam fieri, ſed veracem illum ſemper remanere, ſicut de ſe teſtatur David dicens Deo, *Tibi ſoli peccavi. Ut juſtificeris.* Illud, *ut*, eventum rei dicit, non cauſam. q. d. Ac propterea factum eſt, ut dum vel mihi peccanti promiſſa ſervas, in eo: ſcilicet quod de meo ſemine carnem aſſumens veracior appareres, ac juſtior, vincereſque eorum impietatem, qui ſe ob mea peccata promiſſis non ſtaturum mentiebantur. Hæc *Gaig.*

℣. 5. *Si autem iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus eſt Deus, qui infert iram?*

℣. 6. *(Secundùm hominem dico) Abſit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?*

Dupliciter tertia hæc objectio intelligi poteſt. Primò, ſi iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat, id eſt ſtabilem reddit, an ideò iniquus eſt Deus, qui ob peccata infert iram? Reſpondet. *Abſit.* Id eſt. Non propterea iniquus eſt: non enim noſtræ malitiæ, ſed ſuæ clementiæ eſt, quod noſtra iniquitate in gloriam ſuam utitur. Alioquin ſi iniquus eſſet, quomodo judicaret mundum, cùm judicis ſit æquum ſe præbere? Quia autem impium aliquid concluſiſſe videbatur, correctione utitur, dicens, *ſecundùm hominem dico*, id eſt, more carnalium & imprudentium loquor. Secundo loco ſenſus eſt: ſi iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat, iniquus eſt Deus, qui in eam juſtitiæ ſuæ commendatricem vindicat: ſed non eſt iniquus, non ergo ejus juſtitiam, noſtra commendat iniquitas. ita *Gaig.*

℣. 7. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius: quid adhuc & ego tanquam peccator judicor?*

℣. 8. *Et non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio juſta eſt.*

Id eſt, ſi fides & veracitas Dei, clarior & illuſtrior facta eſt per meum mendacium ſive injuſtitiam: cur ergo poſteà judicor, condemnor & punior, tanquam mendax & peccator?

q. d. Si peccata hominum per ſe juſtitiam Dei illuſtrant, ejuſque gloriam promovent: cur igitur homines tanquam peccatores puniuntur? Et cur non potiùs dico (ſicut quidam malè de nobis loquentes aiunt nos dicere) faciamus mala, cumulemus peccata peccatis, ut veniant bona, quale eſt Deum glorificari? Vel cur non potiùs facimus mala ut Deus glorificetur? ſicut quidam calomniantur nos dicere, *faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio*, ſeu judicium juſtum eſt.

℣. 9. *Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Cauſati enim ſumus, Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe.*

Ex ſupra dictis ſequitur ampliùs habuiſſe Judæum quàm Gentilem: hoc poſito novam infert conſecutionem, ut oſtendat, non quia aliquid ampliùs habuere Judæi, propterea conſequi eos eſſe præferendos Gentibus, ut notat particula *ergo*. Et dum Paulus cum Judæis ſeipſum commiſcet, minus odii concitat veritati. Et nota eum negare Judæos præcellere Gentes, nec propter circumciſionem, nec propter legem in juſtificatione coram Deo: à qua ſola petenda eſt hominis cujuſque vera & ſolida ſupra alium excellentia. Sicut divites modò excedunt pauperes & nobiles ignobilès, illi in divitiis, hi in nobilitate: ſic Judæi in eo quod circumciſi ſunt, & illis credita ſunt eloquia Dei, excedant Gentiles; At in juſtitia coram Deo aſſequenda, pares ſunt, & nemo præcellit. Omnes enim ſunt peccatores, & opus habent gratiâ per fidem juſtificari. Non ergo habet Judæus in quo glorietur de juſtitia coram Deo. *Cauſati ſumus.* Græcè, *cauſam ante retulimus*, nempe Judæos, ſicut cæteros, eſſe ſub peccato. Ita *Chryſ. Ambr.* & *Anſel.* Vel criminati

ſumus, & accuſavimus: vel jam ante in Scripturis (quas mox citat) accuſati, & in crimen vocati ſumus omnes tam Græcos, quàm Judæos exiſtere ſub peccato. Non eſt ergo unde Judæi præcellant Græcos in juſtitia coram Deo.

℣. 10. *Sicut ſcriptum eſt: Quia non eſt juſtus quiſquam:*

℣. 11. *Non eſt intelligens, non eſt requirens Deum.*

℣. 12. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum non eſt uſque ad unum.*

℣. 13. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant: Venenum aſpidum ſub labiis eorum?*

℣. 14. *Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt:*

℣. 15. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem:*

℣. 16. *Contritio & infelicitas in viis eorum:*

℣. 17. *Et viam pacis non cognoverunt:*

℣. 18. *Non eſt timor Dei ante oculos eorum.*

Omnes ſub peccato eſſe copioſiùs adhuc probat; propter Judæos ex Scriptura, *Pſal.* 13. tanquam propriâ ipſorum lege convincendos. Quidam non cognoverunt Deum, ut idololatræ: quidam cognoſcunt, ut Judæi, ſed ejus mandata non ſervant, nec requirunt: ideò nemo juſtus eſt inter filios hominum. *Inutiles*, id eſt, nullius bonæ frugis: nam recedentes à Deo, fructum bonum non ferunt, ſicut palmites à

vitæ abſciſſi. Ut patens ſepulchrum peſſimos ſpargit odores, qui hominum ſaluti ſunt noxii: ſic ab iſtorum gutture per linguam & labia noxia verba procedunt, aut deceptoria, aut quæ vitam proximi lædunt. *Os maledictione plenum*, per injurias, contumelias, blaſphemias. *Jac.* 3. *Pſ.* 9. Levi cauſâ ad occidendum feruntur, & crebris damnis, & infortuniis ſe mutuò accipiunt: & continua diſſidia, rixas, lites & bella exercent. Id eſt. Nec juſtitiam, nec charitatem, nec pacem cum proximo ſervant, nec Deum timent. *Pſ.* 35. *Luc.* 18.

℣. 19. *Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege ſunt, loquitur: ut omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo.*

Id eſt, legi ſubjecti ſint. Ne Judæus excipiat & dicat hæc ſuperiora nihil ad ſe pertinere; ſed de impiis, id eſt Gentilibus dicta eſſe: nunc ratione probat ea Judæis eſſe communia. Et ſenſus eſt. Lex & Prophetæ licèt multa dicant & prædicant de gentibus à populo Dei diverſis, & aliquando ad eas etiam ſermonem dirigant, ut in Prophetis videre eſt: potiſſimùm tamen intendunt corripere, comminari, invehere in illorum vitia qui ſub lege ſunt: præſertim ubi loquuntur abſque determinatione certæ alicujus Gentis. Hæc enim quæ dixi, legis ſunt officia. Lex autem ſoli populo Hebræorum data fuit. Benè igitur Apoſtolus ex lege & ejus increpatione convincit populum illum totum fuiſſe ſub peccato. *Ut*, illationem notat, non cauſam q.d. Hinc fit ut nemo gloriari poſſit de juſtitia, nec ſe excuſare in Dei judicio; ne Judæus quidem qui in lege gloriatur. Per eam enim ipſam injuſtus arguitur. *Subditus*, Græcè *obnoxius*. Et ſenſus eſt. Et ut appareat omnes omninò ho-

mines, etiam Judæos, eſſe Dei judicio ad æternam mortem obnoxios.

℣. 20. *Quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.*

Cauſam refert cur omnes rei ſunt culpæ & pœnæ: quia, inquit, ex legis operibus non juſtificabitur omnis caro, ut Judæos & Gentes comprehendat. Nam apud Gentes erant legis opera, non tamen lex ipſa ſcripta. Judæi utrumque habentes, ſi non ſunt juſtificati, profectò nec Gentes. *Caro*, eſt omnis homo in peccato exiſtens qui per legem & legis opera à peccato non liberatur, nec juſtus fit. Dicitur *coram Deo*, quia coram hominibus multi ſunt juſti habiti, qui peccatores verè ſunt. Rurſus, quia moralem juſtitiam habere poteſt, & habebit homo ex operibus legis, non tamen eam quæ in remiſſione peccatorum, & in reconciliatione cum Deo conſiſtit, quæ eſt perfecta & coram Deo. Hanc enim nec lex, nec legis opera efficiunt, ſed fides viva, quæ per dilectionem operatur. Si enim legis opera hanc efficerent, nunquam lex ipſa omnes peccatores prononciaret, ut ex ſ. d. teſtimoniis conſtat. *Tolet.* Et nota legem dictam eſſe neminem juſtificare poſſe, non ſolùm quia nemo poterat totam legem implere, ſolâ legis ope adjutus: opus enim eſt & erat gratia quæ non eſt ex lege, ſed fide Chriſti: ſed etiam quia quamvis legis opera efficeret, adhuc juſtificari peccator non poſſet. Niſi enim Chriſti fides adeſſet, quamvis tota lex quoad omnes partes ſuas morales, ceremoniales & judiciales, impleretur, nunquam homo peccator à peccato liberaretur, nec Deo reconciliaretur. Hoc enim opus eſt Chriſti, qui fide viva in ipſum nobis juſtitiam ſuâ virtute, juſtitiâ, & merito, com-

municat & impartitur. Not. 2. per opera legis non cæremonialia illa ſola & judicialia, ſed etiam moralia, quæ ad decalogum ſpectant, intelligi; omnia enim hæc ſimul opera non liberant à peccato, nec reconciliant: ſed fides in Chriſtum viva & perfecta. Ex *Aug. l.* de *ſpir.* & *lit. cap.* 8. *Per legem enim cognitio peccati.* Intellige excluſivè, hoc ſenſu. Lex ſolam præſtat, & ingerit agendorum & fugiendorum notitiam: dum alia præcipit, alia prohibet. Quod enim lege prohibetur, peccatum eſt. Non ergo per legem: neque ex operibus juſtificatio eſt, quâ peccatum tollitur, & lex obſervatur. Ex *Aug. l.* de *ſpir.* & *lit. c.* 8.

℣. 21. *Nunc autem ſine lege juſtitia Dei, manifeſtata eſt; teſtificata à lege & Prophetis.*

Poſtquam oſtendit ex lege non eſſe juſtitiam, docere nunc incipit, unde ea petenda ſit, nempè ex fide Jeſu Chriſti, quâ in re verſatur diſputatio in hac Epiſtola. Nunc, id eſt, tempore prædicationis Evangelicæ: vel, *nunc autem*, id eſt, atqui, at verò, ut *Heb.* 11. *Juſtitia Dei*, id eſt, ea juſtitia una coram Deo quia juſtus eſt, *manifeſtata eſt*, & palam annunciata, ac reipſa exhibita ſinè lege, id eſt, non per opera legis; tametſi teſtificationem habeat à lege & Prophetis: quia priùs occulta erat in umbris legis & prædictionibus Prophetarum. Ex *Aug. l.* de *gra. c.* 8. & de *ſpir.* & *lit. c.* 9. Porrò ea manifeſta exhibitio juſtitiæ Dei ſinè lege, potiſſimùm facta eſt in converſione Gentilium, qui legem non acceperant: quorum tamen veræ juſtitiæ atteſtabantur externa ſigna, ut de *Cornelio. Act* 10.

℣. 22. *Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum : non enim eſt diſtinctio.*

Scilicet inter Judæos & Gentiles q. d. Nullus eſt hominum, qui poſſit aut unquam potuerit aliter juſtificari, quàm per fidem Jeſu Chriſti. Hæc una & ſola via eſt omnibus propoſita, quâ perveniatur ad juſtitiam. Ex Aug. *l.* de *pec. orig. c.* 24. *In omnes*, intellige Judæos : *& ſuper omnes*, Gentiles ; ex *Oecum.* In Chriſtum credentes, fide humili & obedienti, ut *Jo.* 3. Vel, *in omnes*, propter univerſalitatem beneficii. *Super omnes nos*, propter ſublimitatem : quia nemo ſuis viribus, nec legis operibus aſſecutus eſt. Gratis de cœlo datur. *Epheſ.* 2.

℣. 23. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei.*

Quoniam omnes tam Judæi, quàm Græci peccaverunt, idcircò omnes egent Dei miſerantis auxilio, id eſt, gratiæ remiſſione, per quam Dei nomen glorificetur, ut *Ezech.* 36. Ex *Aug. l.* de *ſpir.* &*lit. cap.* 16. Et *Theod.* Vel omnes confiteri debent ſe peccatores, & per hoc gloriam dare Deo, ut *Joſ.* 7. *Apoc.* 15. Vel quia omnes peccaverunt, ideò omnes deſtituuntur ſeu privantur gloriâ Dei, id eſt, indigni ſunt vitâ æternâ, quæ non datur niſi juſtis. Ex *Chryſ.* & *Theoph.* Vel omnes peccaverunt, & proinde deſtituuntur gloriâ Dei, id eſt, non habent unde coram Deo glorientur. ex *Cajet.* & *Eſtio.*

℣. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, qui eſt in Chriſto Jeſu.*

Senſus eſt homines peccatores juſtificari abſque ullo ſuorum operum merito, per ſolam gratuitam Dei bonitatem. Hoc autem intellige

de tota juſtitia ab initio uſque in finem : *per redemptionem*, quam appenſo pretio fecit ac meruit Chriſtus Jeſus, ſive per Jeſum Chriſtum redemptorem. Quamvis igitur quoad noſtra merita attinet, gratis juſtificamur, non tamen abſque meritis & ſatisfactione Chriſti, qui ſanguinis ſui pretio nos à peccato redemit, atque in libertatem juſtitiæ vindicavit, denique omnia bona ad ſalutem pertinentia nobis promeruit; ut proinde rectè dicatur, non ſolùm juſtificationem noſtram, ſed & prædeſtinationem niti meritis Chriſti, ut *Eph*. 1. Verumtamen etiam hoc ipſum fuit gratuitæ erga nos miſericordiæ Dei, quod Chriſtum redemptorem & ſatisfactorem nobis dederit. ex *Eſtio*.

℣. 25. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, Propter remiſſionem præcedentium delictorum.*

Senſus eſt. Quem Deus propoſuit, exhibuit, ac dedit nobis propitiatorem, ſeu propitiationem, id eſt, tamquam victimam quandam iræ ſuæ divinæ propitiatoriam, interveniente ſcilicet effuſione ſanguinis ipſius; ſicut in veteri teſtamento, victimarum, quæ pro peccato offerebantur, ſanguis effundi ſolebat. Cujus quidem propitiationis ac reconciliationis participes nos effici voluit per fidem. Vel cujus propitiationis participes efficimur per fidem, quâ credimus eum pro peccatis noſtris expiandis ſanguinem ſuum effudiſſe, ſimulque confidimus Deum Patrem propter effuſum ſanguinem filii ſui nobis fore propitium. Ut palàm mundo declararet ac manifeſtam faceret *ſuam*, ex *Aug*. id eſt, Dei juſtitiam ; quâ ſcilicet homines verè & coram Deo juſti ſunt, & quam non dat niſi Deus. Hæc enim tempore

veteris legis non erat manifeſta. *Chryſoſtomus* intelligit juſtitiam Dei, quâ ipſe juſtus eſt, quâ eâdem vel juſtificat peccatores, vel fidem præſtat promiſſorum. Explicat autem quare voluerit Deus ſuam juſtitiam oſtendere, nempe propter remiſſionem præcedentium delictorum quæ lex remittere non poterat, nec homines propriâ virtute ab eis præcavere poterant. Solùm autem remitti potuerunt per ſanguinem Chriſti non ſolùm preſentia, ſed & præterita, ut 2. *Cor.* 4. *Mich.* ult. Ita *S. Thom.* Remiſſionem *Orig.* & *Anſel.* condonationem exponunt. *Chryſ.* tabem ſeu corruptionem & virium debilitatem. *Aug.* & *Ambr.* non remiſſionem, ſed propoſitum, ſeu benignam Dei voluntatem, quâ voluit peccatoribus ſubvenire, ut *Ephes.* 1. Oſtenſam Dei juſtitiam per corruptionem ſeu tabem peccatorum præcedentium tanto magis, quanto majores peccatores juſtos fecit. ita *Chryſ.* Vel remiſſio peccatorum hìc dicitur, non quâ peccata remittuntur, ſed quam peccata fecerant. ex *Theophyl.*

℣. 26. *In ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem juſtitiæ ejus in hoc tempore; ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu* Chriſti.

Senſus eſt. Quæ peccata Deus hactenùs toleravit ac patienter tulit, differens judicium, ut interim ſuo tempore propitiatorem exhiberet: vel quam remiſſionem, id eſt, languorem humani generis ex peccatis ortum Deus hactenùs toleravit. ita *Chryſ.* & *Theop.* Verti poteſt, *juſtitia ſua*, ut ſenſus ſit Deum toleraſſe peccata hominum uſque ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, id eſt, uſque ad hoc tempus quo ſuam juſtitiam mundo voluit patefacere & ex-

hibere: nempe quando Deus miſit filium ſuum in plenitudine temporis, ut *Gal.* 4. *ut ſit ipſe juſtus*, &c Id eſt. Jeſum dedit Deus propitiatorem, ut & ipſe agnoſcatur juſtus in ſe, & præterea author juſtitiæ in aliis, ſcilicet iis qui ſunt ex fide Jeſu Chriſti, hoc eſt, qui in Chriſtum credentes, juſtitiam ab eo per fidem expectant, ut *Gal.* 3. Juſtus dicitur Deus, vel quia promiſſa ſervat, vel potiùs, quia in ſeipſo rectiſſimus eſt, omnis iniquitatis expers.

℣. 27. Ubi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? Factorum? Non: ſed per legem fidei.

Alloquitur Judæum, & concludit adverſus eum ex ſuperioribus, quod non habeat unde glorietur, & extollat ſe de ſua juſtitia ſuper Gentilem: quandoquidem æquè ut Gentilis propter peccata Deo ſit obnoxius, & Chriſti propitiatoris indigus. Vel. Cùm oſtenſum ſit omnes peccaſſe, & juſtitiam non ex operibus, ſed à fide petendam eſſe, rectè ſubinfert Apoſtolus omnem de ſuis meritis gloriandi materiam ereptam eſſe Judæis pariter ac Gentilibus: quod & antè de utriſque dixerat illis verbis. *Et egent gloriâ Dei.* Hanc tamen interrogationem inſtituit propriè ad Judæum, vel de Judæo qui gloriabatur adverſus Gentilem de juſtitia legis acceptæ à Deo. Eſt autem lex operum, per quam habetur nuda cognitio agendorum. Lex fidei, quæ fidem exigit, per quam ſinè operibus expectatur à Deo juſtitia. Alio nomine lex Evangelii. Vel legem fidei vocat ipſam fidem, quâ velut lege, impellitur homo ad quærendam à Deo juſtitiam, ut *cap.* 7. concupiſcentia vocatur lex peccati. Per eam legem excluditur Judæi gloriatio. Quâ in operibus gloriatur, dum inanis ac de nihilo eſſe hujuſmodi gloriatio con-

vincitur. Si enim ex fide petenda eſt juſtitia, nihil igitur ad juſtitiam opera legis conferunt, ut de iis gloriari Judæus poſſit. *Legem factorum* ſunt qui legem Moſaïcam interpretantur, quà parte cæremonialis eſt. Alii decalogum, ſinè cujus operibus mox affirmat hominem juſtificari per fidem. Ita *Aug. l.* de *ſpir.* & *lit. c.* 13. & 14.

℣. 28. *Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſinè operibus legis.*

Græcè, Colligimus ergo & inferimus juſtitiam dari hominibus per fidem, non virtute legis operum: propterea legem illam operum ablatam eſſe ſinè legis operibus, ſinè merito & virtute legis operum, ut exponit *Aug.* quæ ſolà cognitione legis adjutus fecerit, ut quæ nihil ad juſtitiam conducant. Ex *Aug.* Non igitur, ut ſectarii volunt; opera ſimpliciter excluduntur à negotio juſtificationis, ſed opera fidem præcedentia, vel non à fide profecta, quamvis ad lumen inſitæ rationis lucerna ſcriptæ legis acceſſerit. Nam quod ad opera verè bona ac ſalutaria attinet, tenendum prorſus quod in ſua docet epiſtola Jacobus, *c.* 2. & *Aug. l.* de *grat.* & *lib. Arbit. c.* 7. *Greg. hom.* 19. *ſup. Ezech. Gal.* 5. *Act.* 2. & 3. *Luc* 7. *Joan.* 2. *Tit.* 3.

℣. 29. *An Judæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium? Immò & Gentium.*

Senſus eſt Deum quod ad beneficium attinet juſtitiæ & ſalutis æternæ, non ſolùm Judæorum eſſe, verùm etiam Gentium; ut qui æquè ſint Dei creatura rationis capax & ad ſupernam felicitatem ordinata. Non ergo ejus juſtitia intra Judæos concludi debuit, ſecluſis Gentibus.

℣. 30. *Quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.*

Senſus eſt. Cùm, inquit, omnium unus & idem ſit Deus, unam quoque & eandem conſequendæ juſtitiæ rationem, ſcilicet ex fide, ſive per fidem, omnibus ſinè diſcrimine providit, tam Gentilibus quàm Judæis.

℣. 31. *Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus.*

Ergòne legem abolemus, irritam & inutilem reddimus hâc noſtrâ de juſtificatione doctrinâ, quâ fidem exigimus & opera excludimus? Negat hoc Paulus eſſe deſtruere legem, ſed potiùs confirmare: ſicut qui promiſſionem adimplet, non deſtruit, ſed confirmat. Et quia per hanc juſtificationis doctrinam legitimum officium legis oſtenditur, & ab officio fidei diſcernitur, dum docetur per legem haberi cognitionem peccati, per fidem verò juſtitiam acquiri. Et quia fides impetrat gratiam quâ lex impleatur. Ex *Aug. l.* de *ſpir. & lit. c.* 3. ut *Matth.* 5.

CAPUT IV.

Non ex circumciſione, non ex operibus, neque ex lege, ſed ex fide expectandum eſſe juſtitiam.

℣. 1. *Quid ergo dicemus inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundùm carnem?*

QUæſtionem de utilitate circumciſionis huc uſque dilatam nunc repetit aliis verbis, occaſione ejus quod docuerat Deum, ſinè diſcrimine juſtificare, tàm præputium, quam circumciſionem: ex quo ſequebatur ad juſtitiam nihil intereſſe ſitne quis circumciſus, an non. Quia verò Abraham primus mandatum circumciſionis accepit, idemque juſtus ac Dei amicus prædicatur, ideò quæſtionem reſumit in perſona Abrahæ, quòd fatendum videatur eum fuiſſe juſtificatum per circumciſionem. Nam dicere poterat Judæus, quid ei profuit circumciſio ſi non ad juſtitiam? Porrò quæſtioni Paulus ita reſpondet, ut doceat non ex circumciſione, ſed ex fide juſtificatum fuiſſe Abraham, nec tamen inutile fuiſſe circumciſionis ſignum. Et ſenſus eſt. Quid dicemus Abraham, qui pater noſter eſt ſecundùm carnem, id eſt, ſecundùm carnalem propagationem adeptum fuiſſe per hoc quòd fuit circumciſus? Ex *Chryſ.*

℣. 2. *Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.*

Docet quid Abraham fuit conſecutus per circumciſionem, & quid non. Negat conſecutum fuiſſe juſtitiam, quia non ex operibus juſtificatus eſt. Id verò probat hoc modo: Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, & non ex fide, habet unde glorietur, unde ſe jactet apud homines tanquam juſtum; ſed non apud Deum; quia talis juſtitia non eſt juſtitia Dei: Atqui Abraham habuit gloriam apud Deum, non igitur ex operibus juſtificatus eſt. Interpretamur Apoſtolum de operibus quæ non ſunt ex fide ſed fidem præveniunt, & contra eam diſtinguuntur, ut *Jac.* 3. *Jo.* 8. *Aug.* in *Pſal.* 31.

℣. 3. *Quid enim dicit Scrtptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.*

Ex *Gen.* 14. probat Abraham juſtitiam & gloriam conſecutum eſſe, non ex operibus, ſed ex fide: Nos quoque non ex operibus, ſed ex fide juſtitiam expectare debere: quod concludit ſub finem, cùm dicit. *Non eſt autem ſcriptum tantùm propter ipſum, ſed & propter nos ſecundùm Scripturas.* Et *Concil. Trident. ſeſſ.* 6. *c.* 7. *can.* 11. Illud dicitur ad aliquid reputari, quod verâ æſtimatione veròque judicio tale habetur: ſic enim dicitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam.* Quia fides illa, quâ Deo credidit prômittenti ſibi ſemen ſicut ſtellas Cœli, id eſt, poſteritatem tum carnalem ex Iſaac, tum ſpiritualem ex Chriſto credentium & Chriſtianorum, erat verum & inſigne opus juſtitiæ Deo gratiſſimum, ut 1. *Matth.* 2. & *Pſal.* 105. Et Job ſuſtinentia tribulationum de-

putata eſt illi ad juſtitiam, quia opus fuit magnæ juſtitiæ. Ex *Aug. tract.* de urbis excidio, *cap.* 3. Ita *Cyprian. Ep.* ad *Cecil. l.* 2. *Ep.* 3. Dices, Abraham non tunc, quando hoc credidit, quod de eo Scriptura refert, juſtificatus fuit, ſed inde ab initio vocationis ſuæ. *Gen.* 12. *Hebr.* 11. Reſpondetur, juſtiſicatum quidem fuiſſe quando hoc credidit; non quod tunc ex impio juſtus factus fuerit, ſed quia ex fide tanquam inſigni opere declarata fuit, & aucta ejus juſtitia, quæ ſecunda dicitur. *Jac.* 2. Jam ſi Abraham anteà juſtus, adhuc juſtificatur ex fide, & per gratiam fidei, non autem ex operibus: majori igitur ratione (ut concludit in fine capitis) ex impio juſtus quis primùm efficitur per fidem, & non per opera. Alii dicunt *Jacobum* loqui de operibus ſequentibus fidem, quæ non amicum, ſed gratiorem amicum faciunt, *Paulum* verò de præcedentibus fidem. ita *Eſtius.*

℣. 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.*

In eo quod dixit fidem Abrahæ fuiſſe ei reputatam ad juſtitiam, ſonat gratia, quia fides promiſſorùm Dei gratiæ innititur. Ex quo docet non ex operibus juſtificatum fuiſſe: nam pugnant ex operibus, & gratia, ex *cap.* 11. Et ſenſus eſt. Operi reſpondet merces ex conventione. Merces autem æſtimatur non ut gratuita, ſed ut debita. Hinc ſequitur, ſi Abraham ex operibus juſtificatus fuit, non igitur gratis juſtificatum fuiſſe, quod falſum eſt. ex *Aug.*

℣. 5. *Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundùm propoſitum gratiæ Dei.*

Opponit operantem credenti. Impium vocat peccatorem in genere: ſic autem Deus ipſam fidem, ſaltem ſecundùm inchoationem, reputat ad juſtitiam, ut nihil ſine ea reputet ad juſtitiam, ſed cætera per eam & propter eam. Fidem verò intellige ſperantem, diligentem, invocantem, obedientem. ex *Auguſt.* tract. 29. in *Jo.* & quæ per dilectionem operatur. Dicitur autem Deus peccatorem juſtificare non ſolâ remiſſione peccatorum, ut contendunt Hæretici, ſed donis gratuitis, quorum primum eſt fides. Clauſula, *ſecundùm propoſitum gratiæ Dei*, non eſt in Græco, nec Syriaco. Cujus ſenſus eſt, fidem reputari ad juſtitiam, & ex ea juſtificari hominem, non quòd hic juſtificandi modus ad primam naturæ pertineat inſtitutionem: ſed quia Deus gratioſo decreto, ſic ab æterno ordinavit, quo & ipſam fidem gratis dare conſtituit ita *Eſtius*.

℣. 6. *Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus.*

Senſus eſt. Similí modo etiam David in *Pſal.* 31. dicit & pronunciat hominem beatificari, ſeu juſtificari, cui Deus imputat juſtitiam, id eſt, quem Deus ſuo judicio juſtum reputat abſque merito operum ejus, dum ſcilicet nullam facit operum mentionem, ſed tantùm peccatorum præcedentium & gratuitæ eorum remiſſionis. Subdit enim.

℣. 7. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*

Idem utroque membro ſignificatur, ut *Pſal.* 48. & *Nehem.* 4. Igitur operta Deo ſeu tecta peccata dicuntur, non quod permaneant, & tamen Deo diſſimulante non imputentur ad pœnam, uti contendunt Lutherani: id enim juſtitia Dei non patitur. Sed quia verè remiſſa ſunt ac deleta, ut jam neque ſint actu, neque reatu. Quocirca non eſt conſequens ex hoc loco, beatitudinem, id eſt, juſtitiam hominis conſiſtere in ſola remiſſione peccatorum; nec ex *Pſal.* 1. & 108. & 105. *Joan.* 13. *Jac.* 1. Itaque nomine remiſſionis peccatorum tota hominis renovatio comprehenſa intelligitur. ex *Eſtio.*

℣. 8. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.*

Dicitur Deus peccatum homini non imputare, dum jam eum non ampliùs habet pro peccatore, quippe qui peccato remiſſo jam peccator eſſe deſierit. Sicque peccatum non imputat Deus ad pœnam æternam. ex *Aug.* 22. *cont. Fauſt.* c. 67.

℣. 9. *Beatitudo ergò hæc in circumciſione tantùm manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata eſt Abrahæ fides ad juſtitiam.*

Senſus eſt. Hæc beatificatio, ſeu juſtificatio, de qua David loquitur, tantùmne contingit Judæis circumciſis, an etiam pervenit ad Gentiles non circumciſos? *Dicimus*, id eſt, paulò antè diximus: Vel dicimus, id eſt, hìc jam repetimus, Abrahæ fidem reputatam ei fuiſſe ad juſtitiam. Repetit autem, ut reſponſionem paret interrogationi quam fecit, ut ait *Eſtius.*

℣. 10. *Quomodo ergo reputata eſt? In circumciſione, an in præputio? Non in circumciſione, ſed in præputio.*

Id eſt. Qualis & quo in ſtatu erat Abraham quando ei ſides ad juſtitiam reputata eſt? Num circumciſus jam erat, an adhuc præputiatus? Profectò in præputio adhuc manens *Gen.* 15. hanc ſidei juſtitiam accepit, priuſquam circumciſionem acciperet à Deo, *Gen.* 17.

℣. 11. *Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio: ut ſit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad juſtitiam:*

Id eſt. Abraham juſtitiam fidei accepit in præputio, non in circumciſione: Circumciſionem autem accepit tanquam ſignaculum juſtitiæ fidei, *Geneſ.* 17. quam prius acceperat in præputiò, ut conſtat ex ſerie Scripturæ *Gen.* 15. Non ad juſtitiam accepit circumciſionem, ſed tanquam ſignaculum acceptæ juſtitiæ per fidem, id eſt, in teſtimonium, eum eſſe juſtificatum per fidem, per eamque cùm in præputio exiſteret, juſtitiam adeptum. Circumciſio 1. ſignum erat à Deo impoſitum & inſtitutum ad ſignificandum fœdus quod pepigit Deus cum Abraham & poſteritate ejus, nempe de illius ſemine venturum eum, in quo omnes Gentes erant benedicendæ. 2. Erat ſignaculum, id eſt, ſigillum quo claudebatur fidei juſtitia uſque ad Evangelium, ex *Orig.* Vel erat ſignaculum, id eſt, teſtimonium juſtitiæ acceptæ per fidem, ex *Chriſ. Theod.* & *Aug.* l. 2. de nup. c. 12. *Ut ſit pater omnium credentium per præputium*, id eſt, manente præputio. Et ſenſus eſt: idcircò juſtificatum fuiſſe Abraham cùm adhuc eſſet in præputio, ut exemplo ſidei ſuæ, quæ ei reputata

ſuit ad juſtitiam, pater eſſet omnium eorum qui credituri erant, etſi præputium habentes & in èo manentes, id eſt, Gentilium: ut nimirùm etiam illis ſua fides reputaretur juſtitia, id eſt, ad juſtitiam, dum ſcilicet ex fide juſtificantur.

℣. 12. *Et ſit pater circumciſionis non iis tantùm, qui ſunt ex circumciſione, ſed & iis, qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ.*

Ne Judæi circumciſi excluſi videantur, addit, ut etiam ſit pater circumciſionis, id eſt, Judæorum circumciſorum: non omnium, ſed eorum qui cum circumciſione etiam fidem imitantur, quam habuit in præputio, ut *Rom.* 9. ex *Chryſ.*

℣. 13. *Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini ejus, ut hæres eſſet mundi: ſed per juſtitiam fidei.*

Confirmat Abraham patrem eſſe credentium omnium & præputiatorum, & circumciſorum imitantium fidem eius, ſic. Promiſſo Abrahæ, & ſemini ejus facta de mundi hæreditate, nempè de benedictione omnium Gentium in ipſo & ejus ſemine facienda, non fuit per legem, id eſt, per legis obſervantiam, ſed per fidei juſtitiam quia Deo credidit: Ergò non eſt pater eorum qui ex lege ſunt, quaſi ii qui lege ſunt, per legem accipiant hanc benedictionem, ſed omnium credentium, ſive ex lege ſint, ſive non qui ejus fidem imitantur, hi futuri ſunt hæredes, id eſt, promiſſam benedictionem accepturi. *Gal.* 3. & *Pſal.* 2. Ex *Chryſ.* & *Theod.*

℣. 14. *Si enim qui ex lege, heredes ſunt: exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio.*

q.d. Abrahæ promiſſio facta eſt non per legem, ſed per fidem: ergo non per legem hæreditas promiſſa accipienda eſt: ſi enim qui ex lege ſunt, hi hæredes ſunt: id eſt, ſi per legem accipienda eſt hæreditas, & benedictio promiſſa, fides exinanita eſt & promiſſio evacuata eſt, quod dici non poteſt: pugnat enim quod ex lege eſt, & quod ex promiſſione, & fide eſt: hoc enim eſt gratia, illud juſtitia. *Gal.* 3. Aliqui fidem hic exponunt veracitatem, & fidelitatem Dei, quâ quod promiſſum eſt, impletur. Sed meliùs fides hominis in Deum intelligitur. ex *Eſtio.*

℣. 15 *Lex enim iram operatur. Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio.*

Confirmat non eſſe per legem hæreditatem, quin lex iram potiùs, quam hæreditatem adfert, & maledictionem potiùs quàm benedictionem, quia occaſio eſt prævaricationis: ſi enim lex non eſſet, prævaricatio non eſſet; At quia lex eſt, prævaricatio eſt, prævaricatio autem maledictionem infert, & Deum ad vindictam provocat, non ergo ex lege hæreditas eſt & benedictio *Gal.* 3.

℣. 16. *Ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum.*

Procedit argumentatio Pauli à diviſione, hoc modo. Aut per legem implenda eſt promiſſio Abrahæ facta, aut per fidem: atqui per le-

gem non impleri jam oſtenſum eſt : reſtat igitur ut ex fide, & per fidem impleatur. Quod conſequens hìc ampliùs jam confirmat ex duobus omninò ſtatuendis & agnoſcendis in Dei promiſſione; quæ ſunt gratia, & univerſalis atque omnimoda firmitas. Ideò inquit ex fide; ut promiſſio agnoſcatur gratuita & non debita: & rursùm, ut promiſſio firmetur ac rata ſit ſuper univerſum ſemen Abrahæ, id eſt, tam ad Gentiles, quàm ad Judæos extenſa; ut qui omnes ex ſemine Abrahæ computantur. Nam ſi ex lege promiſſio firmanda erat, ea pars ſeminis Abrahæ, cui lex non eſt data, à promiſſa excluderetur benedictione. Vel prior ratio ad poſteriorem refertur, ut ſenſus ſit. Ideò promiſſionem ex fide implendam, ut ſecundùm gratiam implenda agnoſcatur : Et ideò ſecundùm gratiam, ut firma ſit ſuper univerſum ſemen Abrahæ, non tantùm ſuper illud quod ex lege eſt, id eſt, Judæos, quibus lex data fuit : ſed & illud quod ex fide eſt Abrahæ, id eſt, Gentiles, qui licèt ſecundùm carnem non ſunt progeniti ex Abraham, neque legem acceperint, ſunt tamen Abrahæ ſemen per imitationem fidei. ita *Theoph.* & *Oecum.*

℣. 17. (*Sicut ſcriptum eſt : quia patrem multarum gentium poſui te*) *ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.*

Hoc quidem ad literam de carnali poſteritate dictum eſt, ex *Gen.* 17. atque etiam de ea impletum eſt. Myſtico tamen ſenſu pertinet ea promiſſio ad ſemen ſpirituale, quod futurum erat multò numeroſius ſemine carnali, id eſt, ad fideles populos, quorum Abraham pa-

ter erat exemplo fidei. Dicitur hæc paternitas eſſe coram Deo, quia fundata eſt in fide, quæ hominem Deo commendat. Græci ſic exponunt. *Qui pater eſt omnium noſtrum*, ad exemplum Dei, vel inſtar Dei, *cui credidit*: ſicut Deus eſt omnium pater creatione, ſic Abraham fieret omnium pater exemplo fidei. Exponit autem quid Abraham crediderit, nempe Deum poſſe mortuos vivificare, *Hb.* 11. *Origenes* hanc mortuorum vivificationem exponit, peccatorum juſtificationem, per quam animæ à morte revocantur ad vitam. *Oecumenius* & *Ambr.* ad id referunt quod factum eſt cum Abraham, cujus corpus per ſenectutem emortuum & generare non valens, vividum effectum eſt, & generare potens. *Chryſoſtomus* exponit de mortuorum reſurrectione, ſic: Deum poſſe facere, ut ii qui ex Abrahæ ſemine non ſunt nati, nempe Gentiles, ſint filii ejus, ſicut & poteſt facere, ut quod mortuum eſt, vivat. Alii ſignificant fidem Abrahæ, quam habuit quando juſſus eſt ſacrificare filium ſuum Iſaac, in quo promiſſa erat poſteritas iſta. Videlicet *arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus*, ut de eo dicitur *Hebr.* 11. ita *Tolet.* & *Eſtius.*

℣. 18. *Qui contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum Gentium ſecundùm quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum.*

Senſus eſt. Qui præter ſpem, id eſt, cùm priùs non ſperaret, ſed magis deſperaret ſibi ſobolem ex Sara: vel potiùs præter ſpem naturæ, id eſt, contra quam ex natura ſperari potuit, quia res erat impoſſibilis naturaliter, credidit divinæ promiſſioni, ſpemque certam ex ea concepit ſe futurum patrem multarum Gen-

tium. Vel credidit ſperans ſe fore patrem multarum gentium. *Sicut dictum eſt ei, Gen.* 15. 17.

℣. 19. *Et non infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cùm jam ferè centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Saræ.*

Pergit fidem Abrahæ magnificare ſic; Cùm ſenex eſſet, & corpus jam haberet emortuum & jam impotens ad generandum: Cùm etiam Sara vulvam haberet jam emortuam, novâque tunc fieret promiſſio ſeminis de Sara, *Gen.* 17. nihil horum conſideravit, ut in fide infirmaretur, aut à fide recedendo, aut dubitando, ſed fortis & conſtans in fide permanſit. Dubitatur quomodo corpus emortuum habuiſſe dicatur, cùm poſt natum Iſaac mortuâ Sarâ uxore iterùm filios de Cethura genuerit. *Gen.* 25. *Origines* reſpondet non ætatis infirmitate emortuum fuiſſe, ſed mortificatione, de qua dicitur *mortificate membra veſtra. Auguſtinus lib.* de *civit. cap.* 28. ait dici emortuum, non ſimpliciter, ut de nulla poſſet gignere fœmina, nam de adoleſcentula poterat, non de vetulâ. ita D. *Thomas*. Vel dicendum donum gignendi, quod à Deo per fidem accepit, etiam poſt obitum Saræ manſiſſe: vivida enim caro ejus effecta eſt, & ideò gignere etiam potuit de Cethura. ita *Aug.*

℣. 20. *In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo:*

Græcè, *diſceptavit, diſquiſivit.* Ut ſit ſenſus. Quamvis Abraham auditâ promiſſione quæſiverit ac quaſi diſceptaverit, dicens Deo, *Putaſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Non tamen id fecit ex incredu-

litate, ſed ex admiratione: vel nullâ laboravit incredulitate, ut ad promiſſionem Dei auditam hæſitaret, ſed firmâ ac robuſtâ fide ſuſcepit Dei promiſſionem gloriam Deo tribuens, credens ac profitens eum omnipotentem, & in promiſſis veracem. Per hæc enim laudatur & glorificatur Deus. Ita *Chryſ.* & *Aug.* in expoſit. propoſ. 25. Vel dans gloriam Deo, non curioſè ſcrutatus eſt quomodo poſſibile eſſet hoc fieri. ex *Oecum.*

℣. 21. *Pleniſſimè ſciens, quia quæcumque promiſit, potens eſt & facere.*

Senſus eſt. Plenâ ac certiſſimâ fide perſuaſum habens, Deum ſua promiſſa, ſeu quæcumque promiſit, præſtare poſſe. Nominat autem potentiam Dei, non veracitatem: quia ſuppoſitâ fide potentiæ, non erat difficile credere Deum facturum quod promiſerat. Longè enim faciliùs creditur veracem eſſe Deum, quam omnipotentem; cùm id credant omnes Chriſtiani boni & mali. Ita *Hugo* numer. 121.

℣. 22. *Ideò & reputatum eſt illi ad juſtitiam.*

Q. d. Quia credidit, ficut dictum eſt, fides ejus in juſtitiam à Deo reputata eſt illi talis. Fides non quæcumque, ſed illa perfecta, quâ Deum credidit, mortuos vivificare, vocare ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt, potentem promiſſa ſervare: ideò non ſignificat primam juſtificationem. Quoties enim credidit Abraham Deo, toties ei fides ad juſtitiam reputata eſt, ut obedientia, 1. *Machab.* 2. *Jac.* 2. ex *Theod.*

℣. 23. *Non eſt autem ſcriptum tantùm propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad juſtitiam:*

℣. 24. *Sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis,*

Senſus eſt. Quod Scriptura dicit Abraham Deo credidiſſe, idque ei reputatum fuiſſe ad juſtitiam, non tantùm ſcriptum eſt propter ipſius laudem, ut ejus juſtitia celebraretur apud poſteros, ſed etiam noſtri causâ, id eſt, ut in Abraham haberemus formam quandam noſtræ juſtificationis, atque ſciremus etiam nobis credentibus, ipſum credere, hoc eſt, fidem noſtram ad juſtitiam reputatum iri.

℣. 25. *Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.*

S. Thomas dicit mortem & reſurrectionem Chriſti hìc conſiderari, non ut meriti rationem habent, id enim reſurrectioni non competere, ſed ut ſalutares nobis fuerunt per modum cujuſdam efficientiæ, ſicut fuerunt & cæteræ omnes actiones ejus & paſſiones, utpotè ex virtute divinitatis provenientes, cujus humanitas ipſius erat inſtrumentum. Aliorum expoſitio eſt, mortem & reſurrectionem Chriſti hìc conſiderari tantùm ut cauſam exemplarem, ut nos quoque moriamur peccatis, & ut nos à morte peccati reſurgamus ad novitatem vitæ. Vel traditus in mortem Chriſtus dicitur propter peccata noſtra, id eſt, ut ſuâ morte pœnam peccatis debitam aboleret: reſurrexiſſe verò propter juſtitiam noſtram: id eſt, ut ſuâ reſurrectione typum quemdam nobis præferret reſurgendi ad juſtitiam, ſeu vitæ novitatem, ut c. 6. Vel reſurrexit ut crederemus, & credentes juſtificaremur. ex *Sasboldo.*

CAPUT V.

Recenſet juſtificatorum ornamenta, & magnam Dei ergo nos charitatem.

℣. 1. *Juſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum:*

SUpra docuit nos juſtificari coram Deo, non lege, nec legis operibus, ſed fide: nunc exponit magnitudinem, fructus, ornamenta quæ gratiam juſtificationis conſequuntur. Ea bona ſunt pax hominis cum Deo, adoptio filiorum Dei, in tribulationibus non frangi animo, ſed exultare, atque de his omnibus gloriari, non in ſeipſo, nec in alio, ſed in Deo. Pro *habeamus*, Græci legunt, *habemus*, ut *Tertul.* l. 5. cont. *Marc.* cap. 13. Senſus eſt. Cùm jam ſimus ex fide juſtificati, nec peccemus ampliùs, ſed pacem conſervemus cum Deo, permanentes in juſtitia ſemel accepta: vel pacem habeamus, id eſt, ſimus tranquillo & pacato animo & à terroribus, quibus concuti ſolet mala conſcientia, libero, utpotè jam Deo reconciliati: vel pacem habemus, quod Deo ſumus reconciliati, & quod cum nunc habemus placatum, quem propter peccata habebamus offenſum. *Per Dominum* tanquam mediatorem & Pacificatorem *noſtrum.*

℣. 2. *Per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.*

q. d. Per quem etiam habemus acceſſum. Non enim Deus ſolus in ſe, & per ſeipſum, ſed etiam ſimul cum mediatore & per mediatorem Chriſtum nos ad pacem revocavit, *Gratiam iſtam*, vocat gratiam juſtificationis, quâ à peccatis liberati, Deo reconciliamur. In qua gratia, inquit, manemus, perſiſtimus; *in qua*, id eſt, de qua etiam gloriamur ſub ſpe, & certa expectatione futuræ gloriæ, quæ præparata eſt, & per hanc gratiam præſtanda filiis Dei adoptionis : vel gloriamur de ſpe futuræ gloriæ, id eſt, de ea re ſperata.

℣. 3. *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus : ſcientes quod tribulatio patientiam operatur:*

Gloriamur de afflictionibus, preſſuris & perſecutionibus, quas propter hanc gratiam, ideſt, quia Chriſtiani ſumus, patimur, ut *Jacob* 1.

℣. 4 *Patientia autem probationem, probatio verò ſpem,*

℣. 5. *Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.*

Tribulationes ſunt occaſio patientiæ quæ nos, ut ignis aurum, probat : probatio verò ſpem roborat, id eſt, facit vigere, ait *Chryſ.* imò auget, ex *Ambr.* ut 2. *Cor.* 4. 1. *Pet.* 1. nunquam ſperatis bonis ſe defraudatum ſentiet, nec unquam deceptus erubeſcet ut *Pſal.* 30.

Eccl. 2. Et loquitur de ſpe juſtificatorum, nam ſpes peccatorum vana eſt. Nam Deus non promiſit beatitudinem peccatoribus, ſed juſtis. Cauſam reddit, quod ſpes non confundat juſtificatos: quia, inquit, ſunt facti amici & dilecti à Deo: non quovis modo, ſed abundantiſſimè: nam ex amore & charitate acceperunt Spiritum ſanctum in cordibus ſuis, quo effecti ſunt divinæ naturæ conſortes. *Auguſt. l. de ſpir*, & *litt. cap.* 32. interpretatur de charitate quâ nos Deum diligimus. *Chryſ.* de ea quâ nos Deus diligit. De utraque verò *Orig.*

℣. 6. *Ut quid enim Chriſtus, cùm adhuc infirmi eſſemus, ſecundùm tempus pro impiis mortuus eſt?*

Id eſt. Quænam cauſa eſt, quare cùm adhuc eſſemus infirmi, morbo peccati, nondum ſancti effecti, nondum ſtatuto & deſtinato tempore, ut *Gal.* 4. Chriſtus mortuus eſt pro nobis impiis, & peccatoribus? *Secundùm tempus*, id eſt, indefinitum à Patre, cùm omnia eſſent in infidelitate concluſa. ex *Gaig.*

℣. 7. *Vix enim pro juſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat mori.*

Vix pro homine juſto liberando moritur aliquis: pro injuſto autem nemo. Ipſe autem non pro juſto, ſed pro injuſto, non uno, aut altero: ſed pro omnibus mortuus eſt. Oſtendit hic locus ſalvo ordine charitatis alium pro alio vitam impendere temporalem.

℣. 8. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus*

℣. 9. *Chriſtus pro nobis mortuus eſt:....*

Id eſt, manifeſtat nobis charitatem ſuam er-

ga nos eſſe valdè commendabilem, ut 1. *Joan.* 4. & *Jo.* 3. Inſinuat non ex neceſſitate, ſed ex voluntate Patris mortuum eſſe. Impios vocavit qui deos falſos colunt : infirmos, qui carnis fragilitate peccant ; peccatores, qui malitiâ; & in ſtatu ſunt peccati. ita *Orig.*

℣. 9.... *multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum.*

Id eſt. Fecit quod minus videbatur faciendum, & ſperandum quando peccatores eramus, nempè mori pro nobis. Faciet ergo quod magis, ut jam juſtificati & tanto pretio redempti, nempe ſanguine, non vitulorum, ſed ipſius Chriſti, ſalvi ſumus ab ira per ipſummet Chriſtum.

℣. 10. *Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus : multò magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius.*

Id eſt. Majus fuit per mortem Unigeniti ſui reconciliare inimicos, quàm reconciliatos & amicos factos per vitam & reſurrectionem jam factam filii ſalvare. Illud factum eſt, & hoc igitur fiet. Spes igitur noſtra non confundit nos. ſic *Tol.*

℣. 11. *Non ſolum autem : ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.*

Senſus eſt. Quantò magis ſalvi erimus, qui non ſolum (quod dixi) reconciliati ſumus Deo, ut peccata noſtra puniat : ſed etiam gloriamur in Deo, per Jeſum, cujus beneficio ac merito, nunc reconciliationem accepimus. Gloriamur, inquam, in Deo, velut patre, cujus

filii facti ſumus adoptione per gratiam reconciliationis : vel ut omnis noſtræ juſtitiæ, reciliationis & Renovationis authore.

℣. 12. *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

Poſtquam oſtendit bona quæ per Chriſti gratiam conſecuti ſumus : hic oſtendit, à quibus malis per eam liberemur, & primò à ſervitute peccati, ſecundò à ſervitute legis, *cap.* 7. tertiò à damnatione, *cap.* 8. Ita *S.Thom.* Alii autem ſic connectunt. Concluſerat nos in Deo gloriari per Chriſtum, per quem reconciliationem accepimus, rectè nunc deducit : ſicut per unum hominem peccatum & mors in mundum intravit, per unum etiam hominem peccatum & mors expelluntur. *Mundum* homines vocat, quia Adæ peccatum omnes fecit peccatores, quia ex eo nati ſunt. *Mortem* verò corporis intelligit ; vel mortalitatem ſeu moriendi neceſſitatem, & corporis miſerias. Ad eumdem modum per unum hominem Chriſtum juſtitia, per juſtitiam vita intravit, & vita in omnes pertranſiit, 1. *Cor.* 15. *In quo*, ſcilicet Adamo peccante omnes conſtituti ſunt peccatores, quia illud peccatum tranſiit in omnes, quoniam in lumbis ejus erant, tanquam in principio & radice. ex *Auguſt.* l. 1. de *bapt.* c. 10.

℣. 13. *Uſque ad legem enim peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur, cùm lex non eſſet.*

Oſtendit poſtquam peccatum ſemel ingreſſum eſt in mundum, ſemper in mundo fuiſſe & regnaſſe, etiam ante legem, videlicet eam

quæ data eſt per Moyſen : vel *uſque ad l gem*, id eſt, etiam lege latâ peccatum permanſit. ex *Auguſt.* Erat quidem etiam ante legem in mundo, ſed non imputabatur, quia ubi lex non eſt, peccatum non imputatur, ad tranſgreſſionem ſcilicet : ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio, ut *cap.* 4. Vel peccatum non imputabatur ad mortem, quando lex non erat. Vel non imputabatur, id eſt, non cognoſcebatur. ex *Auguſt. l.* 1. de *pec. mer. c.* 10. Vel non aſcribebatur culpæ. ex *Anſel.*

℣. 14. *Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri.*

Quamvis, inquit, ante legem peccatum non imputabatur, erat tamen in mundo, & propter hoc mors ob peccatum invecta regnavit, id eſt, graſſata eſt, tyrannidem exercuit in genus humanum; etiam toto eo tempore quod legem datam anteceſſit. Et duobus modis lectio exponi poteſt. Aut enim ſenſus eſt mortem regnaſſe, non in eos tantùm qui propriâ voluntate peccaverunt, primo parenti, qui præceptum Dei ſuâ voluntate tranſgreſſus eſt, ea in re ſimiles facti : verùm etiam infantes qui non peccaverunt propriæ voluntatis actu, ſed tantùm ex Adam naſcendo peccatum contraxerunt. ex *Auguſt. l.* 1. de *bapt. c.* 11. & *Epiſt.* 89. ad *Hil.* Aut ſenſus eſt, mortem regnaſſe etiam ante legem datam & proinde in eos etiam qui non prævaricati legem aliquam ſibi à Deo poſitam, ſicut Adam fecerat, prævaricando præceptum ſibi datum à Deo : ſed ſolùm peccaverunt in legem naturæ. Sentit autem Apoſtolus Adam fuiſſe typum Chriſti. Per Adam enim peccatum & mors intravit in mundum; per

Chriſtum juſtitia & vita. Ex *Auguſt. l.* 1. de *p c. mer. c.* 11.

℣. 15. *Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt: multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.*

Q. d. Non æqualitas eſt in omnibus: nam majus eſt bonum per reparationem factum, quàm fuerit malum per ruinam hominis primi inductum, abundantiorque fuit reparatio in bono, quàm ruina in malo: quia unius delicto multi mortui ſunt, id eſt, uno cadente multi ceciderunt: at gratia & donum reparationis, à Deo facta per gratiam unius hominis Jeſu Chriſti multò majora fuerunt. Nam ille Adam multos morte affecit, hic verò homo Jeſus Chriſtus multos à majore malo liberavit, quàm ſit mors quam ab Adamo contraxerunt: & majora bona contulit, quàm ille abſtulerit. Plus ergo profuit Chriſti gratia, quàm illius caſus nocuerit. ſic *S. Thom.* & *Tol.*

℣. 16. *Et non ſicut per unum peccatum, ita & donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.*

Et, cauſalis loco ponitur. q. d. Quia non ſicut per unum peccatum aut peccantem, mortui ſunt multi: ita donum & gratia fuit, nempè ut à ſolo hoc uno liberaret Chriſtus. Si enim non ab alio malo & peccato Chriſtus ſuâ gratiâ homines liberaſſet, quàm illo quo ab Adam infecti ſumus, eſſet quidem æqualitas; at non ſic eſt, quia non ſicut per unum peccatum mors & ruina venit in mundum. Ita fuit donum gratiæ, ut ab hoc ſolo peccato liberaret gratia.

Nam judicium Dei, inquit, ex uno primi hominis peccato: vel quia unus ille homo peccavit; proceſſit ad condemnationem mortis. Gratia vero Dei non ex uno delicto, ſed ex multis eductos ac liberatos, juſtitiâ donat: quia non tantùm remittit unum illud Adæ peccatum, ſive ab eo commiſſum, ſive ex eo contractum quod ſingulis ineſt, ſed inſuper remittit multa peccata à poſteris Adæ malâ ipſorum voluntate ſuperaddita. ex *Aug. l.* 2. de *Nupt.* & *concup. c.* 27. & *Eſtio.*

℣. 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.*

Tribus ſententiis explicavit, non ſicut delictum, ita eſſe & donum ad benefaciendum. Primò, quia potentius fuit donum ad benefaciendum, quàm malum ad nocendum. Secundò quia Adam uno nos infecit peccato, donum verò à multis liberavit. Tertiò, per peccatum illius mors regnavit: at per gratiam & donum Chriſti nos regnamus in vita, acceptâ abundantiâ gratiæ, donationis & juſtitiæ. Non dixit vitam regnare in nobis, ſed nos in vita: ut oſtendat dignitatem & excellentiam, in quam provexit nos gratia Chriſti: ut ipſi nempè regnemus, & ſimus reges. Dixit abundantiam gratiæ & donationis & juſtitiæ: quia non ſolùm accipimus à peccato Adæ liberationem, non ſolùm à peccatis actualibus remiſſionem & reconciliationem cum Deo, & vitam æternam; ſed ad inexplicabilem amicitiam cum Deo, ſanctitatem, juſtitiam, meritum, gloriæ, & altiorem ſanctitatis gradum,

quàm illum à quo Adam per peccatum nos dejecit, promovemur. ſic *Tol.* poſt *S. Thom.*

℣. 18. *Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.*

Infert per ſimilitudinem concluſionem intentam: quòd ſicut per unius delictum Adæ divinum judicium mortis proceſſit in omnes homines: ita & per unius juſtitiam, id eſt, juſtas & ſanctas ejus actiones, ac nominatim obedientiam, quâ Patri obedivit uſque ad mortem, bonum, ſeu gratia, & vita proceſſit in omnes homines, ut 1. *Cor.* 15.

℣. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem, juſti conſtituentur multi.*

Id eſt. Sicut per unius primi hominis inobedientiam, id eſt, tranſgreſſionem, *multi*, id eſt, omnes ex eo geniti conſtituti ſunt peccatores, utpotè ex illa tranſgreſſione infecti peccato, à quo verè peccatores dicantur & ſunt: ita & per unius Chriſti obedientiam quâ obedivit Patri uſque ad mortem crucis, juſtificabuntur multi, nimirùm quotquot per fidem ex eo renaſcentur. Sic per multos, omnes exponit *S. Aug. l.* 1. de *pec. mer. c.* 15. & *l.* 6. *con. Jul. c.* 12.

℣. 20. *Lex autem ſubintravit ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.*

Nec per legem exiſtimetur aboleri potuiſſe peccatum introductum per Adam, oſtendit legem adeò non valuiſſe ad tollendum peccatum & juſtificandos homines, ut eâ ſuperva-

niente facti fuerint etiam deteriores. Ubi autem peccata occaſione legis inundarunt, & homines convicti ſunt ſuarum tranſgreſſionum: ibi redundavit gratia id eſt, benignitas, & miſericordia Dei peccata remittens, & dona gratificantia tribuens. Nam quantò major iniquitas peccantis, tantò major gratia remittentis: & quantò majorem peccatorem quis fuiſſe ſe agnoſcit, tantò majorem gratiam ſibi confitetur impenſam, ut *Luc.* 7. 1.*Tim.* 1. Vel in qua natura abundavit delictum, ſuperabundavit gratia. ita *Athan.* de adventu Chriſti.

℣. 21. *Ut ſicut regnavit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

Oſtendit effectum gratiæ abundantis, qui quidem eſt per oppoſitum, reſpondens effectui peccati: ut ſcilicet ſicut peccatum introductum per primum hominem, & abundans per legem regnavit, id eſt plenum dominium in homines obtinuit, & hoc quouſque duceret eos in mortem temporalem & æternam: ita & gratia Dei regnet, id eſt, plenè dominetur in nobis per juſtitiam, quam ſcilicet in nobis facit, & hoc quouſque nos ducat in vitam æternam; & hoc totum per Jeſum Chriſtum, qui eſt dator gratiæ, *Joan.* 1. & juſtitiæ, 1. *Cor.* 1. ita *S. Thom.*

CAPUT VI.

Declarat non ideò peccandum ut gratiâ abundet.

℣. 1. *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet?*

UT velle ægrotare ut habeat medicina quod ſanet: ita & velle adhuc peccare ut gratia Dei ſemper habeat quod remittat.

℣. 2. *Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodò adhuc vivemus in illo?*

Mortui peccato dicimur, dum neque nos in peccato vivimus, ei ſerviendo, neque peccatum vivit in nobis regnando. ex *Aug. l.* de *ſpir.* & *lit. c.*6.

℣. 3. *An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus?*

Græci legunt, *in Jeſum Chriſtum in mortem*, ut ad *Gal.* 3. quatenùs in nobis, quando baptizamur, impletur & ſignificatione, & effectu quod Chriſti morte ſignificatur. Nam mors & paſſio Chriſti cauſa fuit noſtræ juſtificationis, & ejuſdem repræſentatio. Significabat enim mortem veteris hominis in nobis, quo modo Chriſtus in ſeipſo mortuus fuit vitæ mortali. Nec ſolùm mors Chriſti, ſed & ſepultura, & reſurrectio, & aſcenſio adumbrant ea quæ in noſtra juſtificatione fiunt, ut ad *Gal.* 2.5.&6. ad *Col.* 2.&3.ex *Auguſt. Enchir.* cap.53. Nam immerſio ſepulturam, emerſio reſurrectionem repræſentat.

℣. 4. *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: ut quomodò Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Sepulti ſumus in mortem veteris hominis & peccati : ſicut Chriſtus in ſepulchro jacens mortuus erat carne mortali. Et ut ſuſcitatus eſt à morte ad novam & immortalem vitam, idque *per gloriam*, id eſt, per glorioſam Patris operationem, ut *Jo.* 17. ita & nos velut ex aqua baptiſmatis emerſi, atque eâ mundificati, novique homines facti, exerceamus opera novæ vitæ, de die in diem proficientes, ut 1. *Joan.* 2.

℣. 5. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.*

σύμφυτοι, id eſt. *Si inſititii* facti ſumus illi, more ſurculorum qui arbori inſeruntur, ut inde ſuccum trahant ; inſiti ſumus morti Chriſti, cujus typum geſſimus in baptiſmo, & per hoc ejuſdem mortis effecti participes, in eo quod mortui ſumus peccatis : etiam & reſurrectionis Chriſti participes effici debemus, tanquam & huic inſiti, cujus æquè in baptiſmo ſimilitudinem geſſimus. In novitate ergo vitæ, quam Chriſti reſurrectio ſignificat, debemus ambulare. ſic *Eſtius.*

℣. 6. *Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultrà non ſerviamus peccato.*

Vetus homo eſt peccati vetuſtas & corruptio quam ex veteri Adam contraxit vel ipſe homo hâc vetuſtate affectus, & hic cum

Chriſto, in typo ſcilicet, cruci affixus, & mortificatus eſt, ut aboleatur & evacuetur corpus peccati, id eſt, ipſe vetus homo, qui deſtruitur quando membra ejus, ut ad *Colloſſ.* 3. mortificamus, id eſt, deſideriis ejus non conſentimus. Vel corpus peccati eſt corpus noſtrum, ut peccato ſubditum eſt, quam carnem peccati vocat c. 8. Vel eſt robur corporis, quod deſtruitur cùm virtus peccati enervatur. Non enim perfectè deſtruitur in hac vita vetus homo & corpus peccati. Servit peccato, qui peccati deſideriis obſequitur, & qui ſub peccati dominio eſt. ſic *Aug.*

℣. 7. *Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato.*

Mortuus nihil agit vitale, ſed abſolutus eſt ab officiis vitæ, quâ priùs vivebat. Sic & nos quia conformati morti Chriſti, in cruce, mortui ſumus peccato ſeu vitæ veteri, juſtificati ſumus, id eſt, abſoluti prorſus à peccato, ut ei non ſerviamus deinceps. Parvulos ante baptiſmum habere peccatum ex hoc colligit *Aug. Enchir. c.* 42.

℣. 8. *Si autem mortui ſumus cum Chriſto: credimus quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto:*

Vitâ gloriæ quam expectamus per reſurrectionem, ut 2. *Tim.* 2. Vel vitâ gratiæ; quia ſicut Chriſtus ſuſcitatus à morte vivit novam vitam, ita nos quoque novam, id eſt, à vetuſtate peccati repurgatam vitam deinceps acturi ſumus. ex *Eſtio.*

℣. 9. *Scientes quod Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.*

Græcè, *non ampliùs ei dominabitur.* Docet

non modò recedendum eſſe à peccatis; ſed in novitate perſeverandum.

℣. 10. *Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem vivit, vivit Deo.*

Quod enim mortuus fuit Chriſtus, id ſemel factum eſt ad deſtructionem peccati: ut mors noſtra qua peccato morimur, in ejus morte repræſentaretur, ad *Heb.* 9. & 10. Quod autem vivit, jam excitatus à morte, vivit vitam glorioſam & immortalem, Deoque dignam. Vel vivit Deo, id eſt, ex Dei virtute præſtante vitam immortalem. ex *Chryſ.*

℣. 11. *Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo, in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

Ita & vos cogitate, reputate de vobis ipſis, nempè vos ſemel mortuos eſſe peccato in baptiſmo; de cætero autem viventes eſſe, ac vivere oportere Deo, id eſt, vitam vivere Deo congruam, quam nulla mors peccati ulteriùs ſequatur, idque per Chriſtum.

℣. 12. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.*

Peccatum intelligit ipſam habitualem concupiſcentiam, quæ eſt fomes peccati. Non quod in renatis verè ſit peccatum, ut contendunt hæretici, ſed quod ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, ut *Conc. Trid.* declarat. *S. ſſ.* 5. *Can.* 5. Non dicit, *non ſit*, ſed, *non regnet*, quod facere poſſumus & debemus, ut *Pſalm.* 118. Quod fit quando ad peccatum ſollicitanti non conſentimus, non obedimus. ex *Auguſt.* in *Pſalm.* 50.

℣. 13.

℣. 13. *Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes: & membra veſtra arma juſtitiæ Deo.*

Scilicet exhibete Deo membra veſtra, velut arma quibus ei militetis ad opera juſtitiæ exercenda quæ vobis imperat. Sicut facere convenit eos qui peccato mortui, jam vivunt cum Chriſto, ſimilitudini ejus reſurrectionis conformati.

℣. 14. *Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.*

Non dominetur. Hebraïſmus enim eſt. Sub lege eſſe dicuntur, qui legis Moſaycæ ſervitute premuntur, gratiâ Dei, quam non agnoſcunt ad eam implendam non adjuti: ſub gratia verò qui ex fide per gratiam Chriſti juſtitiam percipiunt aut expectant, ſive legis Moſaycæ præceptis aſtricti ſint, ſive non. Nam juſti veteris Teſtamenti, quamvis legis ſervandæ debitores, quia tamen non ex lege, ſed ex fide venturi Meſſiæ juſtitiam ſperabant, non ſub lege (prout utitur hac phraſi) ſed ſub gratia dicendi fuiſſent. Unde etiam intelligitur lege abolitâ nullos eſſe ſub lege, ſed ab ea tranſlatos ad gratiam Chriſti per baptiſmum.

℣. 15. *Quid ergo? Peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit.*

Cùm potiùs ex prædictis benè intellectis ſequatur non eſſe peccandum.

℣. 16. *Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam?*

Objectionem ſic ſolvit. Cui quis ſe tradit ad obediendum, ſervus illius efficitur: atqui per gratiam voſmetipſos tradidiſtis in obedientiam fidei vel Evangelii, igitur hujus ſervi eſtis, & ideò non debetis ampliùs peccare, ſed operibus juſtitiæ, quæ præſcribit fides ſeu Evangelium, incumbere debetis.

℣. 17. *Gratias autem Deo, quod fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis.*

Id eſt. Obediſtis in ea forma, vel ſecundùm eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis, id eſt, traducti ſive tranſlati per Evangelii prædicationem. Agit autem gratias Deo, non pro ſervitute peccati, ſed quòd converſi obedierint ex corde, ſeu ex toto animo Evangelio vel fidei. Hæc ergo obedientia, pro qua gratias agit, & opus, & Dei donum eſt, ùt *Eph.* 2. ex S. *Thom.*

℣. 18. *Liberati autem à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.*

Gratias Deo quod liberati à peccati dominio, *ſervi facti eſtis juſtitiæ*, per hoc quod Evangelio obediviſtis.

℣. 19. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.*

Rem non difficilem, ſed humanis rebus accommodam & æquam propono. *Per carnem* intelligit hominem ut carnalis eſt, vel innatam concupiſcentiam; quæ eum facit carnalem & infirmum. *Ad ſanctificationem*, id eſt, ut vitam ſanctam agatis & puram, ut 1. *Theſ.* 4.

℣. 20. *Cùm enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ.*

Id eſt. Quando eratis ſervi peccati, liberi eratis ab honeſta ſervitute juſtitiæ; vel credebatis vos non eſſe obligatos juſtitiæ, ut *Jerem.* 2.

℣. 21. *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt.*

Exhortatio eſt ab effectu utriuſque ſervitutis: & ait ex peccatis nullum fructum verum percipi, niſi erubeſcentiam & mortem æternam.

℣. 22. *Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.*

Quod priùs dixit, *ſervi facti juſtitiæ*, nunc dicit, *Deo.* Ipſam ſanctificationem, ſive ſanctimoniam, & vitæ munditiam, velut fructum habetis ex illa ſervitute & vitam æternam. Sive autem in bonam, ſive in malam partem ſervitutem hic accipias, non ad ſigni-

ficandam actionum neceſſitatem, ſed ipſius hominis ad actiones addictionem, & appropriationem: ſtat enim liberum arbitrium ad eas actiones, in quibus, vel peccato, vel juſtitiæ ſerviunt.

℣. 23. *Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

Conſiderat peccatum ut dominum & regem, qui ſervis ſuis & imperat, & pro ſtipendio rependit mortem. *Gratia autem*, id eſt, donum quod ſervis ſuis dat, eſt vita æterna per Jeſu Chriſti merita accipienda. Et maluit dicere gratiam Dei, quàm ſtipendium juſtitiæ, quod verè dicere potuiſſet, ex *Aug. Ep.* 105. & *l.* de gratia, *cap.* 13. & *Enchir. cap.* 107. *bona merita eſſe Dei munera, quibus cùm vita æterna redditur, quid niſi gratia pro gratia redditur?* Et quia prædeſtinatio, quâ ad ſalutem & vitam æternam prædeſtinati ſumus, prorsùs gratuita eſt, & ab omni prævisione meritorum independens: & quia Deus gratuitò dignatus eſt vitam æternam conſtituere mercedem ac præmium bonis operibus: quibus non ex ipſorum natura, ſed ex Dei beneplacito, quo ita ſtatuit ac promiſit, id competit. Et in metaphora militiæ non ſtipendium, ſed rectiùs *donativum*, dixit *Tertulianus l.* de *reſur. car. cap.* 47. ſic Deus electis præmia ſupra condignum largitur, ex *Eſtio.*

CAPUT VII.

Docet fideles liberos à lege, non vitio legis, quæ bona eſt: ſed peccati, quod per legem cognitum, ejuſdem occaſione magis excrevit.

℣. 1. *An ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit?*

DOcuit fideles liberatos eſſe à ſervitute peccati, jam verò à ſervitute legis: quia lex ipſis mortua eſt, & ipſi viciſſim legi mortui. Per *legem*, Evangelium, vel lex naturæ, vel potius Moyſis intelligitur: & verbum *vivit*, ad hominem vel melius ad legem refertur, ex *Orig.*

℣. 2. *Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri.*

Comparat legem viro & homines legi ſubjectos, mulieri virum habenti. Et ſenſus eſt, mulierem per legem conjugii alligatam eſſe viro viventi, id eſt, quamdiu vivit: vel viventi viro alligata eſt legi, id eſt, tanquam legi. Nam comparat legem viro, & vir eſt quaſi lex mulieris, quia mulier debet eſſe viro ſubdita, eique obedire. Græcè κατήργηται *evacuata eſt*, ex *Tertul.* & *Hilar.* ut ad *Gal.* 5. Alii *liberata eſt*. Id eſt, ſoluta ſive abolita & antiquata.

Lex viri rurſùs eſt lex conjugii, quâ ſub viri poteſtate mulier tenetur, & à qua liberatur per mortem viri. Verti etiam poteſt *à lege viro*, id eſt, à viro qui lex eſt mulieris) *Deut.* 24. *Jerem.* 3. *Gen.* 2. ut 1. *Corinth.* 14.

℣. 3. *Igitur, vivente viro, vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro : ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri : ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro.*

Græcè, *ſi fuerit viro alteri*, id eſt, ſi copulata fuerit alii viro, vivente viro, *vocabitur*, id eſt, accuſata apud judicem.

℣. 4. *Itaque fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per Corpus Chriſti : ut ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificemus Deo.*

Id eſt. Sicut viro mortuo lex conjugii, vel etiam vir ipſe nihil ampliùs habet juris in mulierem : ita lex Moyſi, cui vos Judæi, *fratres mei* in Chriſto, jam mortui eſtis, & quæ viciſſim vobis eſt mortua, nihil ampliùs in vos juris habet, & ei ſubjecti non eſtis. Mortui, inquam, per corpus Chriſti, oblatum in cruce, id eſt, per crucem & mortem Chriſti, quam in corpore ſuo ſuſtinuit. *Epheſ.* 2. Vel *per corpus Chriſti*, id eſt, per hoc quod eſtis incorporati Chriſto, tanquam conjuncti alteri viro, & cum eo facti una caro, *ut ſitis alteri, ei qui ex mortuis ſuſcitatus eſt*, ex *Græc.* & *Tertul.* & *Hilar.* *Ut fructificemus Deo*, id eſt, ut Chriſto tanquam viro noſtro, cui conjuncti ſumus, ex ſemine gratiæ ejus fœcundati, bonorum operum fructus feramus, vel proferamus bona opera, quibus Deo ſervitur. *ſic. Eſtius*

℣. 5. *Cùm enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti.*

Dixit, *ut fructificemus Deo:* quia quando eramus in carne, id eſt, in ſtatu veteris hominis, cujuſmodi ſunt omnes qui ſub lege ſunt, paſſiones peccatorum, id eſt, motus, affectiones ac deſideria peccandi, quæ ſunt & excitantur per legem, exercebantur, & ipſo opere complebantur in membris noſtris. Itaque per ea fructificamus non Deo, ſed morti: id eſt, fructus edebamus mortiferos qui ſunt ipſa peccata: quia finis & ſtipendium peccati, mors. Dixi peccata per legem excitari, ut ab occaſione; & eſſe fructus mortis, quatenùs promovent regnum mortis, & faciunt homines mortis filios & morte dignos.

℣. 6. *Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritûs, & non in vetuſtate litteræ.*

Græcè *evacuati ſumus à lege mortua:* vel ἀποθανόντες, *morientes*, ſed meliùs, *mortuos. Tertulianus* legit. *Evacuati ſumus à lege mortui in qua tenebamur. Ambr.* verò & *Rufin. Soluti ſumus à lege mortui*, viri ſcilicet: nam vetus lex appellatur lex mortis: vel quia nos viro mortuo obſtringebat, vel quia filios mortis pariebat, quia per peccatum operatur mortem æternam. & 2. *Cor.* 3. *littera occidit.* Ut ſit ſenſus. Nos ſolutos à lege jam demortua, ſeu à jure legis, utpotè mortui ipſi legi, in cujus ſervitute detinebamur. Litteræ vetuſtas eſt circumciſio, & ceremoniæ legis, ex *Orig.* & *Chryſ.* Vel ſtatus peccati: novitas verò ſpiritûs,

ſtatus gratiæ, ut novo inito conjugio; novo item viro prolem eo dignam pariamus; bona ſcilicet opera. ex *Hier.*

℣. 7. *Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognovi, niſi per legem: Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces.*

Quia dixerat, *lex ſubintravit ut abundaret delictum*, cap. 5. & cap. 6. *paſſiones peccatorum quæ per legem erant.* Infert: Ergóne lex præcipit peccatum? Obligat, inducit, impellit ad peccatum? Quicquid enim per ſe eſt cauſa peccati, idipſum quodammodo peccatum eſt: ideò concupiſcentia dicitur peccatum hoc capite & ſuperiori. *Abſit.* Quaſi dicat; Lex quæ à Deo eſt, peccatum monſtrat, non præcipit, non promovet, ut cap. 3. *per legem cognitio peccati*, quia imprimis illud oſtenditur, quod peccatum ſit offenſa Dei: deinde pœna mortis propoſita & aliis comminationibus illius gravitas innoteſcit, & quædam eſſe peccata, quæ non putabantur, ut concupiſcentiam, etiamſi in actum non veniat exteriorem, ut ad *Gal.* 5. & *Jac.* 1. quam non extendit ad ſola peccata carnalia, ſed etiam ad ſpiritualia, ut inimicitias, contentiones, æmulationes, ſectas & ad omnes tentationes peccatorum in genere.

℣. 8. *Occaſione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sinè lege enim peccatum mortuum erat.*

Præpoſitio *per*, non cauſam, ſed occaſionem denotat. Et *occaſione* reſponſio quâ legem excuſat, conſiſtit in verbis *occaſione acceptâ*:

quibus aperit quo modo per legem exiſtant paſſiones peccatorum, ſive quo modo peccatum per mandatum operetur omnem concupiſcentiam. Per *peccatum* intelligitur habitualis concupiſcentia, fons & fomes peccatorum, ut ſit hic ſenſus. Concupiſcentiæ vitium in me latens occaſione mandati illius, *Non concupiſces:* per illud ipſum excitavit, & produxit in me omne genus pravorum deſideriorum. Quaſi dicat, ait *Eſtius*, multò latiùs graſſari cœpit, quàm antè, tanquam ipſa prohibitione laceſſitum, ut *Judicum* 2. *nam virtus peccati, lex* 1. *Corinth.* 15.

Et *nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.* Innato amore libertatis, quæ videtur per legem reſtringi, ait *Hugo.* Dicit *ſine lege .... peccatum mortuum*: non ſimpliciter, quaſi non eſſet, ſed velut mortuum, quia non cognoſcitur niſi per legem, & quia vires ſuas non exerebat: ideòque velut ſopitum & mortuum erat, donec à lege excitaretur & apparere inciperet. ex *Auguſt. propoſ.* 38.

℣. 9. *Ego autem vivebam ſinè lege aliquando. Sed cùm veniſſet mandatum, peccatum revixit.*

Id eſt. Videbar vivere vitâ juſtitiæ, ſopito videlicet peccato: quia cùm eſſem ſinè legis cognitione, peccatum etiam ipſum non cognoſcebam, ideòque nec legem prævaricabar: at ubi cognovi mandatum illud legis, *Non concupiſces*; revixit in me peccatum duobus modis, quibus diximus ſinè lege mortuum eſſe. Memineris hìc *Paulum* aliorum perſonam ſuſtinere.

℣. 10. *Ego autem mortuus ſum : & inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.*

Ubi revixit peccatum, ego mortuus ſum morte animæ, cui vita juſtitiæ opponitur : & quidem morte manifeſtatâ propter manifeſtam legis prævaricationem ait *Eſtius*. Vel, *mortuus fui*, id eſt, manifeſtè factus obnoxius morti æternæ, propter manifeſtam legis tranſgreſſionem. Et ſic cognovi legem ſeu legis mandatum illud, *Non concupiſces*; quod à Deo datum fuit, & per ſe ordinatum, ut hominem perduceret ad vitam: *Levit.* 18. hoc ipſum mihi cedere ad mortem, quia morti æternæ me reddit obnoxium.

℣. 11. *Nam peccatum, occaſione acceptâ per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit.*

Peccatum, id eſt, fomes peccati per mandatum quo utebatur tanquam occaſione, decepit me, & aberrare fecit. Non quod anteà juſtus eſſem, ſed quia longiùs me abduxit à via juſtitiæ : & per illud occidit, prævaricatorem me faciens : vel me ſubjiciens reatui mortis æternæ. Qui per *peccatum* Diabolum intelligunt, hæc dicta volunt in perſona Adam.

℣. 12. *Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.*

Quia non præcipit niſi quod ſanctum, juſtum & bonum, nec prohibet niſi iis contraria: ideò non accidit vitio legis aut mandati, quòd homo lege acceptâ fiat deterior, ſed ipſius hominis vitio, qui carnalis eſt. *Mandatum* eſt unaquæque legis pars. *Sanctum* dicitur quoad ceremonialia : *juſtum* quoad judicialia : *bonum*

quoad moralia. ex *D. Thoma*. Vel *ſanctum*, id eſt, purum: *juſtum*, quia præcipit reddi cuique quod ſuum eſt: *bonum*, quia ſi ſervetur, vitam præſtat homini. 1. *Tim*. 1.

℣. 13. *Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.*

Per ſe abſurdum eſt, legem Dei bonam propriè cauſam eſſe mortis: nam diſcernenda eſt cauſa ab occaſione, quæ non eſt propriè cauſa: & uſus rei, ab abuſu. Sed *peccatum ut appareat* evidenter malum, occaſione mandati, quod in ſe bonum eſt; operatum eſt in me mortem, id eſt, rem bonam vertit in meam perniciem, quod eſt argumentum inſignis malitiæ. Sic *Auguſt. ſer.* 6. & 11. de *verb. Apoſt.* Et ſic manifeſtè peccatum, per id quod bonum eſt, parit mihi mortem, utpotè per apertam legis prævaricationem me reddens obnoxium morti æternæ. Vel peccatum mihi factum eſt mors, ut appareat quantum ſit malum per bonum, id eſt, per legem mihi operando mortem. *Ut*, non cauſam ſed eventum ſignificat. *Ut fieret ſecundùm exceſſum*, Græcè, *peccator*, ſeu *peccatrix*, ſeu *peccans peccatum*. ex *Hieron.* ad *Algaſiam*. In quo pereleganti proſopopœia tribuit *peccato* vitam & actiones, & facit quaſi flagitioſiſſimum peccatorem.

℣. 14. *Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato.*

Manifeſtum eſt quòd non ſit culpa legis, dum eâ acceptâ pejor quis redditur. Nam ſcimus legem non ſolùm bonam & ſanctam, ſed &

ſpiritualem eſſe : quia præcipit ea quæ ad ſpiritualem hominem inſtituendum valent. Imperat enim virtutis ſtudium, & vetat vitia, ex *Chryſ.* Dicitur lex vel homo ſpiritualis, vel à ſpiritu hominis & mente, cui carnem opponit: vel potiùs à Spiritu ſancto, ut *Galat.* 5. ex *Hier.* Vel quia ab auctore Deo, qui ſpiritus dicitur; & Moyſi viro in primis ſpirituali data. Vel quia digito Dei, hoc eſt, ſpiritu Dei ſcripta. Vel quia nos adducit in cognitionem & cultum Dei, qui ſpiritus eſt. ex *Ambr.* Vel quia non poteſt niſi ab homine verè ſpirituali ſervari, quem Spiritûs ſancti gratia, & ſanaſſet & renovaſſet. Vel quia cum hominis mente & ratione, id eſt, hominis ſpiritu benè congruit, ex *D.Thom.* & quia ad promovendum & firmandum ſpiritum conducit. Vel quia oporteat eam divino ſpiritu interpretari & ſequi. Dum ait *Paulus*, *Ego carnalis ſum*; loquitur in perſona hominis ſub lege conſtituti, in quo adhuc regnat peccatum: quique pugnat cum peccato: ſed carnis infirmitate ſuccumbit. ex *Aug. q.* 66. *l.* 83. *Chryſ.* & *Theod.* Vel Meliùs, in perſona hominis juſti, & ſub gratia conſtituti. ex *Aug.* in *retract. l.* 1. *c.* 23. & 26. & *l.* 2. *c.* 1. & l. 6. & *Hilar.* & *Greg. Naz.* & *Ambr.* & *Hier.* ad *Algaſ.* & *Euſtach.* ait Apoſtolum hæc dicere in ſua & juſtorum perſona, ut ad *Gal.* 5. Et cum ait, *Ego autem carnalis ſum:* intelligitur non mente, ſed carne adhuc concupiſcente contra ſpiritum: quod non eſt abſolutè carnalem eſſe, ſed ſecundùm quid, quatenùs homo renovatus per gratiam, adhuc fomitem peccati circumfert aſſiduè commoventem in ipſo peccandi deſideria. *Venundatus* ad peccatum faciendum, in ſervitutem peccati tanquam domini, ut *Reg.* 21. & 1. *Machab.* 1. non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, id eſt, ſecundùm carnem.

℣. 15. *Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio.*

οὐ γινώσκω, *non approbo, non accepto, non mihi placet, non conſentio*, quin potiùs improbo, repugno, ex *Aug. ſer.* 5. de *verb. Apoſt. c.* 8. nam ad affectum, non ad intellectum hæc referenda ſunt. Unde maximè cognoſcitur ſervitus peccati: emptitii enim multa operantur inviti & nolentes. *Operor* autem non mente: ſic enim ea cognoſcerem, id eſt, approbarem, ſed carne excitante in me motus ac deſideria peccandi: quia motus & appetitiones partis inferioris reverà ſunt operationes hominis tanquam ſuppoſiti, licèt non ſubjectæ rationi, ex *Aug. ſer.* 43. de *verb. Dom.* Sicque *Paulus* duos velut homines ſibi repugnantes in ſingulis hominibus confingit: unum carnalem, alterum ſpiritualem. Et quod carnalis in Adam operatur, ſpiritualis in Chriſto non approbat: *Non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio.* Nam ſpiritualis bonum prudenter expetit, & quod turpe & malum, odit: ſæpe verò naturæ quâdam imbecillitate ſecùs accidit: ſive propter ſubitas titillationes cupiditatis, ex *Aug.* ſive propter irrepentes inanium rerum cogitationes, ex *Methodio*, ſive quia peccator flagitiorum veluti pondere gravatus, ad alia flagitia trahitur, quæ mala eſſe intelligit: contra verò videt meliora probatque, & tamen deteriora ſequitur, ex *Oecum.* ſive quia peccator bonum & honeſtum utcumque expetit, virium tamen imbecillitate, divinæ præſertim gratiæ præſidio deſtitutus, id quod appetit, præſtare non poteſt, ex *Chryſ.* & *Theod.* Sunt qui bonum quod appetimus nec perficimus, rerum

divinarum contemplationem intelligunt, contra verò malum quod nolentes perſequimur, externarum rerum occupationes, ut *Caſſian. col.* 22. *c.* 15.

℣. 16. *Si autem quod nolo, illud facio: conſentio legi, quoniam bona eſt.*

Si quod mente non volo, ſed odi, illud ago: videlicet carne concupiſcendo, jam legi conſentio, dicenti, *non concupiſces*, tanquam bonæ: quia voluntas mea quâ nolo quod facio, legi conſentanea eſt, quæ vult me hoc nolle. Itaque conſentio legi, non ſolùm intellectu judicans quòd bona ſit, ſed etiam voluntate me ei conformans: quod utique eſt hominis juſti.

℣. 17. *Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*

Explicat quod dixerat, *illud facio*, quia revocatus per gratiam legi conſentio: nunc non ampliùs ego operor malum, ſicut faciebam conſtitutus ſub lege, ſed peccatum in me habitans illud operatur, id eſt, concupiſcentia mihi inſita, pravos motus in me excitat non conſentiente. Dicit ſe non operari, quia patitur eos; & non operatur, ut homo, ſeu ex imperio rationis. Dicit habitare fomitem peccati, quia ſemper durat quamdiù vivimus.

℣. 18. *Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio.*

Exponit quod dixerat ſe carnalem eſſe, & venundatum ſub peccato, & malum facere quod non vult, ſed odit. Nam cùm dicit, *in me, hoc eſt in carne mea*, ſignificat ſe ea dixiſſe

de ſe ſecundùm carnem, & non abſolutè. Quaſi diceret. Novi per experientiam in me, quatenùs caro ſum, id eſt, carnalis, non habitare bonum, ſed malum. Inhabitat autem bonum, quatenùs membra corporis ad bona agenda moventur à mente renovata per inhabitantem Spiritum ſanctum, ut *c.6.* & 1.*Cor.* 3. & 2. *Cor.*6. *cujus ſunt templum.* ex *Aug. l.* 1. *de nuptiis & concup. cap.*31. qui *lib.*3. contra *Julian. cap.* ultimo notat in Græco non legi, *Non invenio*, ſed in Syrio, *impotens ſum.* Id eſt. Quamvis velle bonum etiam perfectè mihi adſit, jam renovato per gratiam (nam quod ad mentem attinet, volo non concupiſcere, ne carne quidem) attamen propter malum illud habitans in carne mea, non invenio, non aſſequor, ut totum bonum quod volo faciam, ſive perficiam: quia permanet in me, carne concupiſcere, & facere quod nolo.

℣. 19. *Non enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago.*

℣. 20. *Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*

Repetit quod dixerat, & innuit ſe facere ſecundùm carnem, quod tamen ipſe homo mentis deliberatione nolit.

℣. 21. *Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet:*

Per *legem* ipſum habitans in nobis peccatum, ſeu concupicentiam quæ fomes peccati eſt, intelligit, quatenùs ad peccatum ſollicitat, & incitat *Tolet.* & *Juſtin.*, Plures in hunc locum recenſent expoſitiones.

℣. 22. *Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem:*

Lex Dei utpotè juſta, ſancta & bona delectat me, non quâvis parte mei, ſed ſecundùm hominem interiorem, id eſt, ſecundùm mentem, ut 2. *Cor.* 4.

℣. 23. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.*

Quæ pudor vetat nominari: in toto homine exteriore, Græcè *rebellantem.* Quaſi diceret. Quæ lex bellum movet adversùs legem Dei, in qua ſecundùm mentem condelector, *Gal.* 5. Nec tamen ſequitur ipſam concupiſcentiam quæ in renatis eſt contraria legi Dei; ipsâ lege Dei prohiberi, ut contendunt hæretici. Nam præcepta, & prohibitiones non fiunt niſi voluntati. Ideò ait *Paulus* nihil iis eſſe damnationis, quia nihil ſit peccati. Et cùm dicit *captivantem me*; intellige ſecundùm carnem: & motione, non conſenſione, ut loquitur. *Aug. l. de nup. c.* 30. & 31.

℣. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Exclamat jugo ac ſervitute peccati preſſus, ſecundùm carnem, & ad libertatem anhelat. *Corpus mortis* vocat corpus mortale, Hebræâ phraſi, ut *Vir mortis*, 3. *Reg.* 2. & filius gehennæ. Optat autem ita eripi de hoc mortali corpore, ut idem aliquando recipiat immortale, & ab omni corruptione & peccati ſervitute liberum.

℣. 25. *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei: carne autem, legi peccati.*

Se conſolatur ac ſibi ipſi reſpondet *Gratia Dei*, id eſt, gratuita Dei bonitas per Jeſum Chriſtum liberabit me de hac corruptione. Græci & Syriac. legunt. *Gratias ago Deo per D um Jeſum.* Et ſenſus eſt. Gratias ago Deo, qui per Jeſum Chriſtum me vocavit in ſpem certam liberationis à corpore hoc mortali. ex *Hier.* Alii, *Gratia Dei* vel *Deo*, ſubaudi *ſit.* Et ne quis eum ſub aliena perſona locutum fuiſſe putaret, concludit αὐτὸς ἐγὼ, *ipſe ego.* Et emphaticè declarat ea quæ dixit ab eo loco, *Ego aut m cárnalis ſum.* Diſtinctione tum ſui, id eſt, mentis & carnis, tum legum contrariarum, quæ ſunt lex Dei, & lex peccati. Quarum alteri mente, alteri carne ſervire ſe dicit. Ac ſi dicat. Ego unus idemque, mente quidem ſervio legi Dei, carne autem legi peccati, ut *Jacob.* 13. *ex ipſo*, id eſt, eodem, & *Hebr.* 13. *Ipſe & in ſæcula*, id eſt, idem, ex *Auguſt.* *ſer.* 6. de *verb. Apoſt.*

CAPUT VIII.

Oſtendit nos ſolutus à lege mortis per Chriſtum.

℣. 1. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.*

HAnc alteram concluſionem infert ex iis, *quod enim op ror, non intelligo*, & aliis ſequentibus. Ex iis enim ſequitur involuntarios eſſe concupiſcentiæ motus in renatis & juſtis, quibus proinde ad pœnam imputari non poſſunt. Quaſi dicat. Iis qui ſunt *in Chriſto Jeſu*, id eſt, inſiti & renati in eo per baptiſmum, nihil *eſt damnationis*, id eſt, pœnæ pro peccato inflictæ, vel infligendæ, vel nihil damnatione dignum eſt, ut 1. *Tim*. 5. quod eis impediat aditum regni cœleſtis. Qui ſint qui *ſecundùm carnem non àmbulant*, docet *Aug*. *l*. 14. de *civit*. *c*. 2. In Græco additur, *ſed ſecundùm ſpiritum*.

℣. 2. *Lex enim ſpiritûs vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me à lege peccati, & mortis.*

Lex ſpiritûs eſt gratia Chriſti, quâ lex Dei ſcribitur in cordibus noſtris, qui ſpiritus vitæ, id eſt, vivificus vocatur, quia vitam dat quâ Deo vivimus: Vel dicitur lex ſpiritûs & vitæ, ſicut infra lex peccati & mortis. *In Chriſto Jeſu*. Quidam referunt *ad vitam*: alii *ad liberavit*. Sic ut ampliùs lex peccati mihi non dominetur, quia motibus ejus pravis non conſentio;

neque reum mortis me teneat, quia reatus ejus in baptiſmo ſolutus eſt. Hinc infertur nihil eſſe damnationis iis qui ſunt in Chriſto Jeſu; nam in eorum perſona de ſe loquitur.

℣. 3. *Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccat, & de peccato Damnavit peccatum in carne,*

Ratio ſuperioris ſententiæ, quâ declarat quomodo lex Spiritûs nos liberavit à lege peccati & mortis; nam præſtitit quod lex illa Moyſis præſtare non poterat, non enim ad perfectum adducit, ad *Heb.* 7. Et ne legem incuſare videatur, culpam rejicit in carnem, id eſt, concupiſcentiam. Nam quia peccando carnalis factus eſt homo, & per hoc, ad bonum quod lex præſcribit, infirmus, ideò gratiâ Christi indiget ut legem impleat: vel ex Græco *Impoſſibile legis*, id eſt, impoſſibilitas implendæ legis ex eo procedebat, quia lex erat infirma per carnem, ſeu propter carnem; ideò ex Græco Deus ſuo ipſius filio, miſſo in ſimilitudine carnis peccati, præſtitit per ſuam gratiam ex merito Chriſti filii ſui, quod lex per carnem infirma non potuit. Vel eſt Hebraïſmus, *mittens* pro *miſit*. Non dicit, in ſimilitudine carnis, ut Manichæi, qui contendunt ſpeciem tantùm carnis aſſumpſiſſe, ſed *in ſimilitudine carnis peccati*, id eſt, habentem ſpeciem carnis obnoxiæ peccato, nempè in eo quia mortalis natus eſt, ac miſerias & mortem paſſus, quæ debentur peccatoribus, ut notat *Aug. ſer.* 6. & 31. *c.* 8. de *verb. Apoſt.* Quod ergo legi erat impoſſibile, Deus miſſo filio ſuo in ſimilitudine carnis, idque propter peccatum expugnandum & abolendum, damnavit pec-

catum in carne ejuſdem filii ſui. Sic *Oecum.* & *Theoph.* Alii dicunt carnem peccati, quia ex peccatoribus ortam. Alii nomine peccati, ſimilitudinem carnis peccati ſignificari: vel Chriſtum qui peccatum dicitur 2. *Cor.* 5. vel peccatum Judæorum, de quo Deus damnavit peccatum, quia de peccato eorum qui Chriſtum crucifixerunt, factum eſt, ut ſanguinem ſuum in remiſſionem funderet peccatorum, ait *Aug. l.* 2. *cont.* 2. *epiſt. Pelag. c.* 6. & *ſer.* 6. de *verb. Dom.* Vel quia, ut ait *Leo ſer.* 18. de *paſ.* diaboli opus de opere diaboli ſolvit; Vel mortem Chriſti, vel paſſionem quia magnum fuit peccatum ex parte Judæorum eam inferentium, ſed ex parte Chriſti patientis fuit damnatio & deſtructio peccati. Vel *de peccato damnavit peccatum*, id eſt, peccati condemnavit peccatum, & ipſum ſceleris reum fecit, quod non ſolùm fuiſſet ſuprà modum peccans, augendo prævaricationes in humano genere: ſed & prætereà miſiſſet manum in Chriſtum innocentem & tanquam peccatorem egiſſet in mortem: ut eam ob cauſam meritò condemnandum fuerit & è medio tollendum. Nam licet Deus ſolo nutu voluntatis abolere potuiſſet peccatum, convenientiùs tamen ei viſum eſt ſi hâc juſtitiæ viâ procederet ad deſtruendum regnum peccati, ait *Eſtius*.

℣. 4. *Ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus; ſed ſecundùm ſpiritum.*

Id eſt, ut nos legem impleremus; & ſic juſti eſſemus: quia, ut dicit *cap.* 2., *factores legis juſtificabuntur. Juſtificatio* Græcè δικαίωμα pro juſtitia ponitur, ſicuti & cap. 5. ℣. 18. in his verbis, *per unius juſtitiam.* Igitur juſtificatio legis eſt juſtitia, quam præcipit lex Dei, & quam exercendo legem Dei implemus.

℣. 5. *Qui enim ſecundùm carnem ſunt: quæ carnis ſunt, ſapiunt. Qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt: quæ ſunt Spiritûs, ſentiunt.*

Probat eos qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed ſecundùm ſpiritum, evaſuros damnationem: alioqui non evaſuros, etiamſi per baptiſmum Chriſto inſiti fuerint, ut patet ex *verſ.* ſequenti. Et ſpiritum intelligit, non hominis, ſed Dei, ex *D. Thom.*

℣. 6. *Nam prudentia carnis, mors eſt: prudentia autem ſpiritûs, vita, & pax.*

Id eſt. Sapere, providere ea quæ carnis ſunt, mortem adfert & meretur æternam, ut *c.* 6. Sapere verò quæ ſunt Spiritûs ſancti, parit vitam æternam, eamque meretur. Prudentia carnis, mors eſt. At qui ſecundùm carnem ambulant, ſapiunt quæ carnis ſunt; ergò morientur. Prudentia ſpiritûs, vita eſt, & pax. At qui ſecundùm ſpiritum ambulant, ſapiunt ea quæ ſunt ſpiritûs; ergo vitam conſequentur & pacem. Obſcuritas tolletur ſyllogiſmi ſi interpreteris *nam*, per *atqui*, ex *D. Thom.*

℣. 7. *Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo; legi enim Dei non eſt ſubjecta: nec enim poteſt.*

Subaudi, ſubjici legi Dei. Id eſt, Homines quamdiù ſapiunt ea quæ carnis ſunt, Deo ſubjici non poſſunt.

℣ 8. *Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.*

Quia per illam carnis prudentiam Deo conſtituuntur inimici. Hæc pars eſt velut conclu-

ſio ex præcedentibus, & ideò quidam legunt *igitur* non *autem*.

℣. 9. *Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.*

Vos jam baptizati & per Spiritum ſanctum renati, non eſtis ſubditi carni, ut ſapiatis ea quæ carnis ſunt, & ſecundùm carnem ambuletis: ſed eſtis ſubditi ſpiritui, ut ſapiatis ea quæ ſpiritûs ſunt, & ſecundùm ſpiritum ambuletis; ut *Joan.* 3. Græci legunt *ſi quidem*, vel *quandoquidem ſpiritus Dei habitat in vobis* (per fidem vivam, videlicet, & charitate firmatam, & per opera inde procedentia) propterea in ſpiritu eſtis, ex *Theophyl.* Si quis autem non habet inhabitantem ſpiritum Chriſti, aut non agitur ſpiritu Chriſti: hic ad Chriſtum non pertinet, intellige, tanquam vivum ejus membrum.

℣. 10. *Si autem Chriſtus in vobis eſt: corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus verò vivit propter juſtificationem.*

Id eſt. Si quis ſpiritum Chriſti habet: corpus quidem morti obnoxium eſt, idque propter peccatum *cap.* 5. vel propter peccatum vitandum, quia prodeſt nobis ad ſervandam humilitatem iſta mortalitas. *Chryſ.* legit, *ſecundùm peccatum, ſecundùm juſtitiam.* Ut ſit ſenſus. In iis quos Chriſtus inhabitat, corpus mortuum eſſe, quantum ad peccatum attinet, ſpiritum verò vivere, ſeu vitam eſſe, quoad operationem juſtitiæ. Vel meliùs. Si Chriſtus in vobis eſt, tunc etſi corpus veſtrum mortuum eſt *propter peccatum*, ſpiritus tamen veſter,

ſive mens veſtra vivit vitâ gratiæ per juſtitiam, quam efficit Chriſti ſpiritus in vobis habitans, ut 2. *Cor.* 4. *Syriacus* pro *vivit*, legit *vita*, ut *Ambroſ. Tertul. Hilar. Aug. Iren.* & intelligunt Spiritum non hominis, ſed Dei; hoc ſenſu. Si Chriſtus in vobis eſt; igitur Spiritus ejus vita veſtra eſt, id eſt, vitam vobis tribuit ac vivere vos facit per juſtitiam, quam in vobis efficit, ut ad *Gal.* 2. *Oecumenius* intelligit ſpiritum hominis, ut ſenſus ſit. Quamvis corpus noſtrum adhuc ſit in morte & corruptione: ſpiritum tamen noſtrum gratiâ Chriſti jam renovatum vivere per juſtitiam, adeòque ejuſdem Chriſti beneficio ſperandam nobis ipſorum etiam corporum immortalitatem, per reſurrectionem à mortuis.

℣. 11. *Quod ſi ſpiritus ejus qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis.*

Id eſt, ſpiritus Dei habitat in vobis per juſtitiam, vivificabit Deus mortalia corpora veſtra, ſuſcitando ea ad vitam immortalem & beatam (loquitur enim de reſurrectione juſtorum) exemplo capitis & primogeniti mortuorum. Et innuit Spiritum ſanctum, non solùm in mentibus juſtorum habitare, ſed etiam in corporibus; ut quæ propterea quòd templa fuerint Spiritûs ſancti, digna habeantur honore beatæ & glorioſæ reſurrectionis, 1. *Cor.* 6. Non *propter* ſed *per*, legit *Ambr.* & *Auguſt.*

℣. 12. *Ergo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus.*

Id eſt. Servitutem debemus, qui Chriſto jam

inſiti ſumus, *non carni*, ut deſideriis ejus obſequamur, ſubaudiendum, ſed ſpiritui, ut ſecundùm ſpiritum vivamus.

℣. 13. *Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Moriemini æternâ morte, eo quod non habueritis Spiritum ſanctum inhabitantem ſeu perſeverantem uſque ad mortem, ex *Chryſ. Spiritu*, id eſt, per ſpiritum ſanctum. *Facta carnis*, id eſt, concupiſcentiæ, ſeu opera carnis, ut *Gal.* 5. quæ per ſpiritum mortificamus, quando ipſo in nobis & nobiſcum operante pravis motibus non conſentimus. *Vivetis* vitâ æternâ, non ſolùm animarum, ſed etiam corporum; ad, quam vitam, propter inhabitantem ſpiritum ſuum in vobis, Deus ad exemplum filii ſui vos reſuſcitabit.

℣. 14. *Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.*

Probat quod dixit *vivetis*: nam ii ſunt filii Dei per adoptionem, qui renati per baptiſmum, non qui catechumeni, ſpiritu Dei aguntur, non coactè (ut volunt hæretici) neque neceſſitate, ſed inclinatione paſſivâ, quâ voluntas efficaciter agitur & inclinatur: quæ tamen non excludit libertatem voluntatis, quâ homo etiam ipſe agat, & ut ita dicam, ſeipſum agat, & quidem liberè ad ea opera ad quæ agitur & inclinatur à ſpiritu Dei: videlicet ipſo eodem ſpiritu totum hoc ut agat agente, ex *Auguſt. ſerm.* 13. de *verb. Apoſt. cap.* 11. & 43. de *verb. Domin. cap.* 7.

℣. 15. Non

℣. 15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.*

℣. 16. *Ipſe enim Spiritus teſtimonium, reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei.*

Ex eo quòd renati per Chriſtum, per ſpiritum quem acceperunt, Deum invocant ut Patrem, oſtendit eos eſſe filios Dei, & proinde heredes vitæ æternæ. Spiritui ſervitutis *in timore*, vel *in timorem*, opponit ſpiritum adoptionis: qui cùm intelligatur Spiritus ſanctus, non poterit ſpiritus ſervitutis illi contrarius intelligi, niſi ſpiritus malus, id eſt, diabolus, ex *Aug. propóſ.* 52. Sed meliùs intelligitur ſpiritus Dei: ſic tamen, ut pro dono accipiatur, cujus autor eſt ſpiritus; nempè pro dono timoris, ex *Aug. ſerm.* 13. *de verb. Apoſt.* quia à ſervitute peccati hominem non liberat: vel quia ſervis convenit. Sed accepiſtis ſpiritum infundentem cordibus charitatem. Vel accepiſtis per ſpiritum gratiam adoptionis, id eſt, charitatem. *In quo*, id eſt, per quem ſpiritum in nobis operantem clamamus: *Abba, Pater*, quia filiorum Dei eſt Deum Patrem vocare, *Matth* 6. Ante Chriſti adventum fuerunt filii Dei adoptivi, quotquot juſti fuerunt: ſed non audebant Deum vocare Patrem. Nos verò poſt adventum ejus, præceptis ſalutaribus moniti, audemus dicere, Pater noſter, &c. Nomen Patris toti Trinitati commune hic eſt. *Abba, Pater*: rem eamdem ſignificant, ad denotandum vel vehementem filiorum Dei orantium affectum, vel Spiritum ſanctum duobus modis teſtari: uno modo directè, expreſſè, & ſinè obſcuritate, ut 2. *Regum* 12. *Dominus tranſtulit peccatum*

tuum & *Luc.* 5. & 7. Alio modo obſcurè & obliquè; ut 1. *Joan.* 3. vel Spiritum Sanctum teſtari ſpiritui noſtro, ſive cum ſpiritu noſtro, nos eſſe filios Dei. Loquitur autem in perſona juſtorum, id eſt, eorum qui verè ſunt filii Dei, quibus Spiritus ſanctus perhibet teſtimonium, non tamen cuique de ſe planè certum, ſed tantùm probabile quòd ſunt filii Dei. Quo fit ut nullus certus ſit, ſe eſſe juſtum & filium Dei. 1. *Cor.* 4.

℣. 17. *Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.*

Filii jus habent hereditatis, ad *Gal.* 4. & 1. ad *Tim.* 2. *Pſalm.* 36. Et benè hæc duo conſiſtunt, percipere jure hereditario, & ex meritis. Ut enim filius, etſi patris heres, obedire tamen debet præceptis patris, alioqui jure exheredandus: atque eâ obedientiâ nihilominus hereditatem meretur. Sic & nos filii Dei per adoptionem facti, eoque jure Dei heredes, obſervatione tamen præceptorum per ipſius gratiam nos hæreditate dignos reddere debemus. Non enim jure debitum pugnat cum gratia; quando & ipſum jus quo quid debetur, ex gratia habetur. Nam ſicut Chriſtus, quamvis filius eſſet & heres; merito ſuæ paſſionis ad gloriam pervenit: ita ſentit Apoſtolus etiam nos jam filios & heredes merito patientiæ, quâ Chriſto compatimur, gloriæ ejus conſortium adipiſci.

℣. 18. *Exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Suadet à præmii magnitudine eſſe patiendum: *enim* pro *autem*. Græcè, *non ſunt digna, pares,*

ſeu *comparabiles*. *Indigna ſunt*, *impares ad gloriam ſuo tempore revelandam*, ſeu *manifeſtandam erga* vel *circa nos*; videlicet in adventu Chriſti ad judicium, ut 2. *Cor*. 4. quatenùs paſſiones illæ leves ſunt & momentaneæ, cum gloria, quæ ſuprà modum magna eſt & æterna, comparatæ. Quæ tamen eâ gloriâ dignæ ſunt, & eam promerentur, quatenùs illam, velut conſtitutam & promiſſam à Deo mercedem nobis operantur, & pariunt.

℣. 19. *Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat.*

Hilar. l. 12. de *Trin*. longinquam expectationem interpretatur; ut indicet jam pridem à mundi exortu expectationem illam vehementem & anxiam cœpiſſe. Eleganti enim proſopopœia ſenſum & motum rebus omnibus creatis tribuit, & fingit creaturam, id eſt, mundum expectantem, dum ea gloria in nobis filiis Dei manifeſtetur, ut & ipſa gloriæ particeps fiat.

℣. 20. *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit eam in ſpe:*

Rationem reddit tam ſollicitæ expectationis. Per vanitatem intelligit non ſolùm viciſſitudines & alterationes, ſed eam quâ mundus in pejorem ſtatum mutatus eſt per peccatum hominis, *Gen*.3. & permiſſus eſt magna ex parte poteſtati principis hujus mundi. Propter quod & multæ creaturæ ſanctificantur. 1 *Tim*. 4. ut illius poteſtas cohibeatur ne noceat per eas. *Non volens*, id eſt, non lubens, non ſponte ſuâ, id eſt, non ex naturæ propenſione, cùm unaquæque res ſuam naturaliter appetat perfectionem & fugiat defectum: ſed ex ordinatione & velut præcepto Dei, qui illam, hominis culpâ ſic exigen-

te, ſubjecit huic vanitati, non in perpetuum; ſed factâ ei ſpe liberationis.

℣. 21. *Quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Hieron. in Habac. 3. creaturæ ſervitutem & liberationem extendit ad corpora cœleſtia adducens, *Iſa.* 30. ℣. 26. Nam in reſurrectione hominum futura eſt renovatio totius creaturæ. 2. *Pet.* 3. *Apoc.* 21. *Iſa.* 65. Et *Ambr.* in *Epiſt.* 21. & 22. ad Angelos hominum cuſtodes quod benignè debet interpretari, quia velut manumiſſi liberi erunt cœli & Angeli ab obſequio quod præſtant homini mortali. Nam reverà loquitur Apoſtolus de creatura corporea & de mundo, non de Angelis, ex *Aug. quæſt.* 67. *inter* 83. *In libertatem*, id eſt, quando filii Dei ſuam aſſequentur perfectam & glorioſam libertatem: vel in imitationem & exemplum libertatis: vel propter libertatem. Nam mundus propter hominem factus eſt, ex *Chryſ.*

℣. 22. *Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit. & parturit uſque adhuc.*

Græcè *congemiſcit & comparturit*; *condolet*, ut legit *Ambr.* l. 1. de *fide*, c. 6. quidam ſubaudiunt nobis vel nobiſcum: ſicut enim nobiſcum ſubjecta eſt creatura vanitati corruptionis, & nobiſcum liberationem expectat: ita etiam unà nobiſcum ingemiſcere & parturire dicitur, id eſt, in modum parturientis dolere, cum expectatione illius temporis, quo ſimul nobiſcum libertatis & gloriæ particeps fiat. Alii dicunt ſignificari gemitum & dolorem communem inter ſe partium creaturæ. *Uſque adhuc*, vel *uſque nunc*, & deinceps donec reveletur gloria filiorum Dei.

℣. 23. *Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias Spiritûs habentes; & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.*

Hoc in perſona omnium regeneratorum dicitur, qui principium aliquod & guſtum Spiritûs ſancti velut pignus acceperunt, in donis ſibi collatis interim aſpirantes ad plenitudinem illam ſibi repoſitam in futurum, ex *Chryſoſt.* Vel in perſona Apoſtolorum & primorum fidelium, in quos copiosiùs effuſa fuit gratia Spiritûs ſancti, qui tamen gravati corpore mortis hujus, intra ſeipſos gemunt, ex *Sedulio*, & *S. Thoma.* Vel de utriſque dicitur, ex *Origine.* Comparat primitias ſpiritûs ad integrum plenumque proventum, ſeu ad eam abundantiam quam accepturi ſumus in cœlo. Ideòque nunc pignus ſpiritûs, nunc pignus hæreditatis vocat, 2. *Cor.* 1. & 5. *Epheſ.* 1. Adoptionem filiorum Dei expectare dicit, qui tamen jam per baptiſmum in Dei filios adoptati ſunt: quia qui jus hereditatis nunc habent, poſſeſſionem ejus expectant: quia duplex adoptio: una imperfecta in hoc mundo: alia perfecta in cœlo, ex *Theophyl.* Ut duplex regeneratio, una ad gratiam per baptiſmum, *Joan.* 3. alia ad gloriam per reſurrectionem, *Matt.* 19. *Redemptionem corporis* vocat, quia beata reſurrectio corpora noſtra nobis reſtituet: non qualia nunc habemus, ſed libera ab omni corruptione mortalitatis: & quia libertas illa fuit pretio ſanguinis Chriſti nobis comparata. *Ambroſ. in Epiſt.* 22. redemptionem corporis intelligit Eccleſiæ, quæ meliùs corpus Chriſti, quàm noſtrum dicitur, 1. *Cor.* 12. *Eph.* 1. 4. & 5. *Coloſſ.* 1. Alii redemptionem corporis intelligunt à corpore.

℣. 24. *Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat?*

Id eſt. Nondum reipsâ, ſed ſpe ſolâ ſalvi & beati facti ſumus, & ideò adhuc gemimus, exſpectantes corporum noſtrorum redemptionem, & cum ea beatitudinem conſummatam. Nam ſicut fides eſt rei non viſæ: ſic ſpes eſt rei futuræ, non præſentis. Re enim adeptâ quæ ſperabatur, nulla cauſa ſperandi ſupereſt.

℣. 25. *Si autem quod non videmus, ſperamus: per patientiam expectamus.*

Concluſio eſt. Si ſperamus ſalutem, & ſpes eſt futurorum, ergo cum patientia ſervitutis ac miſeriæ præſentis expectare debemus adoptionem ac libertatem gloriæ filiorum Dei.

℣. 26. *Similiter autem & ſpiritus adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Græcè, *itidem & ſpiritus ſublevat infirmitates noſtras*, id eſt, nos graviter infirmos, ùt qui non ſolùm premimur pondere mortalitatis noſtræ, ſed etiam vitio ignorantiæ & concupiſcentiæ carnis. Cur autem dicat *conſimiliter*, cùm nihil præcedat ſimile quod ſpiritus facere dicatur: *Origenes* refert ad verbum ingemiſcendi ſic. Non ſolùm omnis creatura ingemiſcit, ſed etiam nos, ſimiliter & ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus. *S. Thomas* ad *vivificabit*, ſimiliter & in hac vita *adjuvat* infirmitatem. Alii ad id quòd nos faciat Dei filios, & teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. Alii ad id poſtremum, ſicut ſpiritus

conteſtificatur ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei: ſic etiam nos infirmos idem ſpiritus coadjuvat, ut quæ non videmus, per patientiam expectemus. Adeò autem ſumus infirmi, ut non ſolùm egeamus auxilio ſpiritûs ad ea quæ ſcimus agenda, vel toleranda, ſed ſæpe neſciamus quid nobis expediat, & proinde quid à Deo petere & quo modo petere debeamus; nam quædam abſolutè & quædam conditionaliter, petenda ſunt, & magis neceſſaria, quàm minùs. *Aug. Ep.* 121. *de orando Deo*, c. 14. explicat hoc de afflictionibus & tentationibus, quæ poſſunt prodeſſe & nocere, ut 2. *Corinth.* 12. & *Jerem.* 14. Et cum dicat Apoſtolus quòd *ipſe ſpiritus* poſtulat ſeu intercedit, ex Græco, non alium quam Spiritum ſanctum intelligit, qui poſtulare ſeu intercedere pro nobis dicitur: eo quòd efficaci ſuâ in nobis operatione, nos orantes ac poſtulantes faciat, ait *Eſtius*, ùt *Gal.* 4. *Matth.* 10. 1. *Timoth.* 2. Quamvis *Chryſoſt.* dicat eſſe ſpiritum hominis, quatenùs gratiam à Spiritu ſancto accepit: vel ipſum Orationis donum hominibus à Spiritu S. infuſum. *Pro nobis*, id eſt, defectum noſtrum ſupplens & adjuvans, dum facit nos poſtulare. Nec tamen Pater, nec tota Trinitas poſtulare rectè dicitur, ſed tantùm perſona quæ accipit ab alia, quòd faciat homines poſtulantes. Nam ut mitti, ſic & poſtulare reſpicit alterum, à quo vel accipitur aliquid, vel expectatur: quod patri non competit. Et attribuit ſpiritui ſancto, tanquàm nos tenerè diligenti, affectum veluti maternum, dicens eum poſtulare pro nobis *gemitibus inenarrabilibus*: quia nos inhabitans gemitus inenarrabiles in nobis excitat. Qui ſic dicuntur, quia procedunt à deſiderio rei ineffabilis, id eſt, cæleſtis gloriæ; vel quia ipſi motus cordis, ut ſunt à

Spiritu ſancto, enarrari non poſſunt, ex *S. Thomæ*. Vel quia propter cordis noſtri cæcitatem inſcrutabile eſt, & ideò ineffabile, quinam ſint iſti gemitus, & orationes noſtræ Deo placitæ ad exaudiendum, & proinde à Spiritu ſancto procedentes.

℣. 27. *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus: quia ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis.*

Græcè, *novit quis ſit ſenſus ſpiritûs. Aug.* quid ſpiritus ſapiat. Quamvis Spiritûs ſancti in nobis gemitus ſint ineffabiles, Deus tamen, ſcrutator cordium, novit ſenſum ſeu deſiderium gementis in nobis: & ita novit, ut etiam approbet, ut exaudiat. *Jerem.* 17. Græcè, intercedit, interpellat pro ſanctis, ſeu pro rebus ſanctis & ſalutaribus à Deo impetrandis. Vel ipſos ſanctos, & Dei filios ac Deum diligentes petere facit, quæ placita ſunt Deo, ſeu *ſecundùm Deum.* Quaſi dicat. Spiritum nihil poſtulare pro ſanctis quod non obtineat, ut *Matth.* 7. 1. *Joan.* 3. & 5. & 1. *Cor.* 2.

℣. 28. *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia coöperantur in bonum, iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.*

Græcè *coöperatur Deus*. Ut ſenſus ſit, ſpiritum ſanctum facere, ut efficax ſit oratio, ſive impetret quæ petit, ſive ſecus. Omnia enim ad utilitatem eorum cedunt, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Vel coöperantur, id eſt, ſimul operantur, ſimul inquiam inter ſe, non ſimul cum diligentibus Deum, ſed ad eorum utilitatem & ſalutem omnia tam adverſa, quàm proſpera, Spiritu ſancto eorum cauſam

agente, & ſecundùm Deum poſtulante pro ſanctis. Etiam ad alia quæcumque & ad peccata extendit *Auguſt. lib. de corrept. & grat.* c. 9. & *Bern. in Pſalm.* 90. *ſerm.* 2. Nam humiliores & cautiores efficiuntur, ùt patet de *Petro* & *Paulo*. Quòd autem peccata præterita coöperentur in bonum etiam illi, qui per pœnitentiam reſurgit, probat *S. Thom.* 3. *parte*, q. 89. *art.* 2. *ad* 1. Et quia ab iis liberati æternùm Deo gratias agunt. Reprobis contra omnia cooperantur in malum, tam adverſa, quàm proſpera, etiam bona opera, de quibus ſuperbiunt, & quibus amiſſis in æternum dolebunt. *Sancti*; non legitur in Græco & Syriaco. *Vocati*, non participium, ſed nomen verbale. *Propoſitum*, eſt vel ipſorum hominum qui vocantur, id eſt, bona eorum voluntas à Deo prævifa, ex *Amb.* & *Chryſoſt.* Vel Dei & hominum, ex *Origen.* & *Theophyl.* Vel Dei ſolius propoſitum, id eſt, voluntas prævia, prædeſtinatio ac decretum æternum; ut ſecundùm propoſitum vocati, ſeu vocatitii dicantur, qui non ex ullis ſuis meritis, ſed ſolo Dei conſilio ac beneplacito eligentis ab æterno quos voluit, ad ſalutem vocantur, ut *Eph.* 1. & 2. *Tim.* 1. ex *Aug.* l. *de retract* cap. 23. & l. 2. *contr.* 2. *Epiſt. Pelag.* c. 10. & *S. Thom.*

℣. 29. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.*

Quos præſcivit. Nempe (ut aiunt qui prædeſtinationem Dei ſtatuunt ex operibus prævifis) benè victuros, aut bonis naturalibus benè uſuros, aut oblatæ tali vel tali gratiæ præbituros aſſenſum. Vel quos præſcivit vocatos ſecundùm

propoſitum, eos prædeſtinavit. Vel quos præſcivit conformes futuros imagini filii ſui, eos & prædeſtinavit conformes huic imagini fieri. Vel quos novit & approbavit, ſeu prædilexit & præordinavit in bonum, ùt *Pſalm.* 1. *Joan.* 10. 2. *Tim.* 1. *Matth.* 7. & 27. & infra cap. 11. & 1. *Pet.* 1. Nec Chriſtus ibidem fingi poteſt prædeſtinatus ex prævifis meritis. Nec Apoſtolus dicit, quos præſcivit benè victuros: ſed abſolutè quos præſcivit: qui ſermo eſt imperfectus, niſi prænotio prædilectionem ſignificet; ac ſi dicat. Quos novit in propoſito ac beneplacito ſuo æterno, eos prædeſtinavit conformes ac ſimiles fieri Chriſto filio ipſius, id eſt, certo fixoque decreto ab æterno ſtatuit ad tantum bonum eos ſic perducere, ut nullis tentationibus & adverſitatibus impediri poſſint. Vide *Auguſt. de bono perſever.* cap. 18. Conformitas autem imaginis filii Dei, ad quam prædeſtinatos ait, eſt ſimilitudo noſtra cum Chriſto Dei filio, non qualiſcumque, qualis etiam in hac vita per mentis renovationem & adoptionem (inchoata enim habetur) ſed quæ expectatur, id eſt, adoptio filiorum Dei perfecta, & conſummata, ùt 1. *Corinth.* 15. *Philipp.* 3. *Coloſſ.* 3. 1. *Joan.* 3. Ut ſenſus ſit nos ita conformandos filio Dei, ut ſimus quædam ejus imago. 1. *Cor.* 15. Ex qua conformitate conſequitur gloria Chriſti, & quædam dignitas & prærogativa, ut ſit primogenitus inter multos fratres; dum ſcilicet qui per naturam eſt unigenitus Dei filius, Deo nos adoptante, ac naturali ipſius filio per gratiam & gloriam conformante, multos fratres acquirit gloriæ ſuæ cœleſtis coheredes, inter quos omnes ipſe primatum teneat tanquàm primogenitus. Nam Chriſtus Dei filius, genitus quidem eſt ùt Deus, ſed primogenitus ut homo Deus, per gratiam unionis, non per

gratiam adoptionis, quam ei non tribuimus. *Ut ſit*, id eſt, ut oſtendatur & agnoſcatur, ùt quidam putant, *primogenitus in multis fratribus*: nam adoptio noſtra tota refertur in gloriam Chriſti, etiam ùt homo eſt.

℣. 30. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vócavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.*

Proſequitur præcipuos effectus divinæ prædeſtinationis, qui ſunt vocatio, juſtificatio & glorificatio. Relativum *quos*, eos refert quos Deus ab æterno prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, hos & vocat in tempore, eâ vocatione quam dixi *ſecundùm propoſitum*, ùt *Apoc.* 19. hæc enim ſemper eſt efficax, & electorum propria, vel ad fidem, vel ad juſtitiam, & ſanctitatem vitæ, & ad ſalutem. Et quoſcumque prædeſtinatos, ſive ſecundùm propoſitum, vocat ad fidem Chriſti, faciens eos credentes, eoſdem etiam juſtificat, remiſſione peccatorum, ac mentis renovatione: vel quoſcumque prædeſtinatos vocat ad fidem, & juſtitiam & ſalutem. Quæ quidem vocatio fit per miniſterium prædicationis Evangelicæ. Eos non inaniter vocat, quo modo multi vocantur, qui non veniunt, *Matth.* 20. & 22. ſed eoſdem ipſe etiam juſtificat, donans fidem, pœnitentiam, remiſſionem peccatorum, ſanctam converſationem, & in ea perſeverantiam. Hæc enim omnia juſtificationis nomine comprehenduntur. Et quoſcumque ſic vocatos juſtificat, eoſdem etiam *glorificat*, ſeu, quod idem eſt, *magnificat*: facturus eos conformes filio ſuo glorificato. *Chryſoſt.* intelligit in hoc ſæculo, per filiorum adoptionem & donorum largitiones. Alii meliùs de futura

gloria, ob ſupradicta de noſtra conglorificatione cum Chriſto, de futura gloria in nobis revelanda, de libertate gloriæ filiorum Dei. Utitur autem verbis præteriti temporis, ob certitudinem infallibilem effectuum à divina prædeſtinatione manantium : vel quia verbum *prædeſtinavit*, ex quo cætera contexuit, erat præteriti temporis, ut notat *Eſtius*.

℣. 31. *Quid ergo dicemus ad hæc? ſi Deus pro nobis, quis contra nos?*

Enumeratis delectionis noſtræ beneficiis, certitudinem eorum confirmat ſic. Cùm Deus tantam pro ſuis electis curam, & tam certam habeat providentiam, ut quoſcumque prædeſtinavit ad gloriam, eos vocando & juſtificando, tandem omninò ad illam perducat. *Quid dicemus* inter adverſitates & tentationes conſtituti, quàm quod *ſi Deus pro nobis* ſtat, volens omninò implere in nobis æternum ſuum propoſitum juſtificationis & glorificationis noſtræ, cùm nemo ſit Deo potentior : quis vel hominum vel dæmonum, ita contra nos inſurgat, ut ſalutem noſtram impediat? Nullus ſanè, *Joan.* 10.

℣. 32. *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

Non adoptivo, ſed naturali & vero, ùt 1. *Joan.* 5. Huic filio non peperciſſe dicitur, non quia in eo eſſet aliquid puniendum, ſed quia in mortem dedit. *Pro nobis omnibus*, electis ſcilicet, nam conſtat in electorum perſona *Paulum* hæc dicere. Dicitur & pro omnibus traditus, quia paſſio ejus & mors ſufficiens erat omnibus omninò redimendis. 3. *ſent. diſt.* 19. Pro non omnibus, quia fructus paſſionis ſoli

electi percipiunt. Græcè, *donabit*, vel *donavit in propoſito & voluntate*. Et colligit Deum certiſſimè daturum nobis, id eſt, electis bona jam enumerata gratiæ & gloriæ. Qui enim filio ſuo, quo nihil habet charius, non pepercit, ſed pro noſtra ſalute in mortem tradidit, certè nec cætera dona ad ſalutem neceſſaria, nec ipſam gloriam negabit. De electis exponit, *S. Auguſt.* l. 22. *de Civit.* c. 24.

℣. 33. *Quis accuſabit adversùs electos Dei? Deus qui juſtificat,*

℣. 34. *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus qui mortuus eſt, immò qui reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

Oſtendit quòd nulla occaſio poſſit eſſe ſanctis Dei nociva: Et hoc primò ratione divinæ electionis: qui enim eligit aliquem, hoc ipſo eum approbat, *Eph.* 1. Qui autem accuſat, improbat eum quem accuſat. Non valet autem alicujus accuſatio contra Dei approbationem. Secundò ratione juſtificationis. Deus eſt qui juſtificat, quis eſt qui condemnet juſtificatos à Deo? *Job.* 34. Et quia poſſet aliquis timere, ne à Chriſto Jeſu aliquis accuſaretur & condemnaretur, tamquàm tranſgreſſor mandati ipſius Chriſti, ùt de Moyſe dicit *Joan.* 5. & *Act.* 10. Et quia eſt peccato immunis *Joan.* 8. 1. *Cor.* 2 oſtendit quòd non. Quia etiam ipſe ſecundùm humanitatem confert magna beneficia ſanctis, ſicut & ſecundùm divinitatem. Primò, quia *mortuus eſt*, ſcilicet pro noſtra ſalute, 1. *Pet.* 3. Secundò, quia reſurrexit propter noſtram juſtificationem. Tertiò, *quia eſt ad dexteram Dei Patris*, id eſt, in æqualitate Dei Patris ſecundùm naturam divinam

& in potioribus ejus bonis ſecundùm naturam humanam. Et hoc etiam eſt ad gloriam noſtram *Eph.* 2. & *Apoc.* 3. Quartò: *Quia etiàm interpellat pro nobis*, quaſi advocatus noſter exiſtens, 1. *Joan.* 2. orando *Joan.* 17. & humanitatem aſſumptam Patri repræſentando. *Hebr.* 6. ex *D. Thom.*

℣. 35. *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? An anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum? An perſecutio? An gladius?*

Concludit cùm tot beneficia nobis divinitùs collata ſint, & tam efficacia, quis jam poterit nos à dilectione Chriſti retrahere: ſive quâ nos eum diligimus, ſive quâ nos ipſe diligit, qui tot & tanta pro nobis fecit? Hoc eſt efficere, ut Deus nos, quorum gratiâ tam multa fecit, amare deſinat? Si de charitate quâ eum diligimus, intelligamus, ſupplendum erit, quis nos ſeparabit finaliter à charitate Dei: nam electi ſæpe excidunt à charitate, quâ Deum diligunt: unde non ſequitur unumquemque fidelium eſſe certum & ſecurum de ſua perſeverantia in bono. *Tribulatio* eſt afflictio in corpore & rebus externis. *Anguſtia* in animo, vel in rebus dubiis & perplexis, in quibus deeſt conſilium humanum.

℣. 36. (*Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur totâ die; æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.*)

Pſalm. 43. Supplendum electos pati & paſſuros eſſe propter confeſſionem tui nominis, & quia tui cultores, non ſecus ac oves mactationi deſtinatæ, quas pro libito & abſque commiſeratione ad mortem trahunt, aſſiduè traduntur in mortem, & quotidianis objiciuntur periculis.

℣. 37. *Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.*

Græcè, *ſupervincimus*, non reſiſtendo, ſed patiendo & moriendo, idque Chriſti exemplo: quia qui in nobis pugnat, fortior eſt. *Propter eum*, id eſt, pro ejus amore, ſeu propter ejus amorem & auxilium, non noſtrâ virtute, ex *Cyp.* & *Tert.*

℣. 38. *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo,*

℣. 39. *Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

Perſuaſum habeo, ait *Tert.* Meliùs *Auguſt. prop.* 58. *certus ſum*, & non dixit opinor: plenâ fide tenuit, quòd nec mors ulla, nec vita temporalis promiſſa, nec cætera ſubſequentia poſſunt credentem à charitate Dei detorquere, ùt c. 3. & 14. *Luc.* 20. *Gal.* 1. *Act.* 26. 1. *Cor.* 4. & 7. *Philip.* 3. Nec favet hic locus ſpeciali fidei hæreticorum: nam loquitur in perſona electorum, non ſingulorum fidelium. Vel, ut ait *Hier.* ad *Gal.* 1. certâ fide perſuaſum mihi habeo. *Quia neque mors* à perſecutore intentata, *neque vita* promiſſa. *Chryſoſt.* ad vitam, & mortem æternam refert, quia vita æterna non eſt ſine Chriſto, & quia nullus electorum adverſarius, aut æternam vitam promittere, aut æternam mortem comminari poteſt efficaciter: *neque Angeli, neque principatus, neque virtutes.* Si per hypotheſim boni ſpiritûs vellent abſtrahere, ût ad *Gal.* 1.

Meliùs tamen omnes dæmones intelliguntur, qui fideles tentant à ſalute detrahere. *Neque inſtantia, neque futura.* Id eſt, nec bona quibus alliciuntur homines, nec mala quibus terrentur. *Neque fortitudo* principum hujus ſæculi. Non legitur in Græco, nec in Syriaco, *neque altitudo*, ex qua quis minaretur præcipitium, ùt factum eſt Chriſto, *Luc.* 4. *neque profundum*, in quo ejus minaretur demerſionem, ùt *Pſalm.* 68. & 2. *Cor.* 11. ex *S. Thom.* Vel non regnum, non gehenna. Vel non ſublime, non abjectum. Vel nihil quod in cœlo ſursùm, aut in terra deorsùm. *Neque* ulla *creatura alia*, id eſt, nihil quod dici poſſit, *poterit nos ſeparare à charitate Dei.* Finaliter, ſi de charitate, quâ nos Deum diligimus intelligamus; Si verò de ea quâ nos Deus diligit, ſenſus erit: tam potentem, certam & efficacem eſſe Dei dilectionem, quâ vult nos ad ſalutem adducere; ut nulla creatura poſſit nos ab ea detrahere, faciendo ut ille deſinat nos amare, aut illius charitas ſuo fruſtraretur effectu, id eſt, ſalute noſtrâ, *quæ eſt in Chriſto Jeſu*, id eſt, per Jeſum tanquam mediatorem, propitiatorem noſtrum: qui nobis illam Dei charitatem meruit ſuâ paſſione, & ſuâ nos morte redemit, ideòque Dominus noſter dicitur.

CAPUT IX.

℣. 1. *Veritatem dico in Chriſto, non mentior: teſtimonium mihi perhibente conſcientiâ meâ in Spiritu ſancto:*

UBi de electis egit; jam acturus de rejectione Judæorum & vocatione Gentium, agit de cauſis electionis & reprobationis: & præfatione Judæos mulcet, ne in odium ſuæ gentis loqui videatur. Ne quis, inquit, me mentiri putet, rem veram, & ex animo loquor, idque per Chriſtum, ſeu Chriſto teſte. Teſtem adduco conſcientiam meam per ſpiritum ſanctum, ut ejuſdem conſcientiæ meæ teſtem & ducem, ex *Hier.* ad *Algaſ.quæſt.* 9. & ad *Hedib. quæſt.* 10. Jurat his tribus adductis teſtibus, Chriſto, conſcientiâ & Spiritu ſancto, ex *S.Thom.*

℣. 2. *Quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo.*

Qualis eſt parturientium. Cauſa doloris eſt, quòd priùs cum errantibus errans, perſequebatur Eccleſiam: vel quòd optaverit eſſe anathema à Chriſto pro fratribus: vel potiùs quòd rejectus & excœcatus ſit populus Judæorum.

℣. 3. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem,*

Non Hebræa, ſed Græca vox eſt, ἀνάθεμα, ſeu ἀνάθημα, ab ἀνατιθέναι, quod eſt ſeponere ſeu

ſeparare deducta, vel fortè ἀνατίθεσθαι, quod eſt ſursùm ponere, utpotè ſuſpenſa in alto ex parietibus & columnis templorum. Sic ut ad alias res Deo ſacratas, vel uſui miniſtrorum ejus deputatas extendatur, ex *Chryſ.* quia à prophanis ſunt ſegregata anathemata, dicuntur quaſi Deo devota, ſeparata & intacta. Et ab Eccleſia ſeparati, quaſi extorres, anathemata vocantur, tanquam inferis devota & dicata capita, quos olim ſacros homines, id eſt, execrandos vocabant. Sicque in bonam, & in malam partem ſumitur, ùt *Marc.* 14. & 1. *Cor.* 12. & 16. & ad *Gal.* 1. Quid optet *Paulus*, quæſtio eſt, cùm nemini liceat ullo caſu velle ſuam ſeparationem à Deo, nec ordo charitatis petit, ut quis ſuam ſalutem poſtponat aliorum ſaluti. *Hier. ad Galat.* 1. hoc deſiderium comparat cum deſiderio Moyſis, *Exod.* 32. & putat utrumque expetiſſe mortem corporis pro populi ſibi commiſſi ſalute, & utilitate. *Chryſ. Theod.* & *Oecum.* putant *Paulum* non quidem ſimpliciter dicere *optarem*, ſed *optarim*, adhibitâ conditione, ſi Deo placeret, vel id eſſet utile Judæis ad aliquod tempus beatâ felicitate carere, ùt *ad Philip.* *Chryſ.* & *Photius* hoc *Pauli* deſiderium citra culpam etiam ad interitum ſempiternum referunt, ùt *Caſſ. collat.* 23. cap. 6. Perinde quaſi ob divini amoris vehementiam optaret ipſe ſolus perire, potiùs quàm cum magna Dei contumelia Judæi æternis pœnis cruciarentur: quòd multi contra Dei bonitatem blaſphemabant, quia Judæos olim ſibi gratos repudiaſſet. Alii præ vehementia amoris, inordinati tamen, utpotè minùs adhuc inſtructum in doctrina Chriſtiana, id optaſſe, ait *Hugo Victor.* Alii per hyperbolem hoc dixiſſe, ùt *Pſalm.* 68. & 2. *part.* 36. Alii optaſſe tantùm,

quòd erat ignominiæ & dedecoris, ùt *Clem. Conſt. Apoſt.* cap. 2. & *Origen.* & *Greg. Nazianz. Orat.* 1. Qui comparant hoc factum *Pauli* cum facto Chriſti: ùt idem ait ad *Gal.* 3, *redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Quia pœnas noſtras in ſuo corpore portavit, perſolvit. *Iſa.* 53. cùm tamen culpâ caruerit. Optat igitur eſſe anathema, non aliter quàm Chriſtus fuit maledictum. Mos enim erat, ut qui quaſi anathema ab Eccleſia expellebantur, publicè objurgarentur, ùt 2. *Cor.* 6. ex *Clem.* 2. *Conſt. Apoſt.* cap. 20. & adumbratur forma objurgationis. *Geneſ.* 3. & 4. quam Plato, Euripides & Plinius deſcribunt. Hæc igitur anathematis probra *Paulus* pro ſalute Judæorum perferre cupiebat. *Moyſes* autem poſtulabat deleri de albo ducum Iſraël, vel de catalogo juſtorum juſſu Dei conſcripto, vel de viventium numero, vel magnâ fiduciâ locutus tam certus erat, ſe populo veniam, impetraturum, quàm ſe de libro vitæ deleri non poſſe, ex *Auguſt. quæſt.* 47. *in Exod. Chryſ.* & *Bern.* volunt petiviſſe ſeparationem à Deo & beatorum conſortio; quod non ſtrictè, ſed ſecundùm determinationem additam eſt exponendum, ùt verba *Pauli*, quæ immenſi ſunt amoris ergà fratres, eoſque ſibi inimicos & ejuſdem generis.

℣. 4. *Qui ſunt Iſraëlitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa:*

Quos Deus nomine divinitùs illis impoſito in filios adoptavit. Non enim agit de ea quæ filiis novi Teſtamenti eſt propria: ſed de ea, quâ aliis gentibus prælati ſunt, multis illis

collatis beneficiis, ùt *Pſalm.* 147. nam & prophetiæ, & promiſſiones, & protectio Dei ſingularis glorioſos & celebres reddebat. Vel *gloria* eſt arca teſtamenti, ùt 1. *Reg.* 4. Græcè, & *teſtamenta*, id eſt, pacta & fœdera: ùt de terra promiſſionis, de proſperitate terrena, de victoria in hoſtes, de regno. Vel duo teſtamenta vetus & novum, ex *Auguſt.* & *Hieron.* vel duæ tabulæ teſtamenti digito Dei ſcriptæ. Et Deum habere legiſlatorem non hominem tam quoad judicialia, quàm ad morum præcepta, & ad cultum divinum in ſacrificiis & ceremoniis pertinentia, & promiſſiones tam ſolemnes, *Gen.* 15. & 17. *Exod.* 24. 4. *Reg.* *Jerem.* 34. quàm non ſolemnes.

℣. 5. *Quorum patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen.*

Qui denique progenitores habent Abraham, Iſaac & Jacob. Ex quibus Meſſias promiſſus incarnari & naſci voluit, *Luc.* 2. *Qui eſt ſuper omnia*, per omnia & in omnibus *Deus benedictus*, laudibus celebrandus in omne ævum, in omnem æternitatem.

℣. 6. *Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Iſraël ſunt, ii ſunt Iſraëlitæ.*

Id eſt. Non hæc dico, quod ſentiam excidiſſe verbum Dei, ſeu irritas factas eſſe Dei promiſſiones novi Teſtamenti ad ſpiritualem Iſraël pertinentes. Non enim omnes qui ex Iſraël patriarcha ſecundùm carnem orti ſunt, ii ſunt Iſraël ſive Iſraëlitæ, de quibus Scriptura loquitur in illis promiſſionibus, quæ pertinent ad novum Teſtamentum.

℣. 7. *Neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii : ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen :*

Nec ideò quià ſecundùm carnem nati ſunt ex Abraham, cenſendi ſunt omnes ejus filii veri ac germani ſecundùm mentem Scripturæ loquentis de filiis, ubi de promiſſionibus agitur. Sic enim Iſmaël & Eſau cum ſua poſteritate cenſerentur inter filios, & promiſſionum debe- rent eſſe participes, quod tu Judææ non admi- ſeris. Sed dictum eſt ad Abraham, *Gen.* 21. *Genus Iſaac filii tui*, à quo genere ipſe non ex- cluditur, *erit & vocabitur ſemen tuum*, in quo complebo promiſſiones tibi pro ſemine tuo factas.

℣. 8. *Id eſt, non qui filii carnis, hi filii Dei ; ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſti- mantur in ſemine.*

Id eſt. Illa Dei promiſſio ad Abraham facta, quâ ſic diſcrevit inter ejus filios, ut Iſmaële rejecto, ſolam poſteritatem vellet vocari ſemen ejus, dicendo : *In Iſaac vocabitur tibi ſemen :* allegoricè nobis ſignificat, non habendos eſſe filios Dei, nec reputandos pro vero ſemine Abrahæ, eos omnes aut ſolos, qui ſecundùm carnem ex Abraham orti ſunt, ſed *qui filii ſunt promiſſionis*, id eſt, qui regenerati ſunt ſecundùm ſpiritum, per gratiam fidei, ìdque juxta promiſſionem divinam Abrahæ factam, quâ dictum eſt, *In ſemine tuo benedicentur om- nes gentes*, *Gen.* 22. Sive illi carnaliter ex Abra- ham fuerint progeniti, ſive non, ùt ad *Gal.* 4 ex *Eſtio*.

℣. 9. *Promiſſionis enim verbum hoc eſt: Secundùm hoc tempus veniam; & erit Saræ filius.*

Geneſ. 18. Sic habent promiſſionis verba Angeli in perſona Dei loquentis ad Abraham. Vertente anno quando reverſus veniam ad te, Sara conjux tua, quanquàm ſterilis & vetula, filium habebit.

℣. 10. *Non ſolùm autem illa: ſed & Rebecca ex uno concubitu habens, Iſaac patris noſtri.*

Supplendum textui. Non ſolùm autem in duobus filiis Abrahæ, quorum alter ex promiſſione natus eſt, alter ſecundùm carnem, exhibita eſt nobis figura eorum, qui futuri eſſent filii Dei, & qui ab ea dignitate extranei: verùm etiam Rebecca ex uno Iſaac patre noſtro, conceptis duobus filiis, ejuſdem rei typum ac ſignificationem nobis exhibuit. Vel ſic. Non ſolùm Abrahæ dictum eſt, quòd pertineat ad myſterium electionis ac reprobationis divinæ, videlicet illud. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Id eſt, in filio promiſſionis: ſed etiam Rebecca duos filios ex Iſaac patre noſtro conceptos adhuc utero geſtans accepit divinum reſponſum; quo idem myſterium ſignificaretur: Nam, ut ſequitur, *dictum eſt ei: quia major ſerviet minori.* ita *Iren.* l. 4. c. 38. & *Aug. ep.* 105. Indicat autem Apoſtolus duobus exemplis, in priori ad cœleſtia bona conſequenda in ſanguine cognationis nihil eſſe præſidii: in hoc verò altero, ne in parentum quidem meritis, ſed in una divina gratia ſpem eſſe collocandam.

℣. 11. *Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali; (ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret,)*

Id eſt. Cùm nondum eſſent in lucem editi, licèt jam in utero concepti, nec proinde fidem haberent, aut aliquid boni, vel mali egiſſent, nec per ætatem agere potuiſſent: cujus boni vel mali merito alter eligeretur, ut fieret dominus fratris ſui, alter reprobaretur, ut fratri ſerviret. Græci clariùs, *ut quod eſt ſecundùm electionem*, Dei propoſitum maneret. Id eſt. Ut propoſitum, quo ſecundùm electionem gratuitam, & non ex meritis Deus conſtituerat Jacob honorare, ſubjiciendo fratrem ipſius ſervituti, maneret, hoc eſt firmum ac ſtabile eſſet. Vel meliùs. Ut myſticè ſignificaretur, Dei propoſitum, quo aliquos prædeſtinavit ad vitam æternam, ex ſola & gratuita ipſius electione, abſque ullo meritorum reſpectu, firmum eſſe atque immobile. Propoſitum enim ſignificat voluntatem Dei prædeſtinantis homines ad vitam æternam: non præſcientiam Dei: nec propoſitum hominum.

℣. 12. *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei:*

℣. 13. *Quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.*

Apoſtolus rectè de fratribus dictum aſſumit, quod de populis dictum erat. *Major ſerviet minori. Geneſ.* 35. Quatenùs in illis erant duo populi. Et ſenſus eſt. Non propter ulla bona opera Jacob, aut malà opera Eſau, quæ, ùt jam dictum eſt nulla adhuc erant; ſed ex ſolo

arbitrio Dei vocantis, & eligentis Jacob præ Eſau, dictum eſt Rebeccæ: Dominum conſulenti, quòd major ſerviturus eſſet minori, & conſequenter minor, id eſt, Jacob, dominium habiturus in majorem Eſau. Quod quidem completum non in ipſorum perſonis: ſed, ut oraculi verba declarant, in populis qui ex illis orti ſunt, completum, inquam, tempore Davidis qui Idumæos, id eſt, populum ex Eſau genitum, ſibi ac populo Iſraëlitæ fecit tributarios, 2. *Reg.* 8. ut notat *Eſtius*. Spiritualiter autem impletur in electis ac reprobis, quia quidquid à reprobis, aut circa reprobos agitur, id totum ſervit ac proficit ſaluti & felicitati electorum. *Omnia enim propter electos*, 2. *Tim.* 2. ex *Aug. epiſt.* 157. *ad Optatum*. Poſſunt aliter hæc verba *non ex operibus, ſed ex vocante*, ad præcedentia *ſecundùm electionem*, referri hoc ſenſu: ut propoſitum Dei, quod eſt ſecundùm ipſius electionem, id eſt, non ex meritis, ſed ex vocante firmum maneret. Deinde ſequatur, *dictum eſt ei*, &c. Cùm ait, *Major ſerviet minori*, commendat gratiam divinæ electionis, ut 1. *Cor.* 1. ex *Auguſt.* l. 1. *de pecc. mer. & remiſſ.* cap. 21. Cùm autem dicit, *ſicut ſcriptum eſt*; ſenſus eſt, Deum eo reſponſo quo dixit, *Major ſerviet minori*, ſignificare id quod multò poſt ex ejus perſona ſcriptum eſt à *Malach.* cap. 1. *Nonne frater erat Eſau Jacob, & dilexi Jacob, Eſau autem odio habui?* quaſi dicat. Etſi fratres eſſent germani & gemini, eoque nomine pares, niſi quod Eſau ratione primogenituræ præponendus videretur: ego tamen *Jacob dilexi*, id eſt, volui ei in ſua poſteritate benefacere. *Eſau autem odio habui*, id eſt, poſthabui & rejeci, nolens ſingularia in ejus poſteritatem beneficia conferre. Hinc colligendum relinquit Apoſtolus

ſus argumento à figura ad rem ſignificatam, neque electionem hominum ad æternam ſalutem, neque reprobationem eſſe ex ullis operum meritis, ſed Deum ex ſolo ſuæ voluntatis arbitrio, alios eligere ad ſalutem; alios autem reprobare; non quòd Deus aliquos damnare velit immeritò: ſed quia ſicut totus effectus prædeſtinationis non cadit ſub merito, ita nec totus effectus reprobationis. Quòd enim Deus aliquos permittit cadere in peccatum, cujus merito poſteà damnationem incurrant (quæ quidem permiſſio primus eſt reprobationis effectus) non poteſt eſſe ex eorum merito; quia primi peccati permiſſionem nullum antecedit peccatum quo illam mereri poſſent. Ac ſanè de electione ſeu prædeſtinationē, quòd non ſit ex meritis, clarum eſt ex Apoſtoli doctrina. De reprobatione verò non omnes perinde conſentiunt. Nam quidam dicunt, Apoſtolum ſupponere, maſſam humani generis infectam peccato originali; quam cùm totam Deus ob illius peccati meritum reprobare potuiſſet, ad ſolam referunt Dei voluntatem, quòd ex ea alios præ aliis gratuitâ ſuâ bonitate ſeparandos, atque ad ſalutem perducendos elegerit, ut proinde electio quidem iſtorum non ſit ex merito, cæterorum autem reprobatio ſit ex merito peccati, quo tota maſſa ponitur infecta. Nec alio ſenſu putant, aliquos reprobari ſinè meritis, quàm quia nulla ratio eſt ex parte hominum, cur alii præ aliis reprobentur atque in maſſa perditionis relinquantur; eo quod peccatum ſit omnibus commune. Sed ſi diligenter expendantur ea quæ de electione & reprobatione tradit Apoſtolus hoc capite, prorsùs apparebit ex ejus ſententia, tam reprobationem, quàm electionem abſolutè non ex ullis eſſe præviſis meritis. In eo quod dicit,

cùm nihil egiſſent aut boni aut mali, tam excludit actionem malam Eſau odio habiti, quàm actionem bonam Jacob dilecti: & conſequenter excludendum relinquit, tam malum meritum reprobationis, quàm bonum meritum electonis. Unde liquet ex *Eſtio*, Apoſtolum non ſupponere in hac ſua diſputatione maſſam corruptam peccato. Dices, reprobatio vocatur odium Dei: injuſtum autem videtur, ſi Deus aliquem odio habeat, nullis exiſtentibus aut prævifis ejus meritis. Reſpondetur, *Paulum* non vocare reprobationem odium Dei, ſed docere eam ſignificari per odium Dei, ſenſu negato, non affirmato, in quantùm Deus quibuſdam non vult poſitivè dare hoc bonum, quod eſt vita æterna, dicitur eos odio habere, ait *S. Thom* 1. *part. quæſt.* 23. *art.* 3. Alii dicunt, reprobationem rectè vocari odium Dei affirmato ſenſu: non propter primum effectum, ſed propter poſteriores, maximè poſtremum, qui eſt æterna damnatio. Sed ea ſignificatio non convenit huic loco: ſic enim odium eſſet ex operibus, quod de odio quo Deus odiſſe dicitur Eſau (in quo fuit typus reprob rum) negat hìc *Apoſtolus*.

℣. 14. *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Abſit.*

Græcè *injuſtitia*. Nam ſi Deus ſinè prævíſis operum meritis alios eligit, alios reprobat, injuſtus eſſe videtur, tum quia de æqualibus non æqualiter diſponit; tum quia reprobat aliquos immeritos: Atqui injuſtitiam adſcribere Deo impium eſt. Diluit hoc teſtimonio Scripturæ:

℣. 15. *Moyſi enim dicit: Miſerebor cujus miſereor: & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor.*

Exod. 33. Oſtenditur his verbis Dei electio planè gratuita & indebita. Si autem indebita

eſt; nulla eſt injuſtitia apud Deum, quòd non omnes eligat, quia in gratuitis & indebitis locum non habet acceptio perſonarum, aut omninò iniqua diſtributio. *Hieron.* reddit *Miſerebor cui voluero: & clemens ero in quem mihi placuerit.* Indicat Deum miſereri quibuſcumque voluerit, eligendo eos ad ſalutem ex ſolo beneplacito ſuæ voluntatis. Nec ſupplendum, Miſerebor ejus, quem dignum fore meâ miſericordiâ prævidero.

℣. 16. *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.*

Hæc non dicta in perſona *Pauli*, ſed adverſarii velut rem abſurdam inferentis: tanquam ſequatur ex prædictis, inanem eſſe omnem noſtrum conatum, ſi Deus miſeretur cujuſcumque voluerit, ex *Chryſoſt.* Vel dicta ſunt in perſona *Pauli*, ſed cum excluſione intellecta in duobus prioribus membris; hoc modo: quòd quis bonum velit & operetur, non eſt volentis tantùm, neque currentis tantùm, ſcilicet hominis, ſed etiam Dei miſerentis, ex *eod. Chryſ. hom.* 12. ad *Hebr.* & *Hier.* l. 1. *dial. cont. Pelag.* c. 2. & *Gregor. Nazianz. orat.* 31. Vel ùt ait, *Auguſt.* l. 1. ad *Simp. quæſt.* 2. *Enchir.* 32. l. *de grat.* c. 7. Non eſt volentis ut velit, neque currentis ut currat; ſed miſerentis Dei, qui dat homini ipſum velle & currere. Quaſi dicat. Nec velle, nec operari quiſquam habet à ſeipſo, ſed totum accipit à Deo, miſericorditer ipſum per gratiam ſuam præveniente. Verùm non de cauſa boni operis intelligenda eſt hæc concluſio: ſed de ipſa electione hominum ad ſalutem, ut ſit ſenſus ex *Cajetan.* Quòd quis electus ſit à Deo, non eſt ex merito bonæ voluntatis, neque ex merito boni operis, ſed ſolo ac libero beneplacito Dei miſerentis, quod

liberum hominis arbitrium non excludit, ex *S. Thom.*

℣. 17. Dicit enim Scriptura Pharaöni: Quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam: & ut annuncietur nomen meum in univerſa terra.

Quod de electione docuit, idem nunc ex alio teſtimonio Scripturæ docet de reprobatione; videlicet Deum injuſtum non eſſe, dum aliquos odio habet ſeu reprobat abſque illorum meritis. Vel potiùs, ùt ſuperiùs indicavi, in priori teſtimonio, *Miſerebor cujus miſereor*, &c. contineri probationem utriuſque, videlicet juſtæ electionis, ſimul & juſtæ reprobationis: quamvis tam hæc quàm illa ad nulla reſpiciat merita ejus, qui vel reprobatur, vel eligitur. Nam ſi nulla eſt injuſtitia Dei, miſericorditer ac gratuitò eligentis aliquos præ aliis, ubi nulla ſunt merita, nulla quoque ejuſdem erit injuſtitia, alios non eligentis, ſed permittere volentis ut in peccata labantur, quorum merito ſint æternâ morte puniendi: quod eſt reprobare; ùt docet *S. Thom.* 1. p. q. 23. *art.* 3. Conſequitur ergo per neceſſariam illationem reprobatio ſinè meritis juſta ex electione gratuita. Quare liquet ad utramque vindicandam ab injuſtitia, valere & ſufficere Scripturam allegatam. Cur ergo ſubjungit hoc alterum teſtimonium de Pharaöne? Reſpondetur ut hoc exemplo doceat, quòd pro arbitrio ac ſinè ullius injuria poteſt Deus facere, non tamen id eum facere, niſi ſapientiſſimè, & cum ratione: dum videlicet illud ordinat ad finem manifeſtandæ ſuæ potentiæ, & ſui nominis celebrandi. Itaque tanquam quæreretur quænam ſit ratio cur Deus ita faciat: ex Scriptura rationem adfert. *Dicit enim*, inquit, *Scriptura Pharaöni*, id eſt. Scrip-

tura narrat, dictum eſſe Pharaöni, à Deo videlicet per Moyſen, quando ille negabat ſe populum Dei dimiſſurum, *Exod.* 9. Pro *excitavi te*, *Hieron.* legit, *poſui te*, *conſervavi te*. Et ſonat deſtinationem, quæ fit adhibitis mediis aptis & convenientibus ad finem propoſitum, ùt *Pſal.* 17. 1. *Theſſa.* 3. & 1. *Pet.* 2. *Deut.* 18. *Iſa.* 49. *In hoc ipſum*, id eſt, ad eum finem poſui & excitavi te, ſervavi atque promovi, videlicet non ſolùm permittendo, ſed multa tam intus quàm foris operando ſenſibuſque objiciendo, quæ tibi futura eſſent occaſio majoris contumaciæ, ac duritiæ cordis; ad eum finem, inquam, ut in te, & circa te potentiam meam divinam, per multa ſtupenda & horrenda ſigna exercerem & hominibus manifeſtarem, quo per hæc nomen meum celebraretur ubique terrarum. Quod utique factum eſſe conſtat in eo maximè, quòd filiis Iſraël per mare rubrum traductis rex Pharao cum toto exercitu in eodem mari ſubmerſus eſt, ex *D. Aug. de grat.* c. 20. & 21. & *S. Thom.*

℣. 18. *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.*

Concludit ex verbis *miſerebor cujus miſereor*, &c. Deum pro ſola ac libera ſua voluntate ſinè reſpectu operum, hos quidem eligere, alios autem reprobare, ſive, ut hìc loquitur, indurare. Et notat *Eſtius* indurationem hìc poni pro tota hominis derelictione, comprehensâ etiam primâ permiſſione peccati, cujus merito poſteà quis induretur. Quòd ſi ſolus indurationis effectus conſideretur, non utique ſinè merito eſt peccati præcedentis. Unde & ipſe Pharao, non ſinè merito præcedentium peccatorum, ac nominatim peccati originalis, fuit à Deo derelictus; ut tandem in malo indureſce-

ret. Sed ideò dicit *Apoſtolus*, *quem vult indurat*: Quòd induratio ſive Pharaönis, ſive cujuſquam alterius in prima ſua velut origine, quæ eſt prima derelictio, ſeu peccati permiſſio, non aliam habeat cauſam, quàm Dei voluntatem. Sunt qui interpretantur Deum indurare, quia non miſeretur, ùt *Aug. quæſt.* 2. *ad Simp.*

℣. 19. *Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis reſiſtit?*

Dicis, græcè, *Dices*: ſi Deus quos vult eligit, & quos vult reprobat, cur non contentus facere pro libito quæ vult? Etiam conqueritur de hominibus apud Prophetas, & iraſcentis more gravia comminatur, quòd ad ipſum non convertantur ut ſalvi fiant. Et loquitur de voluntate Dei abſoluta, quam beneplaciti voluntatem vocant, cujuſmodi eſt voluntas, quâ alios eligit, alios reprobat. Nam voluntati ſigni, omnes reſiſtunt qui peccant.

℣. 20. *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic?*

Quaſi dicat. Tu quis es, qui diſputas cum Deo? hominem te cogita, illum Deum; ita deſines velle cum illo in diſputationem venire, & ejus judicia diſcutere. Nunquid vas fictile jure poterit expoſtulare cum figulo, cur ipſum tale aut tale fecerit? ac ſi dicat, minimè. Hoc propriè ad reprobos accommodatur. Nam electi non habent quòd querantur, ſed unde gratias agant. Reprobi autem videri poſſunt habere, ſi ſinè meritis reprobantur, non autem ſi ex meritis. Igitur ex hac interrogatione colligitur reprobationem non eſſe ex meritis, ùt *Iſa.* 45. & *Jerem.* 18. 1.

℣. 21. *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

In honorem, græcè, εἰς τιμὴν, *ad decus*: *in contumeliam*, græcè, εἰς ἀτιμίαν *ad dedecus* ſeu *ignominiam*. Quaſi dicat. Cur non etiam libera ſit poteſtas Deo, ut ex eadem maſſa humani generis, alios eligat, & faciat vaſa ad honorem, alios reprobet, & faciat vaſa ad ignominiam? Faciat, inquam, vaſa ad honorem, per effectus ſuæ electionis: & vaſa ad ignominiam, per effectus reprobationis. Non igitur ſupponit Apoſtolus maſſam corruptam, aut damnatam, unde ſatis ex hac ſimilitudine colligit, tam electionem, quàm reprobationem ex meritis non eſſe.

℣. 22. *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum,*

Poſtquam docuit, non aliam eſſe rationem cur Deus in particulari hos eligat, illos reprobet, quàm liberrimam ejus voluntatem: nunc rationem adfert, cur in generali Deus alios eligere voluerit, alios reprobare, rationem inquam, non ex eorum præviſis meritis, ſed ex cauſa finali. Ac reprobationis quidem cauſam aſſignat manifeſtationem tam juſtitiæ quàm potentiæ Dei, quâ vindicat peccata; electionis verò cauſam indicat manifeſtationem bonitatis ejus ac miſericordiæ, quâ quibuſdam & gratiam largitur & gloriam; ut ſic tam in reprobis quàm in electis, Deus ſecundùm diverſa ſua opera, quæ circa illos exercet, glorificetur; utpotè qui omnia finaliter ordinat ac dirigit ad ſuam gloriam: ex *D. Thom.* 1. *part. quæſt.*

23. *art.* 5. *Oſtendere iram*, id eſt, ſuam juſtitiam vindicativam per actus punitionis peccatorum. *Et potentiam ſuam*, in puniendis impiis, etiam regibus, ùt Pharaöne, & Angelis, & maximè Lucifero. *Suſtinuit*, græcè *tulit*, *adduxit:* ut ſenſus ſit, Deum ad hoc adduxiſſe vaſa iræ, ad quod aptata ſunt, id eſt, ad perditionem. Vel *tulit*, *pertulit*, ſeu *ſuſtinuit*, ut dicatur Deus cum multa patientia toleraſſe vaſa iræ, tantò graviùs ea tandem puniturus, quantò diutiùs ea toleraverit. Sed prior ſenſus actum divinæ reprobationis expreſſiùs continet, qui eſt adducere in interitum, videlicet dimittendo, excœcando, obdurando. Nec ſolùm Deus in reprobis puniendis oſtendit juſtitiam ſuam, atque potentiam: ſed etiam in iis ad pœnitentiam expectandis, licèt pœnitentiam non acturis, patientiam ſeu longanimitatem. *Apta in interitum*, id eſt, aptata ſeu præparata ad interitum, non à Deo, ſed à ſeipſis, æternam perditionem ſibi præparantibus per ſua peccata, quibus illam merentur, ſic *S. Thom.* Sed quomodo hoc conſiſtit cum eo, quod ℣. 21. vaſa non à ſeipſis aptari dicuntur, ſed à figulo? ℟. Dicitur Deus vaſa iræ præparaſſe ad interitum, non quia præparavit eis peccata, quibus interitum mererentur, ſicut præparavit electis bona opera, quibus gloriam conſequerentur. *Eph.* 2. Sed quia illis ab æterno præparavit, id eſt, præordinavit, atque inferre conſtituit interitum; ſicut vaſa miſericordiæ præparavit ad gloriam, quia iis ab æterno præparávit, hoc eſt, præordinavit & dare conſtituit gloriam. Eo tamen diſcrimine, quòd his etiam merita gloriæ præparavit ab æterno, non item illis merita damnationis. *Matth.* 25.

℣. 23. *Ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

Aliam ſubjungit rationem reprobationis in genere, nempè manifeſtationem divinæ bonitatis erga vaſa miſericordiæ. Non enim ſatis appareret hæc Dei miſericordia, neque ſatis ab hominibus æſtimaretur, ſi eſſet omnibus communis, nec ulli permitterentur in peccata cadere pro meritis in æternum puniendi. Horum quippe comparatione manifeſtatur, & ampliùs commendatur immenſa Dei bonitas erga electos, ùt docet *Auguſt. ad Optat.* Alii putant, ùt parte præcedenti aſſignata eſt ratio reprobationis in genere, ſcilicet oſtenſio juſtitiæ & potentiæ divinæ: ita hìc ſeorsùm tanquam altero totius ſententiæ membro afferri rationem electionis, quæ eſt manifeſtatio bonitatis ac miſericordiæ Dei, ex eo quod provehit ad gloriam electos, ſic *Oecum.* & *S. Thom.* Præcedens autem hæc oratio completur repetitione, *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Quaſi dicat. Si Deus ita voluit, nec temerè, ſed ſummâ ratione, tam ex parte reproborum quàm electorum, ſicut jam dictum eſt: tu quis es, qui Deum arguas, aut cum eo diſputes? Vel repetendo ex ea ſententia, quæ proximè præceſſit, hæc verba: *an non habet poteſtatem, &c.*

℣. 24. *Quos & vocavit nos non ſolùm ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus,*

Et quidem magis quàm ex Judæis. Docetque electis non ſolùm contingere gloriam ex electione divina, ſed & media procurari ad gloriam; ejuſmodi eſt vocatio ad fidem, & gratiam Evangelii. Intelligit autem vocationem ſecundùm propoſitum, ùt cap. præcedenti. Addit *nos* ut in iis, ad quos ſcribit, fiduciam excitet electionis id eſt, ut ſe reputent inter vaſa miſericordiæ.

℣. 25. Sicut in Oſée dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.

Oſee 1. ùt 1. *Pet.* 2. quia dixerat *Apoſtolus* Deum non ex Judæis ſolùm, ſed etiam ex Gentibus vocaſſe electos; ut hoc poſteriùs probet, adducit prædictum teſtimonium. Nam populus decem tribuum, qui peculiari nomine dicebatur Iſraël, de quo ſecundùm litteram Propheta loquitur, quoniam ad cultum idolorum deflexerat, typum prætulit Gentilis & idololatrici populi: magiſque eam poſteà repræſentavit ſuâ per Gentes diſperſione: ſicut è diverſo populus duarum tribuum, qui vocabatur Juda, qui permanſit in vero Dei cultu typum geſſit populi Judaïci, ut à gentilitate fuit diſtinctus. Quam myſticam utriuſque populi, ſcilicet Iſraël & Juda, ſignificationem attingit etiam *Auguſt.* l. 18. *de civit.* cap. 28. Et ſenſus eſt, eos, qui non erant populus meus, cultu & religione vocabo, id eſt, faciam populum meum. Et qui non erant à me dilecti, id eſt, gratiæ donis affecti, faciam dilectos, ita ut vero nomine populus, meique dilecti vocari poſſint.

℣. 26. Et erit: in loco, ubi dictum eſt eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi.

Et erit, id eſt, hoc quod dicam, aliquando futurum eſt. *In ipſo loco*, ùt in Græcia, Italia, Gallia, & ubicumque morati fuerint dudum à vero Dei cultu alieni, ſic ut vocari poſſent *non populus meus:* in eodem inquam loco, & abſque eo quod locum mutent, more proſelytorum; verum Dei cultum ſuſcipient, ac

per hoc erunt & vocabuntur filii Dei vivi, ſeu viventis, ùt *Joan.* 4.

℣. 27. *Iſaïas autem clamat pro Iſraël: ſi fuerit numerus filiorum Iſraël tanquam arena maris, reliquiæ ſalvæ fient.*

Græcè *ſuper Iſraël.* Eſt ſermo *Iſaïæ* cap. 10. ad regem Ezechiam, aut ad ipſum Iſraël: *Apoſtolus* autem adducens hoc teſtimonium cum ſequentibus, intendit probare vocationem Judæorum, ſicut ſuperiùs ex *Oſee* probavit vocationem Gentium. Vel ſpectat potiùs ad Judæorum abjectionem: nam concludit Gentes apprehendiſſe juſtitiam, Judæos autem non apprehendiſſe, ſed impegiſſe in lapidem offenſionis, ex *Chryſ.* Undè conſequitur clamorem intelligi, non gratulantis, ſed dolentis. *Clamat*, id eſt, magno doloris affectu loquitur. Ut ſenſus ſit. Et ſi populus ſecundùm carnem ex Iſraël genitus, juxta promiſſionem Abrahæ factam ita multiplicetur, ut comparari poſſit cum arena quæ eſt in littore maris: ſolæ tamen reliquiæ, id eſt, pauciſſimi ſalvi erunt, ùt c. 11.

℣. 28. *Verbum enim conſummans, & abbrevians in æquitate: quia verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram:*

Non ad Verbum Dei incarnatum: vel ad verbum legis Moſaïcæ, vel verbum prædicationis Evangelicæ referendum, ſed ad verba Prophetæ præcedentia: quibus dixerat, ex toto populo reliquias ſalvas fore. Ut ſenſus ſit. Deus erit conſummans, ſeu perficiens, & abbrevians verbum, ſeu ſermonem in juſtitia: id eſt, Deus quod locutus eſt, faciet: redigens Iſraëlem, quem ſalvaturus ſit, ad brevem, acciſum & exiguum numerum, ita ut penè conſumatur. Sed tamen paucos illos ſa-

ciet juſtitiæ donis affluentes, *Iſa.* 4. Quod impletum in Apoſtolis & cæteris fidelibus Eccleſiæ primitivæ quos Scriptura ſanctos appellat. *In æquitate*, id eſt, in negotio conſequendæ juſtitiæ, erunt pauciſſimi. Vel *in juſtitia*, id eſt, juſtè, ſeu juſto judicio id facturus eſt Deus. *Super terram*: vel in terra, ſcilicet Iſraëlitica, in qua erat populus tam numeroſus. Vel juxta 70. *in univerſa terra*, quia per totum orbem Judæi erant diſperſi, ex *Hier.* l. 5. in *Iſa.* c. 13.

℣. 29. *Et ſicut prædixit Iſaïas: Niſi Dominus ſabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus.*

Id eſt. Et fiet, ſicut idem *Iſaïas* priùs dixit c. 1. vel prophetavit dicens: *Niſi Dominus reliquiſſet nobis*, id eſt, populo Judaïco ſaltem exiguum ſemen, in quo velut reliquiis promiſſæ benedictiones implerentur; penitùs eſſemus conſumpti & perditi, ſicut Sodomæi & Gomorrhæi, quorum nullæ extant reliquiæ: nec ulla ex parte illarum benedictionum fuiſſemus participes. Ex quo apparet per conſummationem intelligi conſumptionem. Dicitur autem *Dominus exercituum*, quia infinitam habet bonorum Angelorum multitudinem, ſub imperio ſuo quaſi militantem, & ad omnia quæ juſſerit expeditam. Serviunt etiam mali, *Pſal.* 118. non tamen ut militiæ ejus adſcripti, ſed ut ſervi mali, reprobi ac damnati, quibus etiam invitis utitur omnipotentia Dei ad ſuam gloriam & electorum ſalutem.

℣. 30. *Quid ergo dicemus? Quòd gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam: juſtitiam autem, quæ ex fide eſt.*

Concludit ex dictis, cùm, inquit, talia præ-

dixerint Prophetæ de Gentium vocatione, & Judæorum abjectione: *Quid dicemus?* Nempè quòd Gentes, quæ erant ſinè cultu & lege unius Dei, ideòque nec juſtitiæ, quâ quis Deo placeat, aſſequendæ ſtudebant, aſſecutæ ſunt juſtitiam, juſtificatæ ſunt *ex fide* quâ creditur in Chriſtum propitiatorem, cujus meritis tota juſtitia à Deo expectanda eſt, non operibus, ùt c. 1. 3. & 4. docuit.

℣. 31. *Iſraël verò ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit.*

Græcè *prævenit.* Id eſt. At contra Judaicus populus, qui acceptâ Dei notitiâ, legem ſibi ab eo datam, quâ vera juſtitia præcipitur, ſectabatur, eique implendæ ſtudebat, non pervenit ad eam juſtitiæ legem implendam: vel non prævenit Gentes in implenda lege juſtitiæ. Quod tamen oportuit, quia legem jam olim à Deo acceperat. Nota cùm de Gentibus loquitur, nominare *juſtitiam:* cùm de Judæis, *legem juſtitiæ:* quia Judæis lex data erat, non Gentibus.

℣. 32. *Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offenſionis,*

Græci dicunt *ex operibus legis:* ut ſenſus ſit. Ideò non perveniſſe Judæos in legem juſtitiæ, quia non ex fide Chriſti legem juſtitiæ ſectabantur, id eſt, legi implendæ ſtudebant: ſed ad eam nitebantur per opera: ſcilicet non ex fide perfecta, ſed ex ſola legis cognitione. Dicit *quaſi,* vel quia hæc opera videntur ad juſtitiam valere; cùm reverà non valcant, vel quia juſtitia ex hujuſmodi operibus comparata, videtur eſſe vera juſtitia, & non eſt. Et quia *non ex fide, offenderunt in lapidem offenſionis*; quia ſcilicet,

Chriſtum, in quem crederent ut credendo juſtificarentur, propter ejus humilitatem, & carnis infirmitatem non agnoverunt, nec receperunt, imò graviter in eum, velut lapidem humi jacentem, offenderunt, malè & indignè eum tractantes, ùt *Luc.* 2. & *Matth.* 11.

℣. 33. *Sicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & Petram ſcandali: & omnis, qui credit in eum, non confundetur.*

Lapis offenſionis, *Iſa.* 28. dicitur parvus quidam lapis, in quem offendunt & impingunt qui per viam ambulant: petra ſcandali, *cap.* 8. eſt ſaxum magnum ſuper hominem cadens. Itaque Chriſtus fuit lapis offenſionis, quia in humiſitate veniens, non fuit à Judæis agnitus, ſed repulſus: Petra verò ſcandali, quia poſt reſurrectionem & aſcenſionem in cœlum, petra factus, cecidit ſuper eos, & oppreſſit atque contrivit, per Romanos adimens illis locum & gentem. *Matt.* 21. & *Luc.* 20. Vel petra ſcandali ſive offenſionis, id eſt, ruens aut cadens. Et ſenſus eſt. *Ecce*, inquit Deus, *ego ponam in Sion*, id eſt, in Judæa, vel in Eccleſia, cujus initium ex Sion, hoc eſt, Hieruſalem, *lapidem probatum*, *angularem*, *pretioſum*: & eundem *lapidem offendiculi*: hoc eſt, Chriſtum ex Judæis naſciturum, atque inter eos converſaturum; in quem ipſi, qui ſibi rectè, & inoffensè videbantur ambulare, tanquam ex lege juſti graviter impacturi ſint, & caſuri; non ſinè vulnere, videlicet percuſſi, ac læſi à lapide in quem impegerint, ut 1. *Petr.* cap. 2. *Et omnis*, ſive Judæus, ſive Gentilis, *qui crediderit in illum*, lapidem, id eſt, Chriſtum, videlicet per ipſum à Deo juſtitiam & ſalutem expectans, *non pudefiet*, id eſt, expectatione ſuâ non fru-

ſtrabitur: quia ſicut credidit, omninò futurum eſt ei. Vel ex Hebræo, *non feſtinet*, id eſt, non ſit impatiens moræ, ùt *Jerem.* 17. 2. *Petri* 3. Sed patienter expectet; certus ita futurum ùt credidit, etiamſi res diu differatur. Et loquitur de fide conjuncta cum fiducia & obedientia, ùt *cap.* 1. & 3. Quod dixit ad piorum conſolationem & exhortationem, ex *Eſtio*. Qui ſi piè credunt, de reproborum numero non ſunt futuri.

CAPUT X.

℣. 1. *Fratres, voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum, ſit pro illis in ſalutem.*

PRopenſa ac bona voluntas, quam in me ſentio erga gentem meam, & deprecatio quâ Deum pro illis oro, eſt ad eorum ſalutem Orat autem non ut omnes ſalvi fiant, cùm ſciret reprobatos quàm plures, ſed ut aliqui ex illis, quos Deus præordinaverat per orationes Sanctorum eſſe ſalvandos.

℣. 2. *Teſtimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam.*

Zelum Dei non regulatum habent; & legem juſtitiæ ſectantur, quod in genere laudabile eſt, ſed id non faciunt ſecundùm cognitionem neceſſariam: neſciunt enim quâ viâ quærenda ſit juſtitia quâ Deo placeatur. Hunc zelum Judæorum etiam Chriſtus improbat *Joan.* 16. ℣. 2. & 3.

℣. 3. *Ignorantes enim juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.*

Juſtitiam Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed

quam in nobis efficit: vel quâ quis coram Deo verè juſtus eſt, ùt *cap.* 1. & 3. *Et ſuam*, quæ habetur propriis viribus ſolâ legis juſtitiâ adjutis, ſtatuere conantes, non fuere ſubditi juſtitiæ Dei, nec ejus participes facti, quia hujus nemo particeps fit, niſi per humilitatem fidei ſe Deo ùt authori juſtitiæ ſe ſubjiciat, *Pſal.* 3.

℣. 4. *Finis enim legis, Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.*

Impletio, conſummatio, perfectio, ùt *cap.* 13 & 1. *Tim.* 1. Id eſt, Chriſtus eſt, per quem lex impletur, & vera juſtitia acquiritur, quatenùs quiſque in eum credit ùt propitiatorem: per quem Deus & peccata remittit, & gratiam benè vivendi præſtat. Vel quia lex ceremonialis ſignificando & prænunciando, & lex moralis arguendo infirmitatem hominis, Chriſtum ùt finem ſpectabant, à quo eſt juſtitia & ſanctitas, quam lex vi ſuâ largiri non poterat. Vel quia Chriſtus legem venit adimplere, *Matth.* 5.

℣. 5. *Moyſes enim ſcripſit, quoniam juſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, vivet in ea.*

Scripſit Lev. 18. Græcè hìc & ad Gal. 3. habetur *vivet in eis*, ſubintelligendo, *mandatis*. Aliqui *juſtitiam, quæ ex lege eſt*, intelligunt eam, quæ habetur ex ſola legis cognitione, non ex fide & gratia Chriſti, & conſiſtit in externa qualicumque obſervatione præceptorum legis. Quam juſtitiam, qui fecerit homo, vivet in ea, vitâ temporali; quia lex *Moyſis* non minatur ei mortem, ſed magis promittit bona temporalia, etiamſi legem ſervet ſolo timore pœnæ; ſicut eam ſervabant carnales Judæi. Quem intellectum confirmare videtur antitheſis, quam hìc & ℣. 6. facit Apoſtolus

inter juſtitiam, *quæ ex lege eſt*, & eam, *quæ ex fide eſt*; ùt ad Phil. 3. Levit. 18. Eſech. 20. ex *Aug*. lib. 4. *contra* 2. *Epiſt*. *Pelag*. cap. 5. Alii tamen meliùs *juſtitiam*, *quæ ex lege eſt*, intelligunt eam, quæ eſt ex vera legis obſervatione, & conſequenter de vita æterna *præcipuè* hunc locum accipiunt; ita ut ſenſus ſit. *Moyſes* ſcripſit de juſtitia quæ eſt ex lege obſervata, eum victurum verâ & æternâ vitâ apud Deum, qui fecerit ea, quæ lex præcipit. Sed hanc juſtitiam nemo conſequi poteſt niſi per fidem in Chriſtum; quia vera juſtitia ſumit initium à fide, quam nulla præcedunt opera; continuatur autem & augetur ex eadem fide per bona opera lege præcepta. Hic ſenſus optimè reſpondet ℣. 4., ſic *Chryſ. Theoph*. *Oecum*. quin & *Aug*. eodem loco pro priore ſenſu allegato, ſcilicet *lib*. 4. *contra* 2. *Epiſt*. *Pelag*. cap. 5. & *lib*. *de Spir*. *&* *litt*. cap. 29. Dicitur de vita æterna *præcipuè* &c. quia poteſt etiam *ſecundariò* accipi de vita temporali, ùt prœmio veræ juſtitiæ. Siquidem hæc vita illius prœmii portio quædam eſt. Unde præceptum illud legis: *honora patrem tuum & matrem tuam*, *ut ſis longævus ſuper terram* Exod. 20. *Paulus* repetit cum ſua promiſſione *ad Epheſ*. 6. vide *Eſtium*.

℣. 6. *Quæ autem ex fide eſt juſtitia, ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo: quis aſcendet in cœlum? Id eſt, Chriſtum deducere:*

℣. 7. *Aut quis deſcendet in abyſſum? Hoc eſt, Chriſtum à mortuis revocare.*

Moyſes de juſtitia per fidem habenda *ſic dicit Deut*. 30. *N dixeris in corde tuo:* id eſt, apud temetipſum: *Quis aſcendet in cœlum*? Scilicet ad deducendum inde Chriſtum, hoc enim di-

cere, eſt impoſſibile reputare, quòd Chriſtus deſcenderit de cœlo, ut carnem aſſumeret pro ſalute noſtra: quomodo naturaliter impoſſibile eſt homini aſcendere in cœlum, atque inde aliquid huc adducere. Neque dicas. *Quis deſcendet* in profundum? Videlicet ad reducendum Chriſtum à mortuis, atque ab inferis ad vitam. Nam hoc dicere, eſt impoſſibile reputare quòd Chriſtus reſurrexit: quomodo naturaliter impoſſibile eſt, ut quis deſcendat ad inferos, & inde aliquid huc reducat, ita *Eſtius* ex *Chryſ.* Alii ſic exponunt. *Ne dicas*: *Quis aſcendet in cœlum*? ? Id eſt, nemo aſcendet. Hoc enim eſſet Chriſtum ex alto deducere, id eſt, negare aſcenſionem ejus in cœlum, & ſeſſionem ad dexteram Patris. Neque Dicas. *Quis deſcendet in Abyſſum?* Id eſt, nemo deſcendet. Hoc enim eſſet Chriſtum à mortuis & ab inferis reducere; id eſt, negare ejus mortem, & ad inferos deſcenſum, & conſequenter reſurrectionem ejus à mortuis. Nota quòd Apoſtolus volens commendare juſtitiam fidei, primùm removet infidelitatem ei contrariam, quâ quis dubitaret de Chriſti incarnatione aut reſurrectione, & cæteris myſteriis. Deinde fidem ipſam exigit, dicens;

℣. 8. *Sed quid dicit Scriptura? Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus.*

℣. 9. *Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuò credideris, quòd Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris.*

Moyſes hoc dixit de mandato legis, quo vera juſtitia præcipitur; ſignificans legem per diligentem & frequentem ipſius expoſitionem fa-

tis inculcatam eſſe populo, ut jam illud & ore recitare & memoriâ retinere facilè poſſit : ut jam, non ſit opus niſi bonâ voluntate ad illud opere implendum. *Paulus* verò transfert hoc ipſum ad fidem quâ juſtificamur; quam vocat *verbum fidei*, ſeu Evangelium, quæ eſt prope te, in ore, & corde, *quia ſi confitearis*, ſi ore confeſſus fueris Dominum Jeſum deſcendiſſe de cœlis & hominem factum. ùt 1. *Corinth.* 12. & *Hilar.* l. 10. *de Trinit.* & à mortuis ſuſcitatum, idque *in corde tuo credideris*, ſalvaberis. Velut jam ex fide & confeſſione fidei juſtitiam adeptus, quæ perducit ad ſalutem.

℣. 10. *Corde enim creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

Confeſſionem dicit non peccatorum, ſed ejus quod creditur. Fidei adſcribit juſtitiam: confeſſioni ſalutem : ut cùm res poſtulat, fidem quam in animo habet, ore confiteatur: ût imprimis in baptiſmo, quod eſt fidei ſacramentum.

℣. 11. *Dicit enim Scriptura : omnis, qui credit in illum, non confundetur.*

Græcè *in eo*. Per quod ſignificat fiduciam fidei conjunctam. Ac ſi diceret ; ſperatam ſalutem omninò aſſequetur. Spe ſuâ non fraudabitur. Credentem intelligit obedienter, ſeu cum voluntate faciendi ea quæ fides præſcribit. *Iſa.* 28.

℣. 12. *Non enim eſt diſtinctio Judæi, & Græci : nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.*

Id eſt. Nemo à ſalute excluditur modò credat : & hoc conſentaneum eſt, cùm ſit omnium Dominus, jure creationis; nec deſit poteſtas cùm affluat divitiis bonitatis.

℣. 13. *Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.*

Joel. 2. Intellige qui rectè, & ex fide invocaverit per Chriſtum: remiſſionem peccatorum, gratiam, juſtitiam, perſeverantiam & cætera bona obtinebit.

℣. 14. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?*

Colligit fidem ex invocatione: ut ſic probet ex fide juſtitiam eſſe & ſalutem. Nota, ſanctos invocari non ùt authores ſalutis. Occaſione autem ejus quod dixit de ſalute omnibus credentibus & invocantibus promiſſa, ſubjicit & interſerit quædam de generali prædicatione Evangelii per omnes gentes. Si enim beneficium Dei ſtatuentis hominem juſtificare & ſalvum facere per fidem, propoſitum eſt omnibus tam Gentilibus, quàm Judæis, fidem verò accipere, id eſt, credere non poſſunt niſi audiant; nec audire ſi non ſit qui prædicet; conſequens eſt, ait *Eſtius*, etiam Gentibus prædicandum Evangelium: nec offendi debere Judæos ſi *Paulus* & cæteri Apoſtoli per ſuam prædicationem generale beneficium etiam ad Gentes extendant: ut ſenſus ſit. *Quomodo credent in eum*, de quo non audierunt? Ac ſi dicat: id fieri non poſſe ordinariè. Nam ſic Deus ſtatuit, ut fidei myſteria diſcerent homines ab hominibus, ùt *Act.* 9. & 10. *Quomodo autem audient* de eo in quem credituri ſunt: ſi nemo ſit qui eis annunciet? ac ſi dicat, nec id fieri poſſe.

℣. 15. *Quomodo verò prædicabunt niſi mittantur? Sicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, Evangelizantium bona!*

Græcè *niſi miſſi fuerint à Deo vel Chriſto.* Ut videatur ad Apoſtoli nomen & officium alludere, de quibus ad prædicandum miſſis ſcriptum eſt ab *Iſaïa* cap. 52. Quàm gratus & jucundus eſt adventus eorum, qui hominibus hæc tam læta annunciant, pacem & reconciliationem cum Deo, & bona eximia ad æternam ſalutem eorum pertinentia!

℣. 16. *Sed non omnes obediunt Evangelio. Iſaïas enim dicit: Domine quis credidit auditui noſtro?*

Græcè & Syriace *obedierunt.* Loquitur de Judæis. Non omnes, immò verò pauci læta hæc nuncia, quamvis audita, fide recipiunt. Et ſunt verba *Iſaïæ* cap. 53. ad Deum. Vel Apoſtolorum, qui Judæis annunciarunt quæ ab *Iſaïa* prædicta fuerant, ut *Joan.* 12. *Quis credat auditui,* pro *auditioni noſtræ.* Hebraïſmus. Quaſi dicat. Perpauci.

℣. 17. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.*

Verbum Chriſti dicitur verbum ſeu ſermo de Chriſto, id eſt, quo Chriſtus annunciatur. Concludit affirmando, quod paulò ante ſignificaverat, ſic. Ergo fides non eſt niſi per auditum, ſaltem ordinariè. Loquitur autem de fide actuali. Quamquam & fides habitualis ex auditu eſt in adultis. *Marc. ult.* & *Act.* 8. In parvulis autem baptizatis eſt quidem fides habitualis ſinè auditu, non tamen ſinè miniſterio hominis baptizantis. Sed & ea ipſa fides nunquam proficiet in illis ad actum fidei, niſi per

auditum. Nam ut actu credant, inſtructione aliorum & catechiſmo opus habent. Quantò magis infideles?

℣. 18. *Sed dico: numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Quidam hoc referunt ad omnes homines, Gentilibus comprehenſis. Alii meliùs ad Judæos, de quibus præcedens teſtimonium. Nam *Paulu* agit de Judæorum reprobatione. *Pſalmus* 18. ſcriptus eſt de prædicatione cœli, Dei potentiam, ſapientiam & gloriam ſuâ pulchritudine, motu, & ordine prædicantis: ſed myſticè refertur ad Apoſtolos in univerſum mundum miſſos ad prædicandum Evangelium, ut ſit auditus per verbum Dei ad fidem neceſſarius: *Matth.* 28. *Marc.* 16. *Act.* 1. Quod ſi ita eſt, quomodo Judæi non audierunt, etiam qui inter Gentes commorantur? Non ergo ſentit omnes omnium ſeculorum homines audiviſſe: quod conſtat verum non eſſe. Sed ſignificat tempore à Deo præordinato prædicatum eſſe,& prædicari Evangelium, ut per totum mundum audiatur. Neque vult ſuo, id eſt, Apoſtolorum tempore permanaſſe Evangelii prædicationem in omnes populos, ſed jam tum magnâ parte cæptum fieri, & paulatim impleri. Nam nec hodie completum id omninò videtur, ut notat *Eſtiu*: tametſi pauci reſtent. Apoſtoli in plures quâquâverſum diſſeminarunt, ad remotiores autem rumore perlatum. Et ſic tempore *Pauli* vaticinium *Pſalmi* impletum, ex *Chryſ.* At ne ſuo quidem tempore notitiam Evangelii ad omnes gentes perveniſſe ait *Aug. ep.* 80. *ad Heſych.*

℣. 19. *Sed dico: numquid Iſraël non cognovit? Primus Moyſes dicit: ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam.*

Peccatum exaggerat, ac ſi dicat. Iſraël non tantùm *audivit* quod toti orbi commune eſt, ſed & *cognovit*, id eſt, vidit, prope inſpexit, contrectavit quod prædicamus: ita ut nihil excuſationis habeat: ùt *Joan.* 15. *Non gentem* infinito nomine vocat *Moyſes Deut.* 32. gentem contemptibilem & gentis nomine indignam, utpotè inſipientem, ſtultam ac ſtolidam: ut quæ pro Deo lapides & ligna coleret. Ut ſenſus ſit. Ego Gentilem populum hactenùs ob ignorantiam veri Dei meritò contemptibilem & à vobis contemptum, tantis afficiam beneficiis, ut eorum felicitas ad invidiam & indignationem vos provocet. Dicitur autem Deus ad invidiam & iram provocare, non quod horum peccatorum ſit author, ùt ſentiunt hæretici; ſed quia præſtat ea beneficia, ex quibus alii capiunt invidendi & iraſcendi occaſionem. Quòd ſi invidia & ira in æmulationem convertantúr, & Judæi Gentilium felicitate provocati, in Chriſtum credant, quod intendit Apoſtolus ſequenti capite, is affectus bonus eſt & à Deo.

℣. 20. *Iſaïas autem audet, & dicit: Inventus ſum à non quærentibus me: palàm apparui iis, qui me non interrogabant.*

Quaſi dicat ex Græco, *Iſaïas* autem, ſeu poſt *Moyſem*, id eſt, à *Moyſe* ſumptâ fiduciâ, nihil veritus offenſionem ſui populi, totâ fiduciâ audet dicere c. 65. in Dei vel Chriſti perſona.

Inventus præteritum pro futuro ob rei certitudinem more prophetico. Id eſt. Invenient me, fide ex auditu conceptâ, qui me non quærebant, ac de me nihil cogitabant occupati in cultu falſorum deorum, ſcilicet populus gentilis. Et cognoſcendum me ingeram iis, quibus nec in mentem venit ut de me interrogarent. *Hebræi* legunt, *quæſitus ſum iis, qui non interrogaverant*, id eſt, manifeſtus factus ſum ſeu obvius factus ſum vel expoſitus ſum. Vel eſt metalepſis, quæſitus ſum, id eſt, inventus ſum, ut ex priore poſterius ſignificetur.

℣. 21. *Ad Iſraël autem dicit: totâ die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.*

Græcè *adversùs Iſraël.* Nam de eo & contra ipſum faciunt, ut ad *Hebr.* 1. *Marc.* 12. *Luc.* 20. & in hac *epiſt. c.* 4. 8. & 11. Ex quo ſequitur per prædicationem Chriſti & Apoſtolorum ejus & per crebra miracula ab eis facta continuè velut expanſis ad amplectendum manibus præbui me cognoſcendum populo Judaïco, qui tamen perſuaderi non potuit, ut crederet: ſed ſemper reſtitit, ut *Luc.* 2. Sequitur etiam, Iſraëlem cognoviſſe de Chriſto: quia non ſolùm audivit de eo, ſed etiam vidit prædicantem, & mira operantem, ut proinde ſit inexcuſabilis quòd non crediderit. *Joan.* 15.

CAPUT XI.

℣. 1. *Dico ergo : numquid Deus repulit populum ſuum ? Abſit. Nam & ego Iſraëlita ſum ex ſemine Abraham , de tribu Benjamin :*

DIco, & quæro nunc occaſione teſtimoniorum quæ ex *Moyſe* & *Iſaïa* adduxi. Num igitur Deus repulit populum ſuum omninò, atque in totum ? Abſit. Nam fateri deberem me quoque qui ex illo ſum populo non ùt proſelytus, ſed verè progenitus ex ſemine Abraham & ex illuſtri tribu Benjamin , rejectum eſſe , & alienum à promiſſione facta Abrahæ. Et eadem eſt ratio de multis aliis Judæis in Chriſtum credentibus.

℣. 2. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit. An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura : quemadmodum interpellat Deum adversùm Iſraël ?*

Ut c. 9. Non repulit Deus populum ſuum Iſraëliticum , quâ parte eum præſcivit , ſeu præcognovit , id eſt , prædilexit , elegit ac propriè ſuum eſſe populum voluit ; in quo beneplacitum eſt ei ab æterno , *Pſalm.* 149. ſeu quem præordinavit ab æterno ad ſalutem , ùt cap. 8. ſic *Auguſt.* l. *de dono perſever.* cap. 18. & *S. Thom. In Elia*, id eſt, de Elia vel in geſtis Eliæ. 3. *Reg.* 19. vel in perſona Eliæ errantis , non Spiritûs ſancti. *Interpellat* , id eſt , queritur de populo Iſraël decem tribuum, atque adversùs eum poſtulat vel auxilium vel ultionem, tanquam totus à Dei cultu ad impietatem delapſus eſſet.

℣. 3. *Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt : & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam.*

Juſſu *Jezabel* Prophetæ occiſi ſunt. 3. *Reg.* 19. Et juſſu *Eſcchiæ* & *Joſiæ*, Regum Juda rectè & conformiter ad Legem aræ, in Excelſis Deo exſtructæ, everſæ ſunt, quas tamen impium erat odio Dei evertere, utì fecerunt *Achab* & *Jeſabel*. Tale erat altare, quod inſtauravit Elias. 3. *Reg.* 18. Dicit *ſolus*, quia ignorabat, quantæ laterent in populo cultorum Dei reliquiæ, vel *ſolus* Propheta, ùt c. 18. vel penè *ſolus*. Et *Jeſabel* & conſortes *quærunt* me ad perdendum.

℣. 4. *Sed quid dicit illi divinum reſponſum? Reliqui mibi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.*

Sed quid Deus oraculo ſuo reſpondet ei? 4. *Reg.* 10. deſcribuntur ſeptem millia virorum, præter mulieres & parvulos, qui non adoraverunt ſtatuam ſeu idolum Baal, cultu nec externo, nec interno. Vel *ſeptem* pro multis, ex *Auguſt.* l. *de dono perſ.* cap. 18. & *Chryſ.* qui notant, non dixiſſe Dominum relicta ſunt, ſed *reliqui mibi*, videlicet ad commendandum gratiæ ſuæ beneficium, ac ſi dicat; ego per gratiam meam mihi eos ſervavi. Quæ explicatio optimè quadrat initio ſequentis versûs.

℣. 5. *Sic ergo & in boc tempore reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt.*

Salvæ, neque in græco neque in ſyriaco neque in omnibus latinis legitur. *Origenes* & *Auguſt.* paſſim legunt. Senſui non adeò pugnat iſta additio. Nam ſenſus eſt ex *Eſtio.* Deum

per ſuam gratiam ſibi ſervaſſe ſeptem millia virorum, qui non flexerunt genua ante Baal, licèt id Eliam Prophetam Domini lateret: ſic & in hoc præſenti tempore promulgati Evangelii, per electionem Dei gratuitam, ex populo Judaico Chriſtum recipere nolente (de quo *Joan.* 1. *Et ſui eum non receperunt*) factæ ſunt reliquiæ, id eſt, reliqui ſunt, remanſerunt ac ſervati ſunt multi qui Chriſtum reciperent.

℣. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.*

Id eſt. Si per gratiam ſeu gratuitam Dei electionem ſervatæ ſunt reliquiæ quæ in Chriſtum crederent, non igitur ex operibus, id eſt, ex aliquo operum merito, id conſecutæ ſunt: ſcilicet, ut tanquam reliquiæ ſervarentur, aliis pereuntibus, ſic *Aug.* l. *de bono perſ.* Nam ſequeretur gratiam non eſſe gratiam, & falsò gratiam vocari; quia repugnant gratuitum & debitum. Gratia enim ſonat aliquid indebitum: meritum autem omne ùt tale, aliquo modo debitum eſt. Non tamen hinc ſequitur: (ùt erroneè Sectarii volunt) nulla noſtra opera mereri vitam æternam. Apoſtolus enim non de quibuſcumque operibus, ſed de iis tantùm loquitur, quæ omnem gratiam præveniunt, & ad ſolas naturæ vires referenda ſunt; quomodo de operibus loquebantur Judæi, ſuam volentes ſtatuere juſtitiam, & poſteà Pelagiani, docentes gratiam dari ſecundùm merita. Sunt autem alia opera, quæ ſunt ex gratia Dei, & èatenùs gratuita, quæ ſimul ſunt meritoria, quia omnia à Deo requiſita habent ad meritum. Hocque ſenſu vita æterna eſt gratia ſimul & merces: quia opera, quibus eam meremur, à gratia Dei promanant. In quo (teſte *conc. Trid.* ſeſſ. 6.

cap. 16.) maximè commendatur Dei erga omnes homines bonitas, quòd *eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.*

℣. 7. *Quid ergo? Quod quærebat Iſraël, hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt: cæteri verò excæcati ſunt:*

Id eſt, Judæi juſtitiam, quam quærebant & adhuc quærunt, non ſunt aſſecuti; quia non eam quæſierunt, nec quærunt ùt oportet. Quærunt enim ex operibus, cùm illa ſolùm habeatur ex gratia (ùt c. 9.) Sed reliquiæ illius populi, quas Deus per gratiam ſuam elegit, conſecutæ ſunt juſtitiam, videlicet ex fide. *Electio* pro electis: exceptis autem reliquiis ſeu electis, *cæteri* Judæi non ſolùm deſerti ſunt, ſed etiam ſuâ malitiâ excœcati, ut clarum lumen Evangelii non videant; imò & indurati ut videre nolint.

℣. 8. *Sicut ſcriptum eſt: dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos ut non videant, & aures ut non audiant, uſque in hodiernum diem.*

Id eſt. Spiritum doloris & invidiæ adversùs Gentiles in Chriſtum credentes: vel potiùs ſpiritum ſtuporis & pertinaciæ, id eſt, animum in malo conſtantem, & obſtinatum & nihil ſentientem, ut inde nequeat dimoveri. ex *Chryſ. Uſque in hodiernum diem* adjecit *Paulus*, ut ſignificaret, id quod prædictum eſt ab *Iſaïa* c. 6. Vel à *Moyſe Deut.* 29. jam impletum eſſe, & quotidie impleri. Quaſi dicat. Experientia nunc teſtatur ita ſe rem habere, ut Judæi ita à Deo derelicti ſint, ut quod homini contingit in corpore, patiatur in animo, ſcilicet ut præ ſtupore, nec oculis utantur ad videndum, nec

auribus ad audiendum, ſic ut attendant animis ad myſteria ſalutis per Evangelium revelatæ: idque ex quo tempore Chriſtus advenit uſque in præſens. Colligit hinc *Eſtius*, quoſdam ita deſeri, ut auxilium iis præſto non ſit quo ſe convertant: ſed ad eam rem novo divinæ gratiæ auxilio opus eſſe, ùt 2. *Tim.* 2.

℣. 9. *Et David dicit: fiat menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis.*

Fiat in hebræa, *erit*. Nam Propheta non nudè prædicit hanc pœnam, ſed eam tamquam juſtam optat & approbat: quia ſuam voluntatem divinæ, quam certò cognoſcit, confirmat. *Menſa* eſt ſacra Scriptura, vel prædicatio Evangelii, vel epulum agni Paſchalis: eo quod Judæi cùm tempore Paſchæ conveniſſent Hieroſolymam ad comedendum Phaſe, omnes ab exercitu Romano concluſi, ac veluti laqueo comprehenſi, miſerè perierunt, ex *Joſepho* l. 7. *de bello Jud.* c. 17. ſed de ſpirituali pœna agit: fit enim Scriptura ſacra in laqueum & ſcandalum omnibus illis, qui contempto Eccleſiæ magiſterio privatum ſuum ſenſum ad eam adferunt, ùt faciunt Judæi & hæretici, quibus certus inſtat interitus.

℣. 10. *Obſcurentur oculi eorum ne videant: & dorſum eorum ſemper incurva.*

Id eſt. Mens eorum ſubtractione tui luminis ita obtenebretur, ut recto judicio privati claram & præſentem veritatem non agnoſcant, nihil cœleſte ſapiant, ſed animo & deſiderio ſemper in terram incurventur. Chriſtianorum contrà converſatio in cœlis eſt. 3. *Col.* 3.

℣. 11. *Dico ergo : Numquid ſic offenderunt ut caderent ? Abſit. Sed illorum delicto, ſalus eſt Gentibus ut illos æmulentur.*

Num ita Dei judicio Judæi ſunt excœcati, ut actum ſit de tota natione ? Et ait, Abſit ? *Ut*, cauſa eſt finalis vel eventus. Id eſt. Non ſic offenderunt ut penitùs caderent : ſic tamen ut laberentur ex Græco, quod minus eſt quàm cadere : nam reliquias inde ſibi ſervavit & cæterorum caſu ad tempus uti voluit tanquam occaſione converſionis & ſalutis Gentium, ex *Chryſ.* Unde docet Judæorum ſalutem quamvis offenderint, non eſſe deſperandam. Primò, quia ſalus Gentium divinitùs eſt ordinata ad bonum Judæorum, quia Gentes ſalutem adeptæ provocant ad æmulationem Judæos, non ſtudio ſed exemplo. Vel Deus ad æmulationem Gentium provocat Judæos, & ipſi Chriſtum ſalvatorem recepturi ſunt, quem prædicantibus Apoſtolis recipere noluerant, non ſolùm in fine ſæculi, ſed etiam aliàs, Deo miſerante, id contingit & continget, licèt non tanto numero.

℣. 12. *Quòd ſi delictum illorum divitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium : quantò magis plenitudo eorum?*

Secundò, ſi lapſus Judæorum per occaſionem ceſſit in ſpirituales mundi divitias, id eſt, in ſalutem copioſè præſtitam Gentibus toto orbe diffuſis. Et ſi abjectio, quâ factum eſt ut tam pauci ex illis fidem reciperent, cæteris infidelitate excœcatis, ceſſit ad multitudinem Gentium convertendam ; quantò magis valebit ad confirmandam & dilatandam in Gentibus fidem converſio ipſius populi Judaici, id eſt,

maximæ multitudinis eorum in fine mundi? Non igitur deſperanda eſt eorum converſio, ex *S. Thom.*

℣. 13. *Vobis enim dico Gentibus: quamdiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo,*

Tertiò, è conatu ipſius *Pauli* in adducendis ad Chriſtum Gentibus: quod quidem non faceret, ſi caſum Judæorum irreparabilem putaret, inquit *S.Thom.* Vocat ſe Gentium Apoſtolum, quia præcipuum ejus officium divinitùs demandatum erat circa ſalutem Gentium. *Act.* 9. Ex quo patet, abs re eſſe, quòd aliqui hoc loco annotant, *Paulum* prædicantem Judæis feciſſe opus ſupererogationis, quaſi per hoc ſuum miniſterium quod in Gentes acceperat, honorificari ſe dicat. Nec enim *Paulus* ſignificat ſe prædicaſſe Evangelium Judæis (quamvis id ſæpè fecerat) ſed ſe prædicantem Gentibus, etiam Judæorum ſaluti conſulere.

℣. 14. *Si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis.*

Carnem ſuam vocat *Judæos*. Quòd, inquit, tam ſedulò exerceo munus Apoſtolicum inter Gentes, non ſolùm id facio pro ſalute Gentium, ſed etiam Judæorum, ut zelotypiâ quâdam moti, dum vident Gentes converti, accedant & ipſi ad fidem. Dicit, *aliquos*, in aliud tempus plenitudine reſervatâ.

℣. 15. *Si enim amiſſio eorum, reconciliatio eſt mundi: quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis?*

Id eſt. Si Judæorum abjectio ceſſit mundo ad peccatorum remiſſionem: quid mundo conferet eorum aſſumptio à Deo, niſi juſtifi-

cationem, quæ eſt vita ex mortuis? ùt *cap.* 4. Vel vita ex mortuis, eſt generalis reſurrectio, quæ conſecutura eſt Judæorum aſſumptionem, ex *Chryſ.* vel cumulus bonorum, ex *Occum.*

℣. 16 *Quòd ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami.*

Id eſt. Si Patriarchæ, qui ſunt velut primitiæ populi judaici & *radix*, ſancti fuerunt, etiam populus Judaicus ipſe ex illis progenitus, reputabitur ſanctus, velut *maſſa* & arbor. *Num.* 15. ita *Chryſ.* Vel primitiæ, & *radix* ſunt Chriſtus quoniam omnis qui ſalvatur, inſeritur, & ex hac delibatione ſancta omnis maſſa humani generis ſanctificatur, ait *Orig.* Utitur autem his duabus comparationibus, velut quarto argumento probabili ad docendum, Judæos potiori ratione participes fieri poſſe gratiæ Dei, quàm Gentiles: eo quod nati ſint ex patribus, quibus factæ ſunt promiſſiones, quique ſancti fuerunt & accepti Deo. Nec ſanctum vocat populum Judaïcum, eo quod ſanctitatem in ſe habeat, ſed quia habet unde ſanctificetur, tanquam ex primitiis, & rami ex radice. Ut proinde dici poſſit ſanctus in ſpe, & causâ probabili, & in quadam præparatione, ùt 1. *Corinth.* 7.

℣. 17. *Quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cùm oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis olivæ factus es,*

Hìc excludit gloriationem Gentilium contra Judæos. quos viſus fuerat deprimere. Et perſiſtens in metaphora Judæos vocat olivam: Gentiles verò oleaſtrum, id eſt, oleam ſylveſtrem. Ait igitur: quòd ſi nonnulli ex Judæis, tanquam oleæ rami excisi ſeu fracti ſunt, ii

ſcilicet qui cùm adventum Chriſti expectarent, eum tamen jam præſentem non agnoverunt modò, ſed & oppugnaverunt. Ita cùm fide Chriſti trunco adhærerent, novâ perfidiâ detruncati ſunt. De Gentibus verò, *tu autem*, inquit, *cùm oleaſter eſſes*, id eſt, ſylveſtris olea, ſeu populus profanus & infidelis ex profanis oriundus, nuper inſitus es olivæ *in illis*, id eſt, inter illos, ſcilicet olivæ ramos in arbore manentes. Hoc eſt per fidem, ſpem & charitatem adjunctus es, & unitus ſanctæ ſocietati eorum qui deſcenderant ex Patriarchis. Et unà cum ramis olivæ naturalibus factus es particeps ejuſdem radicis, ejuſdemque pinguedinis, quam radix toti arbori communicat, hoc eſt, tanquam & ipſe ex Patriarchis ortus eſſes. Eandem Dei notitiam ac multiplicem gratiam ſimul cum Judæis illorum poſteris, velut Judæorum cohæres, ex communi radice ſuxiſti, ut ad *Eph.* 3.

℣. 18. *Noli gloriari adversùs ramos. Quòd ſi gloriaris: non tu radicem portas, ſed radix te.*

Nam iniquum eſt ramos inſititios jactitare ſe contra naturales, iisque ſe anteferre velle. Quòd ſi adhuc exiſtimes tibi gloriandum eſſe contra ramos alios, quia plures & fructuoſiores ſunt naturalibus: illud cogites quòd etiam radix ipſa (quæ te ſuſtinet, non tu illam) in populo Judaico eſt. Nam Patriarchæ & Prophetæ, qui fuerunt ex illo populo, ſunt loco radicis olivæ, *Eph.* ſ. 2. Proinde ſicut ramus habet omnem ſuam viriditatem & fructum ex radice; ita omnis ſalus tua referenda eſt ad illum populum propter eorum Majores, *Joan.* 4. *quod ſalus ex Judæis eſt.*

℣. 19. *Dices ergo : fracti ſunt rami, ut ego inſerar.*

Tu popule Gentilis, dices : Fracti ſunt ab arbore rami naturales, & ſic factum eſt, ut eorum loco ego inſererer : & ideò gloriabor ramus inſititius, inhærens arbori, contra ramos fractos.

℣. 20. *Benè : propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas : noli altum ſapere, ſed time.*

Benè dicis, probo quod ais, illos fractos, & te inſitum eſſe : immò fractos illos ad hoc ut tu inſeraris. Sed, ne vel ob id tibi adversùs eos gloriandum exiſtimes : nam eo ipſo quo credere in Chriſtum noluerunt, ab arbore fidelis & ſancti populi evulſi ſunt. Tu autem non tuo opere, ſed per fidem inſitus in ſacram olivam, eâdem fide adhuc in illa ſtas, id eſt, manes & conſiſtis : ſicut illi, contra quos glorians, aliquando ſteterunt. Caveto ne ſuperbias propter hoc, quia fide ſtas in oliva : *ſed time* ne aliquando per infidelitatem ab ea excidas, ſicut illi exciderunt. Hinc diſcat hæreticus fidem amitti poſſe.

℣. 21. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit : ne fortè nec tibi parcat.*

Nam ſi Judæos, quibus videbatur plus aliquid deberi, permiſit excidere per infidelitatem : metuendum ne te excidere permittat. Id quod multis hominibus & nationibus integris contigiſſe videmus. Quæ ratio valet ad comprimendam omnem gloriationem Gentilium adversùs Judæos, & cujuſque hominis gloriantis contra alterum : quòd enim ſtat, totum ad gratuitam Dei miſericordiam referri debet.

℣. 22. *Vide ergo bonitatem & ſeveritatem Dei : in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem : in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris.*

Ut intelligas te nihil habere unde glorieris adversùs Judæos, conſidera ſeveritatem, quâ utitur in Judæos quos cadere permiſit. Ergà te autem benignitatem, quâ ſcilicet te populum Gentium ſinè ullis tuis meritis ad Evangelii gratiam vocavit efficaciter, ſi perſeveraveris in fide & juſtitia. Nam ſi non permanſeris, noveris certiſſimè, te non eſſe in eorum numero, ad quos eligentis Dei bonitas pertineat, eo enim ipſo amputaberis.

℣. 23. *Sed & illi, ſi non permanſerint in incrudelitate, inſerentur : potens eſt enim Deus iterùm inſerere illos.*

Id eſt. Atque è diverſo Judæi, ſi relictâ infidelitate fidem ſuſceperint, eo ipſo rursùs inſerentur arbori olivæ. Et ſic loquitur Apoſtolus, ut oſtendat, ne primam quidem gratiam Dei moventis hominem, eſſe ſinè coöperatione liberi arbitrii : & hominem excidere poſſe à gratia Dei & juſtitia. Et ne quod dictum eſt, *ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur*; ita tribuatur hominis voluntati, tanquam illius ſit aliquid proprium, totum revocat ad potentiam, & efficaciam gratiæ Dei : ſimul innuens hoc, quod dicit Deum poſſe, ab eo ſperandum eſſe ; ſicut & alibi Dei potentiam allegat ad ſpem excitandam : ùt infra cap. 16. *qui potens eſt & vos confirmare*, & 2. *ad cor.* 9. ℣. 8.

℣. 24. *Nam ſi tu ex naturali excisus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam olivam: quantò magis ii, qui ſecundùm naturam inſerentur ſuæ olivæ?*

Dicit Græcè, *præter*, ſeu *contra naturam*. Non enim conſuevit ramus arboris malæ inſeri in bonam arborem: ſed potiùs è converſo, ait *S. Thom.* Quantò magis per eandem Dei potentiam, quâ tu Gentilis exciſus ex oleaſtro inſertus es, Judæi qui *ſecundùm naturam* ſunt, id eſt, qui ſunt rami naturales olivæ, iterùm eidem ſuæ olivæ inſerentur, ſic ut inſiti coaleſcant, hoc enim ſecundùm rationem magis conſentaneum videtur, tamen Deo omnia ſunt æquè facilia.

℣. 25. *Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc: (ut non ſitis vobis ipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret,*

Scire vos volo *ſacramentum* ſeu rem eatenùs arcanam & paucis cognitam (hoc dico ad deprimendam arrogantiam veſtram, & ne inſoleſcatis placentes vobis ipſis) Iſraëlem ex parte non exigua, ſed multò maxima excæcatum & obduratum eſſe, non in perpetuum, ſed ad tempus, donec multitudo Gentilis populi ex omnibus mundi partibus ſecundùm Prophetarum prædictiones collecta fuerit ad fidem, ſeu *intraverit* in Eccleſiam fidelium. Vel ſi *donec*, pro *ut*, dictum eſt, ſenſus erit: propter hoc permiſit Deus excæcari & obdurari Judæos, ut plenitudo Gentium fidem reciperet.

℣. 26. *Et ſic omnis Iſraël ſalvus fieret, ſicut ſcriptum eſt: veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem à Jacob.*

Id eſt. Poſtquam plenitudo Gentium intra-

verit, tùnc Iſraël jam non ex parte credet, ſicut nunc, ſed *omnis*, id eſt, totus Iſraël, fidem Chriſti ſuſcipiendo, ſalutem adipiſcetur: non quòd nullus tunc ex illo populo in inſidelitate ſit permanſurus, quod ſentire videntur *Chryſ.* & *S. Thom.* Sed quia tam multi tunc convertentur, ut meritò cenſeatur totus populus converti; quæ ſententia probabilior. Et ſicut *plenitudo Gentium* non ſignificat omnes Gentiles ſinè exceptione: ita nec plenitudo Judæorum omnes ſinè exceptione Judæos; ſed ex eis quàmplurimos, ita *S. Gregor. hom.* 12. *ſup. Ezech.* Sunt qui de Iſraële ſpirituali exponunt, qui conſtat ex Judæis & Gentilibus electis, ut ſenſus ſit. Intrante Gentium plenitudine complebitur ſalus totius Iſraëlis. Priùs enim credidit Iſraël carnalis ex parte aliqua, ſcilicet in Apoſtolis & aliis primitivæ Eccleſiæ fidelibus. Deinde per illorum prædicationem credidit Gentium multitudo, & ita ſalus totius Iſraëlis ſpiritualis completa eſt, ſic *Hieron. in Iſa.* cap. 11. Senſus *Iſaïæ*, cap. 59. ùt à *Paulo* citatur, eſt, è gente Judaïca, & ex ipſa ſtirpe *Davidis* (nam Sion erat civitas *Davidis*) naſcetur liberator ac ſalvator, ſcilicet Chriſtus, qui auferat & aboleat peccata populi progeniti ex Patriarcha *Jacob*, qui alio nomine dictus eſt Iſraël. Quæ peccatorum illius populi abolitio cùm perfecta non ſit in primo Chriſti adventu per ipſius & Apoſtolorum ejus prædicationem (tunc enim ſolæ reliquiæ ſervatæ ſunt, cæteri excæcati) relinquitur, introductâ plenitudine Gentium, expectanda, ex *Eſtio*.

℣. 27. *Et hoc illis à me teſtamentum: cùm abſtulero peccata eorum.*

Priora verba. *Et hoc illis à me teſtamentum*, habentur apud *Iſaïam* eodem c. 59. ex *Hier.* & *Chryſ.* Addit autem *Paulus* poſteriora verba,

ut oſtendat quale futurum ſit pactum, ſeu fœdus. Quaſi dicat. In eo teſtamento hoc implebitur, quòd auferam peccata non aliquorum è populo, ſed ipſius populi. Quare nulla verba videntur referenda ad locum *Jer.*31. vel *Iſa.*27.

℣. 28. *Secundùm Evangelium quidem, inimici propter vos: ſecundùm electionem autem, chariſſimi propter patres.*

Id eſt. Qui Judæi ſive Iſraëlitæ, quantùm attinet ad cauſam Evangelii, cui pertinaciter adverſantur, exoſi ſunt Deo, idque *propter vos*, id eſt, occaſione ejuſdem Evangelii vobis Gentibus prædicati; quæ res eos maximè à fide alienavit, ex *Chryſoſt.* Vel *propter vos*, id eſt, propter veſtram ſalutem, quam Deus operari voluit, ex occaſione Evangeli à Judæis rejecti: ut proinde eis inſultare non debeatis; quando eorum peccatum vobis ceſſit in tantum bonum, ex *Ambr. Inimici*, id eſt, Evangelii perſecutores, ex *Aug. epiſt.* 39. *ad Paulum* q.6. Quòd ſi verò conſideretur electio divina, quâ ſcilicet illum populum, non ſolùm exiguam populi partem, Deus elegit ad ſalutem, (quæ utique electio aliquando implebitur:) hâc ratione Deo dilecti ſunt, idque propter patres eorum, id eſt, ſanctos Patriarchas quos ſuprà primitias & radices vocavit: quorum fides & pietas ita Deo placuit, ut promiſerit ſe Deum fore ſeminis eorum poſt eos. *Gen.* 17. *Deut.* 4. Ex quo patet, quòd *inimici & chariſſimi*, non iidem intelliguntur, ſed in eodem populo diverſi, ùt notat *Aug.* l. *de præd. ſanct.* cap. 16. Poſſunt etiam non ad Deum, ſed ad *Paulum* referri, *ut inimici* ſint Judæi quantùm attinet ad Evangelii prædicationem, quam illi recipere nolentes, etiam Gentibus invidebant, quarum ipſe erat Apoſtolus: *chariſſimi* verò, quatenùs erant populus

electus à Deo, quibus paratus erat officia dilectionis exhibere propter patres eorum, quos Deus dilexerat. Quidam putant eſſe ſuperlativum pro poſitivo dilecti, ùt *Luc.* 8. & 10. *Hebr.* 13. *Jac.* 1. *Matth.* 12. *Act.* 18. *Phil.* 4. Sed Græcè vim habet ἀγαπητὸς ſuperlativi, ùt *Matth.* 3. Et Apoſtolis & viris Apoſtolicis mos erat, fideles omnes ſic ſalutare. *Chariſſimi.*

℣. 29. *Sinè pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei.*

Græcè, *impœnitenda*, quæ pœnitentiâ revocari non poſſunt: vel immutabilia. Sentit enim electionem Judæorum firmam atque immobilem permanere, & aliquando complendam eſſe: quia *dona Dei & vocatio*, quæ ab electione procedunt, mutari non poſſunt propter hominum peccata, ut non tandem effectum ſuum ſortiantur. Sunt qui dona & vocationem non diſtinguunt; alii meliùs promiſſa intelligunt, id eſt, liberales & gratuitas beneficiorum promiſſiones, quibus implendis ſubſervit vocatio. Non loquitur autem de quibuſlibet donis, nec de qualibet vocatione. Nam quædam dona non fuerunt ſine pœnitentia, velut ea promiſſa quæ conditionem habebant annexam: cujuſmodi erant de fertilitate terræ, de hoſtium victoria, de poſſeſſione perpetua terræ Chanaan, &c. Si in Dei cultu permanerent. Hæc enim mutata ſunt & revocata propter non ſervatam conditionem, ùt 1. *Reg.* 15. Similiter & vocatio ſeu juſtificatio hominis non prædeſtinati ſinè pœnitentia non eſt: quoties ita ſubtrahitur donum juſtitiæ ſemel collatum, ut nunquam poſteà reddatur. Sed loquitur de promiſſis & vocatione, quæ ex electione procedunt, id eſt, de iis quæ facta ſunt abſolutè & ſinè conditione; hæc enim ſunt immutabilia: nec fieri

poteſt, ut Deus hominum peccatis offenſus, id quod ſemel abſolutè promiſit, aliquando retractet: cujuſmodi fuerunt promiſſiones *Abrahæ*, & *David* factæ de Chriſto naſcituro: & prophetìcè prædictiones de certo tempore quo eſſet naſciturus: & pacta ſeu teſtamentum, quo pollicitus eſt ſe ablaturum ejuſmodi populi peccata.

℣. 30. *Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum:*

Confirmat à ſimili Judæorum ſalutem expectandam à Deo, quamvis nunc credere noſint. Nota non dicere, nunc autem non crediſtis, ſed *miſericordiam conſecuti eſtis*: ut intelligant, quòd crediderunt, eſſe miſericordiæ Dei fidem largientis.

℣. 31. *Ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam: ut & ipſi miſericordiam conſequantur.*

Ut, non tantùm conſequentia, ſed & cauſa finalis eſt, non incredulitatis Judæorum, ſed promiſſionis divinæ. Ut ſenſus ſit. Sicut Gentiles aliquando increduli Deo, licèt nullæ factæ vobis eſſent promiſſiones, tamen miſericordiam conſecuti eſtis, & adducti ad fidem occaſione incredulitatis Judæorum; ita viciſſim de Judæis, quibus factæ ſunt promiſſiones à Deo, putandum eſt: nempè quòd idcircò permiſſi ſunt ad tempus in hanc incredulitatem incidere, quia noluerunt agnoſcere miſericordiam Dei vobis impendendam, id eſt, Evangelium vobis Gentibus eſſe prædicandum, ut & ipſi manifeſtam & inſignem Dei miſericordiam adducentis eos ad fidem, aliquando experiantur.

Hæc eò dicuntur, ait *Eſtius*, ut neutri alteris exprobrent: ſed utrique parem experti miſericordiam, unanimes uno ore Deum ſalutis authorem laudent & glorificent.

℣. 32. *Concluſit enim Deus omnia in incredulitate: ut omnium miſereatur.*

Omnia græcè, *omnes*, ſic *Chryſ. Hier.* & *Aug.* Ut ſenſus ſit. Miro Dei conſilio procuratam utriuſque populi ſalutem, ut priùs concluderet & comprehenderet eos omnes velut captivos ac ſibi obnoxios per incredulitatem, in quam permiſit omnes incidere, & ex qua nullo modo poſſent ſeipſos ſuis viribus eximere: ut ſic locum haberet excellens ejus miſericordia, quâ utrumque populum vinculis longæ infidelitatis abſolutum ad fidem vocaret, & per hoc inſigne opus ſuæ miſericordiæ, ſe glorioſum oſtenderet. Ex qua declaratione patet, *omnes*, comprehendere utrumque populum, id eſt, utriuſque populi multitudinem; non autem utriuſque ſingulos. Tametſi verùm eſt, omnes & ſingulos in incredulitatem lapſuros fuiſſe, niſi Deus aliquos ex utroque populo ſuâ miſericordiâ conſervaſſet. Quòd verò ait, *ut omnium miſereatur*, conſtat ad ſingulos referri non poſſe. Nota *Paulum* redire ad id quod *cap.* 3. intulerat: nempè omnes & Græcos & Judæos peccatores eſſe, nec habere, quòd glorientur: ideòque gratuitâ Dei juſtificatione, quæ per fidem eſt, omnes indigere.

℣. 33. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!*

Exclamatione hâc profitetur ſeſe, etſi in genere rationes quaſdam attulerit electionis,

reprobationis, vocationis & permiſſionis divinæ, non tamen abſolutam & perfectam de his Dei operibus doctrinam tradidiſſe, aut quam tradat noviſſe: ut quorum ratio perfectè à nobis nequeat comprehendi. Quare rectè infertur, neque prædeſtinationis cauſam, neque reprobationis eſſe quærendam ex prævisis hominum meritis: ſed in ſola Dei voluntate poſitam eſſe, in qua omnes operum ejus rationes continentur. *Altitudo*, Græcè, *profunditas*, ex *Hilar. in Pſalm.* 129. & *Hier. in Abac.* 3. Ut ſit ſenſus. O quàm profunda & inſcrutabilis eſt copia ſeu magnitudo, tam ſapientiæ quàm ſcientiæ Dei. Scientia eſt, quæ verſatur circa cauſas medias & omninò circa varios effectus divinæ providentiæ; Sapientia verò contemplatur cauſam primam, atque ſupremam: vel ſapientia de divinis, ſcientia de rebus creatis: etiamſi in Deo utraque ſimplex & una notitia eſt, ex *S.Thom.* Et Apoſtolus explicat id quod dixit de profunditate ſapientiæ. Nam judicia Dei, quibus de rebus ſtatuit & ordinat, actus ſunt ſapientiæ ejus. Et incomprehenſibilia ſive inſcrutabilia ſunt, *Pſalm.* 35. Quia nullus intellectus creatus poteſt ad plenum rationes eorum comprehendere: *Et inveſtigabiles viæ ejus*, id eſt, rationes operum Dei à quoquam penitùs cognoſci non poſſunt. *Eph.*3. *Proverb.*5. *Iſa.*40.

℣. 34. *Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit?*

Id eſt. Nemo perfectè novit cogitationes & conſilia mentis divinæ: nemo particeps & conſcius eſt ejus conſiliorum. *Jerem.* 23.

℣. 35. *Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*

Hæc interrogatio non eſt apud *Iſaiam*, ſed

apud *Job*. 41. Et *Paulus* more ſuo Scripturas è diverſis locis connectit: & oſtendit neminem ullo ſuo merito beneficentiam Dei prævenire poſſe. Siquidem omne bonum meritum hominis, quantumvis exiguum & imperfectum, à præveniente Dei gratia promanat, ejuſque beneficium eſt: & declarat Apoſtolus, id, quod in ſuperioribus egit, nullum eſſe locum juſtæ querelæ, ſi Deus pro arbitrio ſuæ voluntatis alios elegit, alios reprobat: ùt qui nulli quidquam debeat: Unde ab electione, ſeu prædeſtinatione divina omnem meriti opinionem eſſe excludendam: non autem, ùt hæretici volunt, abſolutè evaneſcere omne meritum, ùt notat *Eſtius*. Nam ipſa bonorum operum merita data nobis ſunt à Deo: qui proinde dum ea remunerat, non aliud quàm ſua dona coronat. Nec omninò quiſquam poteſt Deo dare, quod Deus prior non dederit, 1. *Cor*. 4. *Paral. ult*. ex *Auguſt. ſerm*. 16. *de verb. Apoſt*. c. 2.

℣. 36. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula. Amen.*

Dicuntur *omnia* eſſe, *Ex ipſo* ſcilicet, tamquam prima cauſa efficiente. *Et per ipſum*, quatenùs per eundem omnia reguntur & conſervantur. *Et in ipſo*, ſeu *in ipſum*, quia ſic Deus omnia agit & gubernat, ut ea in ſeipſum, tanquam finem, ordinet: *Proverb*. 16. ita *Baſil. lib. de Spir. Sanct*. cap. 5. Vel ex Patre omnia, quatenùs eſt principium ſinè principio; per Filium omnia, quatenùs quod accepit à Patre, tranſmittit in ſpiritum ſanctum. Et ſic in ipſo Spiritu ſanctō ſunt omnia, ùt in fine. *Ipſi gloria* ſit, aut eſt, ad quam omnia ordinantur. Quòd quia velle debemus, dicimus. *Amen*. Id eſt, fiat: in æternum glorificetur Deus.

CAPUT XII.

℣. 1. *Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.*

HUc uſque de fide & gratia juſtificationis, nunc tranſit ad præcepta morum. Incipit autem ab obſecratione, quâ Romanos obteſtatur per illam Dei erga ipſos miſericordiam, quam commendavit ſupra, quâ electi erant à Deo ad ſalutem. Monet igitur Romanos, ut corporibus ſuis ſanctè & ad Dei honorem utantur. Sic enim offeruntur Dei velut hoſtia vivens, ſancta & accepta. *Viventem*, ad differentiam hoſtiarum legalium. Nam & Martyres in paſſione mortis exhibent ſua corpora hoſtiam viventem. *Sanctam*, id eſt, ab omni immunditia peccati immunem, & per hoc Deo gratiſſimam. *Græcè*, rationalem cultum, per quem orationes, jejunia, vigilias intelligit *S. Thomas*. Vel rationalem ſeu ſpiritualem in mente ſitum, ad differentiam externi, ut 1. *Pet.* 2. & *Joan.* 16. Sunt qui ſacrificium Euchariſtiæ intelligunt, ut in canone Miſſæ, ex *Baſil.* & *Chryſoſtom.*

℣. 2. *Et nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſûs veſtri: ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.*

Nolite conformari, græcè, *configurari* his,

qui voluptates ſæculi ſectantur, ſed *transformamini* per mortificationem malorum affectuum: *ut probetis, quæ ſit* &c. Aliqui ex Græco vertunt; *quæ ſit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum & perfectum*, ex *Aug.* l. 10. *de civ. Dei* c. 6. Græco tamen conformior eſt textus vulgatæ, *quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta*; niſi quòd pro *beneplacens* habeatur, *beneplacita*, ſeu accepta. Senſus eſt: *ut probetis*, id eſt, ſcrutemini, *quæ ſit Dei voluntas bona*, &c. id eſt, quæ non præcipit niſi bona, ac ſibi placita, & perfecta; probetis, in quam, ut illam impleatis, ùt *Pſal.* 1. & *Philip.* 4. *Beneplacens*, non ad Deum, ſed ad homines refert *Cajet.*

℣. 3. *Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos: non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei.*

Vocat Apoſtolatum ſuum gratiam, id eſt, munus gratuitò ſibi à Deo collatum: ſimul innuens, ex *Eſtio*, ſe id, quod facit, facere ex officio, ùt 1. *Cor.* 3. *Gal.* 2. & *Epheſ.* 3. *Dico*, id eſt, præcipio, omnibus qui Romæ eſtis. *Non plus ſapere*, id eſt, temperatè & modeſtè ſentire de ſe. Hujus admonitionis cauſa fuit altercatio orta inter Judæos & Græcos de juſtificatione. Nam in ea modeſtiæ fines exceſſerant. Vult igitur ne quis de donis Dei plus quàm accepit, ſibi vendicet vel ne curioſa ſectetur. Sed dico unicuique veſtrum *ſapere*, id eſt, ſentiat de ſe juxta menſuram ac modum doni in fide ſibi collati.

℣. 4. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent:*

℣. 5. *Ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.*

Id eſt. Sicut in humano corpore diverſa membra diverſis ſunt deputata operationibus: ita quotquot ſumus fideles, unum ſumus corpus myſticum ſub Chriſto capite, vel in fide Chriſti. Singuli autem alter alteri commembres, ait *Aug. l.cont. mendac.cap.* 2. ut oſtendat unumquodque membrum Eccleſiæ non ſibi ſoli, ſed etiam aliis operari debere, ſicut fit in corpore naturali.

℣. 6. *Habentes autem donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis, differentes: ſive prophetiam ſecundùm rationem fidei,*

Refert diverſitatem operationum in myſtico corpore, & addit illam eſſe à Deo. Nam *donationes* vocat dona gratuita, ad aliorum utilitatem conceſſa. *Matth.* 25. 1. *Pet.* 4. *Sive Prophetiam*, quâ prædicuntur futura vel interpretantur Scripturæ, vel revelantur ſecreta, ùt 1. *Cor.* 12. & 14. quod donum qui habet, *dico*, ut expendat illud, & eo utatur ſecundùm congruentiam fidei: id eſt, ut ſequatur rectæ fidei dictamen, & caveat, quantumvis ſibi videatur prophetiæ dono præditus, ne quid prænunciet, vel pro Scripturæ interpretatione adferat, quod à regula fidei diſcrepet, aut ad mores non conferat: ùt 1. *Theſ.* 5. Non enim vult Apoſtolus diſtribui unicuique donum prophetiæ, &c. pro fidei magnitudine quam habet; nec docere vult quomodo acquiratur, ſed quomodo eo ſit utendum.

℣. 7. *Sive miniſterium in miniſtrando, ſive qui docet in doctrina,*

Græcè, *in miniſterio*, id eſt, habentes gratiam alicujus miniſterii Eccleſiaſtici, ùt Epiſcopatûs, Presbyterii, Diaconatûs &c. Hanc gratiam qui habet, illi dico, non ſibi placeat, ſed cum modeſtia & cura ad aliorum utilitatem utatur, ſciens ſe vocatum ad opus, non ad honorem: & qùi gratiam docendi habet, id eſt, ea quæ novit, aptis & convenientibus verbis explicandi, & aliis tradendi, eâ utatur facultate ad docendum alios, ùt 1. *Cor.* 12. & 14. *Eph.* 4. *Act.* 13.

℣. 8. *Qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in bilaritate.*

Græcè, *ſive qui exhortatur in exhortatione.* Id eſt, ſi quis veſtrum accepit a Deo gratiam exhortandi, id eſt, animum auditoris oratione ſuâ excitandi ad actiones pietatis, utatur eâ gratiâ: ſunt autem diverſa dona docendi & exhortandi. *Act.* 13 *ex Chryſ.* Vel etiam ex Græco, *ſive qui conſolatur in conſolatione.* Sunt enim in Eccleſia, qui ſingulari gratiâ polleant conſolandi afflictos & infirmos: ex *Theoph.* Et his cui incumbit officium diſpenſandi facultates Eccleſiæ, & collectas fidelium, diſtribuat eas cum ſimplicitate, id eſt, bonâ fide ſinè perſonarum acceptione, ingenuè, liberè, non coactè, ùt *Act.* 6. & 11. ex *Chryſoſt.* Et cui præfectura aliorum commiſſa eſt, is non ſeſe efferat: ſed ſolicitè ſuum munus obeat. *Eccl.* 32. Et qui ab Eccleſia curandis miſeris potiſſimùm ægrotis præfectus eſt, id ex alacritate præſtet. Vel hoc videtur eſſe præceptum omnibus commune, non ſpeciale chariſma.

℣. 9. *Dilectio ſine ſimulatione. Odientes malum, adhærentes bono:*

Græcè, *ſimulationis expers ſit*, ſincera, non ſimulata, ùt fides non ficta, 1. *Tim.* 1. adverſantes peccatum cum horrore, & ſectantes honeſtatem & juſtitiam.

℣. 10. *Charitate fraternitatis invicem diligentes:*

Charitate fraternâ benigni: vel amore fraternitatis invicem affectuoſi, ex *Ambr.* ùt 1. *Pet.* 2. ſeu amore fraterno alius ad alium amanter affecti.

℣. 11. *Honore invicem prævenientes: Solicitudine non pigri: Spiritu ferventes: Domino ſervientes:*

Loquitur de honore activo, non paſſivo. *Prævenientes* ſunt, qui quantùm in ſe eſt, priùs honorant. *Philip.* 2. *Non pigri*, qui ex animo faciunt officium, præſertim quo juvandus eſt proximus. *Ferventes*, qui *Spiritu* ſancto, velut igne, ſuccenſi, vel impetu quodam animi omnia quæ ſui ſunt officii, & charitatis faciunt; ex *Baſil. Domino ſervientes*, non quæ ſua ſunt quærentes. Græcè, *tempori ſervientes*, temporis occaſione utentes ad id quod melius eſt. *Epheſ.* 5. *Coloſſ.* 4. & caventes diligenter ne negotiis minùs neceſſariis ſeſe occupantes, tempus Deo ſerviendi perdant, ſic *Ambr.* Nam cùm de multis officiis & actionibus præcepta dediſſet; hìc jam præcipit, ut in omnibus illis ſerviamus gloriæ Chriſti Domini noſtri, cum ſpe certa cœleſtis præmii.

℣. 12. *Spe gaudentes: in tribulatione patientes: orationi inſtantes:*

℣. 13. *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes: hoſpitalitatem ſectantes.*

Spes præmii cœleſtis alacres, *gaudentes*, in afflictionibus fortes & *patientes* reddit: *in oratione perdurantes* ex Græco, ſeu perſeverantes, ùt *Act.* 1. *Luc.* 18. Et *Sanctorum*, ſeu Chriſtianorum indigentiæ, de facultatibus ſubvenientes, ùt *Gal.* 6. *Philip.* 4. 1. *Tim.* 6. *Heb.* 13. 2. *Corinth.* 8. 1. *Cor. ult.* & 1. *Joan.* 3. Chriſtianos vocat Sanctos, ùt cap. 1. *Ambroſ.* legit *memoriis Sanctorum communicantes.* Sic *Optat.* l. 2. *cont. Donat.* & *Aug. ſerm.* 49. *de verb. Dom. c. ult.* & *Hilar lib. cont. Conſtantium* ubi ſic eum alloquitur; Apoſtolus communicare nos *Sanctorum* memoriis docuit: tu eas damnare coëgiſti. Ut ſenſus ſit. *Sanctorum* qui vel defuncti ſunt, vel adhuc vivunt, jugis habeatur memoria: ut tam doctrinam, quàm mores imitando, cum eis communicemus. Vel nos memores eſſe debere eorum, qui ſanctè mortui ſunt; ſed cum levibus quibuſdam maculis, ut eorum neceſſitates, id eſt, pœnas quibus detinentur, orationibus noſtris, & eleëmoſynis ſublevemus: ita *Turian. lib.* 4 *defen. Epiſt. Pontif.* cap. 14. *Hoſpitalitatem* exercentes, erga Chriſtianos hoſpicio egentes; ne exponantur injuriis cœli, aut cogantur divertere apud infideles. *Mat.* 25. *Heb.* 13.

℣. 14. *Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere.*

Benè optate, benè precamini, laudate & orate Deum pro iis qui vobis mortem, aut damna inferre tentant: vel etiam inferunt: hoc autem non eſt conſilii tantùm, ſed præcepti. *Math.* 5. Benè eis, inquam, precamini, non malè: intellige vindicandi animo, non, ſi zelo

& approbatione juſtitiæ divinæ id fiat adversùs eos, quos certò, aut probabiliter conſtat in malitia perſeveraturos, ùt *Act.* 23. 2.*Tim.* 4. ex *S.Th.* 2. 2. q 25. *art.* 6 & *q.* 83. *art.* 8.

℣. 15. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus:*

Exponendum per imperativos, *gaudete*, *flete*; vel ſupplendùm *dico*; vel *debetis*: ùt *S.Thom.* Monet Apoſtolus ut bona ac mala, proſpera & adverſa aliorum, ùt noſtra reputemus. 1.*Cor.* 12. Et ſimus eodem animo alius erga alium affecti, ex *Chryſ.* & *Occum.* Et conſideremus quòd Chriſtiani ſumus, & membra ejuſdem corporis: non quòd ditiores, aut potentiores, ideòque meliores.

℣. 16. *Idipſum invicem ſentientes: non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos:*

Conſentientes, Græcè, *obſecundantes*, accommodantes vos: ut ſenſus ſit. Non vobis ipſis placentes, tanquam cæteris majores: non ſuperbè de vobis ſentientes: *ſed humilibus*, id eſt, abjectæ ſortis hominibus, quales ſunt pauperes, ignobiles, atque alii mundo deſpecti, vos benignè accommodantes: nec dedignantes cum talibus, & omninò cum minoribus converſari. Vel *humilibus conſentientes*, id eſt, humiliter de ſe ſentientes, ùt *Pſ.* 130. *Apud voſmetipſos*, id eſt, veſtrâ ipſorum opinione, in oculis veſtris: ùt *Iſa.* 5. *Proverb.* 3. Id eſt, in rebus agendis ne vobiſmetipſis placeatis, velut prudentes, qui alieno conſilio & monitis non egeatis.

℣. 17. *Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.*

Cuilibet privato prohibet ulciſci, ùt *Matth.* 5. Græci tantùm legunt, *providentes bona coram omnibus hominibus*; ſic *Chryſ.* &c. Sed lectio latina correſpondet 2. *Cor.* 8. ℣. 21. Senſus eſt, ita procurantes bona ut non tantùm Deo probentur in conſcientiis veſtris: ſed etiam accepta ſint hominibus, ut nulli ſcandalum pariant: ùt *Math.* 5. & 1. *Theſſ.* 5.

℣. 18. *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes:*

Græcè *colentes*, *in pace viventes*, 2. *Cor.* 8. Non enim præcipit quod ab aliis hominibus dependeat; ſed quod à nobis, ideò addit. *Si fieri poteſt*, id eſt, ſalvâ juſtitiâ, pietate, & veritate. Et quod *in vobis eſt*, id eſt, ne à vobis detur occaſio offendiculi: ſed contrà curetis quæ pacem promoveant.

℣. 19. *Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus.*

Ad rem difficilem efficaciter perſuadendam repetit prohibitionem vindictæ. *Defendentes*, pro, *vindicantes*, & *ulciſcentes* dixit ùt *Pſ.* 8. & *Apoc.* 6. Et *Cypr.* l. *de patientia.* Et *Tertul.* l. 2. *cont. Marc. c.* 18. *Voſmetipſos* Græcè *quiſque ſeipſum* ut innuat loqui de privata ultione, non de ea quæ ſit publicâ authoritate, & ad bonum publicum. Iram Dei intelligit: ùt 1. *Petr.* 2. Ut ſenſus ſit. Ultionem permittite divino judicio, patienter expectate dum Deus ulciſcatur injurias vobis illatas. Vel iram hominis, ejus ſcilicet, qui facit injuriam. Vel iram pro irato ho-

mine. Id eſt. Cedite iis qui vobis iraſcuntur, patienter ferendo injurias, & vos ſubducendo, ex *Baſil. in regul. brev. reſp.* 244. *Ambr.* l. 1. *off. cap.* 21. Legunt plerique *vindictam*. Sed *Ambr.* ex *Hier.* meliùs *vindicta*, ex *Deut.* 32. *Ego Deus ultionum*, *Pſal.* 93. Et hoc meum officium ulciſcendi injurias exequar, quando mihi placebit.

℣. 20. *Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus:*

Locus hic ex *Prov.* 25. q. d. Quin tu potiùs, confer in eum qui te læſerit beneficia, quibus videris illum indigere. Neque hoc præceptum obligat in ſola extrema neceſſitate, ſed quoties ratio dictat ſubveniendum eſſe benevolè proximo neceſſitatem patienti. Hoc modo *carbones* vivos ſuperfundes in caput ejus: ita fiet ut creſcat ei pœna apud Deum. Sic *Chryſ.* ùt *Pſ.* 57. & *Luc.* 18. *Apoc.* 6. 2. *Tim.* 4. 1. *Theſ.* 2. Vel ita fit, ut paulatim accumulatis in eum beneficiis, velut congeſtis carbonibus, excites in eo pœnitentiæ dolorem, ſimulque accendas eum ad te redamandum. Ita *Hieron. Epiſt. ad Hedibiam*, *quæſt.* 1. Et *Auguſt. in Pſal.* 78. & l. 3. *de doct. Chriſt. cap.* 16. *de catech. rud.* cap. *Beda & Janſen. in Proverb.*

℣. 21. *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.*

q. d. Ne tantùm valeat tui inimici malignitas, ut vindictam de eo expetas, & per hoc fias illi ſimilis, id eſt malus. Nam vincitur à malo, qui vult peccare in alium, quia ille peccavit in ipſum. Sed tu contrà, vince illius malitiam officiis charitatis, ut ex malo bonus fiat. Vel, *Noli vinci* à malitia inimici tui, ut teipſum ulciſci velis non expectatâ Dei vindictâ: ſed vince ejus malitiam tuâ beneficentiâ.

CAPUT XIII.

℣. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit : non eſt enim poteſtas niſi à Deo : quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt.*

NE religio Chriſtiana malè audiret apud ſæculi principes, & ne fideles ſe exiſtimarent immunes ab obedientia poteſtatis ſæcularis privilegio religionis, & ut removerent ſuſpicionem ſectæ Galilæorum, de qua *Act.* 5. Apoſtoli hoc inculcabant obedientiæ præceptum, Judæos converſos potiſſimùm reſpiciens; ùt & *ad Tit.* 3. & 1. *Petr.* 2. *Sublimioribus*, græcè *præcellentibus*, id eſt, hominibus auctoritate publicâ præditis, in iis quæ ad illorum poteſtatem pertinent. Idem ſentiendum de poteſtate Eccleſiaſtica. Eſt autem *omnis poteſtas*, id eſt, ſuperioritas *à Deo* inſtituta, tanquam neceſſaria ad ordinem & pacem humanæ converſationis, *Eccl.* 17. Secularis mediatè eſt à Deo per homines, qui inſtinctu legis naturæ ſibi præficiunt eos, à quibus in commune regantur : & hic inſtinctus eſt à Deo. Eccleſiaſtica verò immediatè eſt à Deo : quia Chriſtus ipſe ſuos Apoſtolos, & in primis *Petrum*, ejuſque ſucceſſores Eccleſiæ ſuæ rectores conſtituit, ùt notat *Eſtius*. Quæ autem ſunt poteſtates, id eſt, quicumque ſunt homines poteſtate præditi, ùt principes, reges, magiſtratus; ii ſunt ordinati atque inſtituti, & ut

Petrus ait, 1. *Epiſt.* 2. miſſi à Deo, dante poteſtatem, & volente, ut eis, tanquam ſuis in ea poteſtate vicariis obediatur. Et quamvis poteſtates quæcumque à Deo ſunt, ordinatæ ſint: non tamen hic ſenſus eſt: ſed omnes poteſtates eſſe ordinatas à Deo. Ne quis diceret ſe poteſtatem quidem venerari; ſed eâ fungentes malos eſſe, & proinde indignos quibus obediatur: hanc excuſationem excluſit, affirmans ipſos principes à Deo cum poteſtate inſtitutos eſſe.

℣. 2. *Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt:*

Concludit ex ſupradictis, eum qui poteſtati atque ipſis poteſtatibus, id eſt, principibus poteſtate fungentibus reſiſtit, ordinationi divinæ reſiſtere, & ipſi Deo, à quo poteſtates ordinatæ ſunt. *Luc.* 10. Eos verò qui poteſtati reſiſtunt, ſibi ipſis damnationem ſeu pœnam æternam accerſere, eamque pro merito ſuæ inobedientiæ recepturos. *Galat.* 5. ℣. 10. Ex quo ſequitur, eos mortaliter peccare, qui reſiſtunt poteſtati. Id quod verum eſt de iis, qui præcepto per inobedientiam ſeſe opponunt. Alioqui contra leges humanas, ſicut & contra divinas, contingit peccari tantùm venialiter. Vel per damnationem comprehendit pœnam temporalem infligendam à Deo, ùt *cap.* 8. Vel pœnam à poteſtate, cui reſiſtunt inferendam, quæ non niſi temporalis eſt, ſic. *S. Thom.* & *Chryſ.*

℣. 3. *Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac: & habebis laudem ex illa:*

Græcè, *non ſunt timor bonorum operum, ſed malorum.* q. d. Non ſunt timendi benè agenti-

bus, ſed malè. Intellige, in quantùm principes ſunt, & ab ordine ſuæ poteſtatis à Deo acceptæ non recedunt. *Vis autem non timere* ſupplicii metu? Juſtitiam cole, & legibus obtempera: ſic fiet ut laudem referas ex poteſtate; quia ad poteſtatem ſpectat, non ſolùm pœnis afficere malos, ſed etiam præmiis honorare bonos; 1. *Pet.* 2. Vel quia dum mala opera puniuntur, laudantur bona, ex *Cajet.*

℣. 4. *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſinè cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit.*

Hoc refertur ad principem, vel meliùs ad poteſtatem, ùt ſenſus ſit. Poteſtas, id eſt, qui poteſtate fungitur à Deo inſtitutâ, princeps ſcilicet, aut magiſtratus, eo ipſo *Dei miniſter eſt*, ac Deo ſubſervit in bonum tuum; ſcilicet ut juſtè ac tranquillè vivas, imò laudem etiam ac præmia conſequaris. Si verò quid mali commiſeris, ùt furtum, adulterium, homicidium; eſt, quod timeas. Non enim princeps, ſive poteſtas *gladium portat* fruſtrà, ſed ut eo utatur in malefactores (nomine gladii intellige etiam ignes, patibula, carceres) tanquam Dei miniſter, à quo gladium accepit, ut ſit *vindex in iram*, id eſt, ut ejus vice juſtitiam exerceat vindicativam in puniendis iis qui malum agunt, vel pacem publicam turbant.

℣. 5. *Ideò neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

Propter hoc inquit, quia princeps ſeu magiſtratus Dei miniſter eſt in ulciſcendis malefactis, oportet vos ei ſubditos eſſe, *non ſolùm*

propter iram, id eſt, pœnam evadendam quam leges minantur, ſed maximè, *propter conſcientiam*, id eſt, quia animus noſter lege naturali ac divinâ informatus, hoc nobis dictat, principibus obediendum eſſe, tamquam Dei miniſtris & vicariis: & proinde nos in Deum peccare ſi minùs illorum dictis audientes fuerimus. Ex quo infertur, leges tam politicas, quàm Eccleſiaſticas obligare in conſcientia.

℣. 6. *Ideo enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes.*

Aliam rationem adfert, quâ docet principibus parendum eſſe. Nam ſolutio tributorum, profeſſio eſt ſubjectionis: ſunt enim miniſtri Dei in conſervanda pace & honeſtate publica: & in hoc ipſum miniſterium, in hanc curam toti incumbunt.

℣. 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.*

Omnibus, id eſt, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus: tam privatis, quàm publicâ poteſtate fungentibus: *cui* debetis *tributum*, ei reddite *tributum* pro regione, ſeu prædiis: vectigal pro mercibus exportandis: *timorem* intelligit reverentiam, ùt *Epheſ.* 5. & 6. vel timorem offenſæ. Et cùm propter excellentiam poteſtatis, quam Deus eis contulit, honorantur, Deus in eis honoratur *Exod.* 16. & 1. *Reg.* 8.

℣. 8. *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit.*

Reddite cuique quod debetis, ſic ut non

amplius debeatis, uno debito charitatis excepto. Quod debitum reddere quidem vos jubeo: ſed ita ut ſciatis vos ſemper hujus debiti (quod eſt invicem diligere) manere debitores, ex *Auguſt. epiſt.* 135. & 62. ad *Cæleſt.* & *Fulg. ſerm. de charitate.* *Proximum*, Græcè *alterum*, ſive amicum, ſive inimicum; ſive fidelem, ſive infidelem: & hortatur tam Judæos quàm Græcos ad mutuam dilectionem, propoſito fructu, qui eſt legis impletio, ùt notat *Hieron.* ad *Gal.* 6. Ideò autem *legem implevit*, quia dilectio Dei in dilectione proximi includitur, velut cauſa in effectu, ex *S. Thoma.*

℣. 9. *Nam: non adulterabis: non occides: non furaberis: non falſum teſtimonium dices: non concupiſces: & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

Probat quod dixerat, enumeratione præceptorum decalogi, quibus homo ordinatur ad proximum; quæ omnia impleri nequeunt, niſi per veram dilectionem; *Levit.* 19. & *Matth.* 22. *Marc.* 12. Quid verò ſit, *ſicut teipſum* diligere, oſtendunt duo generalia legis naturæ præcepta, alterum affirmativum *Matth.* 7. *quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis:* alterum negativum *Tob.* 4. *quod ab alio oderis tibi fieri, vide, ne tu alteri facias.* Ex quibus intelligitur per verba, *ſicut te ipſum*, non exigi æqualitatem: nam non dicit, quantùm teipſum; ſed ſimilitudinem & formam, ſecundùm quam proximus à nobis eſt diligendus: quod eſt illi velle bonum, honeſtum, utile, delectabile propter illum, non propter te, ſicut vis tibi ipſi hæc bona propter teipſum, ait *Cajet.*

℣. 10. *Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio.*

Declarat quòd dixerat, omnia prædicta mandata concludi in uno præcepto dilectionis proximi. Nam *dilectio proximi* non incitat ad malum, imò nec patitur ei malum inferri. Græci legunt *proximo:* ſentit autem, ſic per dilectionem impleri legem, quâ parte nos ordinat ad proximum, vel etiam ad Deum: ut ſinè ea impleri non poſſit, 1. *Joan.* 3. ex *Auguſt. in Pſalm.* 89. Ex quo conſtat in hac vita impleri à nobis poſſe; quod negant hæretici.

℣. 11. *Et hoc ſcientes tempus: quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus.*

Et hoc, quod dixi de mutua dilectione exercenda, vel ob id agere debemus, quòd ſciamus jam tempus eſſe, & horam quâ evigilemus è ſomno peccati, ùt 1. *Cor.* 15. *Nunc enim propior*, ſeu vicinior nobis adeſt ſalus futuræ gloriæ, quam expectamus, poſtquam in fide Chriſti magnam vitæ noſtræ partem egimus; quàm tunc erat quando credere cœpimus & baptizati ſumus. Quocirca majori nunc opus eſt vigilantiâ, quantò magis tempus, quo ſalutem expectamus, appropinquare novimus, ex *Chryſ.*

℣. 12. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.*

Græcè, *progreſſa eſt*, *tranſivit*, *præteriit.* Id eſt. *Nox* hujus ſæculi plena tenebris errorum & peccatorum, longè jam progreſſa eſt, ad finem properat ac fermè jam præteriit: & tempus expectatæ ſalutis & gloriæ, quod eſt

perpetua *dies* ſinè nocte, expers errorum & peccatorum, jam propè acceſſit, non longè abeſt, ùt *Matth.* 3. & 4. 1. *Pet.* 4. *Jac.* 5. Id eſt, poſteaquam Chriſtus jam advenit, propinquiores ſumus ſaluti, quàm eramus olim ſub Moyſe: nunc enim illuceſcit omnibus Evangelium, quod olim ſub umbris tantùm cognitum, credebamus aliquando exhibendum. Abjicienda ergo ſunt *opera* noctis, id eſt, peccata, *Joan.* 3. & aſſumenda *arma lucis*, id eſt, bona opera, quæ tegunt & defendunt hominem.

℣. 13. *Sicut in die honeſtè ambulemus: non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudiciis, non in contentione, & emulatione:*

Quia dies jam affulget, quæ luce ſuâ omnia detegit, honeſtè converſandum nobis eſt. Enumerat aliquot *opera tenebrarum*, quæ dixerat abjicienda: ea ſcilicet, de quibus ampliùs neceſſarium putavit admonendos eſſe Romanos. Comeſſationes ſunt epulæ, quæ fiunt non neceſſitatis aut honeſtatis causâ, ſed voluptatis & gulæ. Ebrietates ſunt vinolentiæ, etſi non uſque ad deliquium rationis, 1. *Cor.* 5. Cubilia immunda & impudicitiæ ſunt omne genus turpium voluptatum. Contentio pro gloria adipiſcenda, cui conjuncta invidentia boni alieni.

℣. 14. *Sed induimini Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.*

Induunt *Chriſtum*, qui virtutibus Chriſtianis acquiſitis coöperiuntur: vel qui Chriſto ſe conformant, ùt *Gal.* 3. *Epheſ.* 4. & 6. *Coloſſ.* 3. 1. *Theſſ.* 4. 1 *Cor.* 15. Prohibet *carnis curam in deſideriis*, id eſt, ad ſatisfaciendum concupiſcentiis, & voluptatibus carnis, quod faciunt qui prætextu curandi corporis delicias quærunt.

CAPUT XIV.

℣. 1. *Infirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum.*

HÆc propriè ad Judæos ſpectant. Nam qui erant ex Judæis fideles, vix adduci poterant, ut pro Chriſtiana libertate, quâ per Chriſtum, inter alia, liberi erant ab onere legis Moſaïcæ, veſcerentur cibis à lege vetitis, à quibus ſemper abſtinuiſſent, utque dierum diſcrimina lege præſcripta & à majoribus accepta, negligerent. Vix, inquam, quia vel in fide parùm firmi eſſent ac provecti, vel ab antiqua conſuetudine ſeſe revocari moleſtè ferrent: vel quia cibos lege prohibitos ex ſua natura immundos eſſe putarent. At verò qui in fide erant firmiores, indifferenter quibuſlibet cibis utebantur, ſcientes legem mortuam eſſe, 1. *Timoth.* 4. Porrò utraque pars in alteram peccabat. Nam qui abſtinebant, edentes judicabant velut legis ac paternæ conſuetudinis violatores. Edentes contrà deſpiciebant illos ùt infirmiores, nec habebant rationem ſalutis eorum, imò ſcandalum præbebant, exemplo ſuo provocantes eos ad comedendum contra conſcientiam ea quæ lege erant vetita. Hoc jurgium *Paulus* refrænans corripit utroſque: ac docet ſublatum quidem eſſe diſcrimen ciborum ac dierum lege præſcriptum: nec quidquam eſſe per ſe immundum: ſed eâ libertate & ſcientiâ prudenter & ſinè ſcandalo fratrum utendum eſſe. Dixi

hæc ad Judæos ſpectare. Nam ad Gentiles extendi non poſſunt: ùt quibus ſimpliciter non licebat obſervare legalia, ne quidem propter infirmos Judæos, ùt patet ex *epiſt.* ad *Gal.* Itaque non placet quòd interpretes quidam manducantes hìc intelligant Gentiles; quamvis *Hieron.* c. 2. *contra jovin.* c. 11. videatur ita intelligere: ex *Eſtio*. Et ſenſus eſt. Vos qui firmiores eſtis in fide, eum, qui fide infirmus eſt, id eſt, de beneficio Chriſti, ac libertate per eum adepta nondum ſatis inſtructus, ac perſuaſus, ut eâ uti audeat; denique nec ſcientiam habens quòd nihil per ſe ſit immundum, *aſſumite*: id eſt, ad converſationem vobis adjungite, & habete ùt fratrem, nec repellite tanquam alienum à Chriſto, quin potiùs ùt infirmum & curâ egentem fovete; non autem ad certamen diſputandi provocate. Nolo, inquit, cum eo ſub prætextu doctrinæ Evangelicæ contendatis. Quamvis enim ignoret & erret opinione, tamen adhuc tolerandus eſt, nec importunis diſceptationibus inquietandus: ne forte offenſus reſiliat ab incepto, ita *Eſtius*.

℣. 2. *Alius enim credit ſe manducare omnia: qui autem infirmus eſt, olus manducet.*

Sibi licitum eſſe uti quibuſlibet cibis, & rectè ita credit. Qui autem *infirmus eſt* fide, comedit *olus*, vel quid ſimile, quod lege Moſaicâ conſtat non eſſe prohibitum, abſtinens à prohibitis: vel *olus manducat*, à carne penitùs abſtinens, ne fortè incidat in carnem immolatitiam, ex *Hieron.* Sed de immolatitiis non eſt credibile hìc agi, de quibus agit 1. *Cor.* 8. & 10.

℣. 3. *Is, qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum aſſumpſit.*

Id eſt. Qui firmus in fide veſcitur quibuſlibet, eum qui ob fidei infirmitatem abſtinet à quibuſdam, *non ſpernat*, id eſt, non præ ſe contemnat, tanquam fortis, imbecillem: vel non habeat vilem ejus ſalutem, ſcandalum ei ponendo, dum exemplo ſuo facit illum comedere contra conſcientiam. *Non judicet*, id eſt, non condemnet tanquam legis tranſgreſſorem, aut immundo cibo ſe contaminantem. *Deus enim illum*, ſcilicet manducantem aſſumit in ſervum, & cultorem ſuum: & proinde non eſt ab alio judicandus, nec ſpernendus, ſed aſſumendus.

℣. 4. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.*

q. d. Etiamſi peccaret edendo (quod tibi non liquet) non tamen à te judicandus & condemnandus eſſet, ſed domino ſuo relinquendus, ut ille de facto famuli ſui inquireret & judicaret: ex *Aug.* Hoc enim eſt: *Domino ſuo ſtat, aut cadit*; à Domino ſuo Chriſto abſolvendus eſt, aut condemnandus: vel benè agit aut malè, commodo, aut detrimento domini ſui. Ideòque non à te judicandus, quaſi peccet edendo quæ tu judicas immunda. Imò tibi affirmo, quòd non cadet, non condemnabitur judice domino ſuo, ſed *ſtabit*, id eſt, abſolvetur. Quamvis enim homines non ſatis inſtructi in fide eum judicent, id eſt, condemnent, tamen Deus potens eſt, eum abſolvere & ſuo judicio juſtificare: quod & faciet.

℣. 5. *Nam alius judicat diem inter diem: alius autem judicat omnem diem: unuſquiſque in ſuò ſenſu abundet.*

Ut de cibis, ita & de diebus erat diſceptatio inter fideles converſos ex Judaiſmo: nam ſicut ex lege alii mundi, alii immundi erant: ſic & dies, alii ſerviles erant, alii non ſerviles, ùt maximè Sabbathum. Qui ergo fide adhuc infirmus eſt, diem cum die comparat, & inter eos deſcernit: dierum facit diſcrimen, alium præ alio eligens, dum Sabbatha, Neomenias & alia feſta ſecundùm legem obſervat. Intellige, quantùm extra ſacrificii locum obſervari poterant. Qui autem firmior in fide eſt, & novit, ſublatum eſſe per Chriſtum Moſaïcum illud diſcrimen dierum, peræquè æſtimat *omnem diem*: inter dies nec judicio, nec opere diſcernit. Id eſt, cenſet quamlibet diem, cuilibet rei non malè gerendæ aptam. Non vult autem *Paulus* ea de re quempiam judicari, ſed Domini relinqui judicio, tantùm inquit unuſquiſque in his rebus *ſuo ſenſu abundet*. Græcè. Unuſquiſque certus ſit ſuæ mentis, & compertum habeat quod mente concipit, ſeque ipſe conſulat, & agat quod ſibi conſcientia judicat. Vel quiſque ſuo ſenſui permittatur, ait *Chryſ.* Non vult autem, infirmos illos ſimpliciter animi ſui judicio permittendos eſſe tamquam in re vel indifferenti vel levicula, ſed temporis maturitatem expectandam. Non enim ſtatim ac ſimul avocandos eſſe à ſuis conſuetis obſervationibus, ne fortè turbati retrocedant ac deſerant fidem, ſed ad tempus tolerandos ac paulatim inſtruendos pleniùs; quod factum eſt, *Act.* 21. Quæ etiam cauſa fuit, ut Apoſtoli ipſi & inter hos *Paulus* infirmis fratribus ſeſe accommodantes; ubi locus & tempus poſtula-

bant, legalia adhuc obſervarent, etſi certiſſimi ſe ad ea non teneri: ſicque ſepeliebant Synagogam cum honore. Ex quo liquet quàm pravè, ea quæ hic dicuntur, detorqueant hæretici contra certorum dierum jejunia, quorumdam ciborum abſtinentias ac feſtorum dierum obſervationem lege vel conſuetudine in Eccleſia præſcriptam: cùm utique conſtet Apoſtolum loqui de diſcrimine ciborum ac dierum obſervato ab iis, qui ex Judæis Chriſtiani facti, legi Moſaïcæ ac priſtinis obſervantiis adhuc tenaciùs inhærerent: nam quod ad Eccleſiæ leges attinet, certum eſt, ùt juſtam habent obligandi rationem: ita verè & in conſcientia filios Eccleſiæ obligatos teneri.

℣. 6. *Qui ſapit diem, Domino ſapit: & qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.*

D*omino*, intellige Chriſto. Hunc enim intellectum poſtulat *verſus* 9. in quo habetur ratio præcedentium: & quidem paſſim (ait *Eſtius*) in epiſtolis Apoſtolicis Domini vocabulo Chriſtus ſignificatur: ùt qui ſit omnium noſtrum Dominus jure redemptionis. *Qui ſapit*, hoc eſt, Qui ita ſapit ut diſcernat diem à die, dum alium diem præ alio ſecundùm legem obſervat, id facit ad honorem Chriſti Domini, utpotè Chriſtianus qui novit omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti facienda eſſe, *Coloſſ.* 3. Vel ad honorem Domini Jeſu Chriſti facit, quem ùt Deum, etiam Moſaïcæ legis agnoſcit & veneratur authorem. Et qui ita ſapit ut non diſcernat dies, ſed indifferenter habeat omnem diem: id quoque facit ad honorem Chriſti, utens libertate Evangelicâ ſibi per Chriſtum

conceſsâ. Sentit Apoſtolus ita utrumque de altero æſtimare debere, quòd nimirùm ad Chriſti Domini faciant honorem idipſum quod faciunt: etiamſi in altero, *qui ſapit diem*, idem zelus ſit non ſecundùm ſcientiam: ideòque factum ejus non careat peccato. *Et qui manducat*, id eſt, qui ſine delectu veſcitur quibuſlibet, exiſtimandus tibi eſt, id facere ad Domini gloriam: *gratias enim agit Deo*, ùt 1. *Tim.* 4. ex quo conſtat Chriſtum ſolitum fuiſſe cum gratiarum actione cibum ac potum benedicere, priuſquam ſumeret, aut ſumendum daret. *Matth.* 15. 26. *Marc.* 8. & 14. *Luc.* 22. & *Joan.* 6. quod & habet perpetua fidelium conſuetudo. Quæ gratiarum actio manducantis argumentum eſſe debet non manducanti, illum Domino manducare, id eſt, ad honorem Chriſti Domini, cui gratias agit. Et qui non manducat, id eſt, qui abſtinet à cibis lege vetitis, licèt ex fidei infirmitate faciat, id tamen exiſtimandus eſt, quia Chriſto nomen dedit, propter honorem Chriſti Domini ſui facere. Præcipit ut proximorum actiones in meliorem partem interpretemur, & id in eis conſideremus quod bonum eſt, nempè bonam intentionem. Sic in Eccleſia multi excuſantur ſimpliciores in cultu Dei & Sanctorum, quando aliquid ſuperſtitiosè agunt. Quando ait: *Et gratias agit Deo*, intelligitur pro cibis lege conceſſis quibus utitur.

℣. 7. *Nemo enim noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi moritur.*

Hoc ait in perſona cujuſque boni fidelis, qualem quiſque alium exiſtimare debet niſi diverſum conſtet.

℣. 8. *Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.*

Hoc eſt. Nemo noſtrûm vivit propter ſe, ſed ad gloriam Domini cujus eſt ſervus: Et nemo eligit mori propter ſe, ſed propter Dominum. *Philip.* 1. Igitur & in eo quod manducamus, & quod non manducamus, Dei ac Domini gloriam ſpectare cenſendi ſumus. *Domini* in genitivo, id eſt, Chriſto Domino addicti ſumus tamquam ſervi, utpotè qui vitam & mortem & omnia ad illius honorem referamus.

℣. 9. *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: ut & mortuorum & vivorum dominetur.*

Vivos & mortuos, Domini eſſe probat à cauſa: hac enim de cauſa Chriſtus mortuus eſt; & à morte ſurrexit, ut ex morte & ex reſurrectione ſua dominium in vivos & mortuos exerceret. Chriſtus ùt Deus, eſt omnium dominator, etiam morte & reſurrectione excluſis: loquitur autem de Chriſto ratione humanitatis; ùt enim homo eſt, Dominus eſt, dominio particulari, quia homines ſuo ſanguine redemit. Aliud autem eſt dominari, aliud dominum eſſe. Nam Dominus eſt per poteſtatem. Dominatur autem per poteſtatis exercitium. Dominus quidem erat etiam ùt homo, propter unionem ad Verbum, etiam ante mortem, *Joan.* 13. tamen non dominatus eſt planè, nec exercuit poteſtatem dominii, niſi poſt mortem & reſurrectionem. *Matth.* 28. Ex eo igitur quod mortuus eſt, & mortem vicit reſurgens, aſſecutus eſt dominandi exercitium ſupra omnes vivos & mortuos. Niſi enim reſurrexiſſet, dominari non poterat, quia per mortem non erat

homo perfectè, cùm anima eſſet à carne ſejuncta, niſi autem mortuus eſſet, non dominatus eſſet, quia decretum erat, dominari debere per mortem, per quam vivos & mortuos redemit. Inſinuat hâc ſententiâ Chriſtum, quamvis ſit Dominus omnium hominum, peculiari tamen ratione eſſe Dominum bonorum & fidelium. Hos enim non ſolùm ſibi ſubjecit (quod & reprobis ipſiſque dæmonibus commune eſt) verùm etiam redimendo, ſibi ſervos, id eſt, ſervientes & obedientes fecit; non ſolùm pro tempore vitæ præſentis, cujus fines excedere non poſſunt ſervitutes humanæ, ſed etiam multòque perfectiùs pro ſeculo futuro, ùt *Apocalypſ.* 22.

℣. 10. *Tu autem quid judicas fratrem tuum? Aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.*

Compellat non manducantem, id eſt, eum qui in fide infirmus eſt; & manducantem alloquitur, q. d. Sed nec tu, quamvis fide firmior, reprehenſione cares, quòd infirmi fratris tui rationem non habeas, ac ſalutem ejus non cures, ùt qui manducando ſcandalum ei præbeas. Fratrem non judicandum eſſe docet ex eo quod Chriſtus eſt omnium noſtrum judex. *Omnes* ſiſtendi ſumus ad *tribunal Chriſti*, nimirùm ab eo tanquam omnium Domino judicandi, judicio retributionis; ſed non omnes judicio diſcuſſionis. *Matth.* 19. de qua re agunt Theologi l. 4. *ſent. diſtinct.* 47.

℣. 11. *Scriptum eſt enim: vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo.*

Scriptum eſt enim, *Iſa.* 45. *vivo ego*, id eſt,

memetipſum ac vitam meam teſtor, verum eſſe hoc quod affirmo, ùt Num. 14. *Iſa.* 49. *Ezech.* 14. Adducit autem hoc teſtimonium, ut oſtendat Chriſti dominium in omnes homines bonos & malos: quod inchoatur quidem à primo adventu, & perficitur in extremo judicio. *Pſalm.* 109. Ut ſenſus ſit. Mihi tanquam Domino & judici omnes ſubſternent ſeſe, Dominum ac Deum ſuum, per quem ſolum jurandum ſit, me confitentes: boni quidem voluntariè, mali verò vel inviti. *Philip.* 2. *Matt.* 8.

℣. 12. *Itaque unuſquiſque noſtrûm pro ſe rationem reddet Deo.*

Græcè, de *ſeipſo*. Judicium feret de iis quæ benè aut malè egit, ùt *Matth.* 12. 1. *Pet.* 4. *Gal.* 6.

℣. 13. *Non ergo ampliùs invicem judicemus: ſed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.*

Quia generalis eſt ſententia, ne quiſquàm alium judicet ex eo quòd omnes unum judicem habemus Chriſtum: rectè intelligitur firmiorem fratrem hâc ſententiâ perſtringi, tanquam iniquum judicem adverſùs fratrem infirmum. Nam quomodo non eum aliquo modo judicabat, quem ſpernebat? Ad quos ſermone converſo docet, quòd judicium eis permittat, & commendet ne libertate ſuâ abutentes, dum paſſim quibuſvis cibis utuntur, præbeant offendiculum fratri infirmo.

℣. 14. *Scio, & confido in Domino Jeſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei, qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt.*

Certus ſum, perſuaſum habeo, indubitatè ſcio naturâ docente, & ſic edoctus à Domino

Jeſu per ipſius Evangelium, quòd omnis creatura Dei bona eſt, & quòd nihil eſt immundum, ſicut erat per legem. Sed ſi quid eſt immundum, ei eſt immundum qui tale eſſe putat, nam exiſtimanti aliquid malum & immundum, etiamſi non ſit, ei malum eſt, ſi illud faciat. Quia qui facit quod malum putat, malè facit. Cibi igitur nulli ſunt immundi ex Evangelio: ſi tamen aliquis putat immundos, ei immundi ſunt, & malè facit ſi veſcitur, non quia communes ſunt, ſed quia tales eſſe putat. *Commune* vocat immundum & lege vetitum, quo veſci non licebat, *Act.* 10. *Per ipſum*, id eſt, ex Græco *per ſeipſum*, vel *juxta legem Evangelicam*, vel per ipſum Chriſtum, ex *S. Thoma.*

℣. 15. *Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur: jam non ſecundùm charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.*

Tacitam removet objectionem quâ dicere quis poſſet, ſi nihil eſt immundum per ſe, cur igitur, lege per Chriſtum nunc abrogatâ, non permittor ſemper uti quolibet cibo? Reſpondet Apoſtolus ex lege charitatis, quæ dictat etiam à licitis abſtinendum, ne proximus infirmior contriſtetur, aut ſcandalizetur. Si, inquit, vides fratrem tuum, id eſt, proximum tuum Chriſtianum propter cibum quo veſceris, conturbatum iri, & vel peccaturum temerario adversùm te judicio, vel tuo exemplo provocandum ad edendum contra conſcientiam, nec tamen abſtines: jam non converſaris cum fratre ſecundùm charitatem, id eſt, ſecundùm charitatis regulam & dictamen: quia ſalutem ejus negligis, imò ipſum perdis, quem tanti fecit Chriſtus, ut pro eo mori non dubitaverit.

Perdis, inquam, daturus occaſionem vel temerè judicandi te, vel infeliciter imitandi. Sic 1. *Cor.* 8. Ex quo probant, Chriſtum etiam pro reprobis mortuum eſſe, quoad ſufficientiam pretii. Alii explicant de fratre electo, quem quantùm in ſe eſt, perdit, qui ei occaſiones peccandi ſubminiſtrat. Alii abſolutè quidem loqui de perditione fratris, pro quo tamen mortuus ſit Chriſtus, non ob ſolam generalitatem pretii ſufficientis, ſed quòd fructum mortis ac redemptionis Chriſti verè perceperit, utpotè baptizatus ac juſtificatus, licèt hunc fructum perimat, qui eum ſcandalizat, ex *Eſtio.*

℣. 16. *Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum.*

Græcè *veſtrum*, id eſt, fides aut ſpes præmii, aut pietas perfecta, de quibus malè loquitur frater qui ſcandalizatur. Vel religio Chriſtiana, ſeu Evangelium apud eos qui foris ſunt. Vel bonum libertatis, per Chriſtum nobis conceſſæ, quâ à ſervitute legalium obſervationum exempti ſumus. Ut ſenſus ſit. Hæc libertas noſtra veſcendi quibuſlibet cibis, non ſit obnoxia maledictis infirmorum fratrum, ſugillantium eam tanquam licentiam carnis, ex S. *Thoma* ùt 1. *Corint.* 10.

℣. 17. *Non eſt enim regnum Dei eſca, & potus : ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu ſancto :*

Regnum Dei eſt, non ſolùm quo regnat, aut regnaturus eſt in beatis ; ſed quo regnare dicitur, ùt in populo ſibi beneplacito. Fit autem imperfectè in hoc ſæculo, perfectè in futuro. Hoc *Dei regnum* non conſiſtit in cibo & potu, neque in libertate his indifferenter utendi, li-

eàt hanc libertatem ſecundariò annexam habeat: quâ tamen utendum ſit, ſalvâ lege charitatis, ùt 1. *Cor.* 8. ſed *in juſtitia*, quâ lex Dei ſervatur. Et in *pace*, id eſt, tranquilla converſatione cum proximis: Et in *gaudio*, non carnali ſed ſpirituali, ùt *Gal.* 5. Jam ſi regnum Dei in juſtitia & pace conſiſtit, non debet quiſquam Chriſtianus uti ſuâ libertate veſcendi quibuſlibet, cum ſcandalo & contriſtatione fratris infirmi, & cum Dei injuria, cujus ſervus contemnitur, & opus deſtruitur: ſed magis abſtinere, charitate ſuadente, quæ principatum obtinet in regno Dei. Ex hoc loco malè hæretici invehuntur contra abſtinentiam cibi. Nam loquitur *Paulus* de ipſis cibis ſecundùm ſe, non autem quando aliquo præcepto divino, naturali aut humano, homo manducare aut abſtinere tenetur: tunc enim non cibus aut potus, ſed obedientia præcepti eſt, quæ ad regnum Dei pertinet.

℣. 18. *Qui enim in hoc ſervit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus.*

Hoc eſt, qui non contendit de cibis, ſed in juſtitia, pace & gaudio Spiritûs ſancti ſtudet Chriſto ſervire, acceptus eſt Deo & hominibus, quia per illas virtutes promovet in ſe regnum Dei hominibus, quia pacem conſervat.

℣. 19. *Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur: & quæ ædificationis ſunt, in invicem cuſtodiamus.*

Sectemur ea quæ pertinent ad pacèm inter nos conſervandam, & quæ ad mutuam ædificationem: præbentes bona exempla quibus confirmentur proximi in fide & pietate. Pax opponitur diſceptationibus, ædificatio ſcandalo.

℣. 20. *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei : omnia quidem ſunt munda : ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat.*

Cave ne propter cibum, rem indifferentem, diſſolvas *opus* & ædificium *Dei*, id eſt, fratrem, quem Deus fecit, fidelem, ùt *Eph* ſ. 2. ſeu templum ſpirituale, ex *Chryſ. Omnia quidem ſunt munda*, ſed quod per ſe mundum eſt, malum eſt, ſeu peccatum eſt, edere cum offendiculo proximi, ùt ſupra dixit, *nihil commune per ſe*, &c.

℣. 21. *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur.*

Docet ad vitandum ſcandalum & offendiculum fratris, non ſolùm ab iis quæ lege prohibita fuerant, abſtinendum eſſe, ſed etiam à non prohibitis : ùt omninò à carnibus & vino 1.*Corinth.* 8. *Infirmatur* in facto noſtro frater jam infirmus, dum infirmitas fidei ejus latens in animo, occaſione facti noſtri foris oſtenditur, vel etiam augetur; adeò ut periculum ſit ne fidem prorsùs amittat, atque ex infirmo fide, mortuus fiat.

℣. 22. *Tu fidem habes? Penes temetipſum habe coram Deo : Beatus qui non judicat ſemetipſum in eo, quod probat.*

Dices mihi, te *fidem* habere quà credas omnia eſſe munda, ac legem ceſſare per Chriſtum, proindeque licitum tibi eſſe, veſci quibuſlibet; atque eam fidem te velle profiteri libero ciborum uſu : ſufficiat tibi, quòd fidem rectam de cibis habeas aput *teipſum* in animo, & *coram Deo*

Deo qui videt in occulto, ut non eam prodas cum offendiculo fratris. Tranſit ad inſtructionem fratris infirmi; qui exemplo fortè etiam gulâ provocatus, edebat ſuillam carnem, aut leporinam, aut quid ſimile lege prohibitum contra conſcientiam, ſicque edendo peccabat. *Beatus* eſt, inquit, id eſt, bene cum illo agitur, quia non peccat, *qui* ſcipſum *non judicat*, id eſt, quem propria conſcientia non condemnat, in eo quod agendum elegit.

℣. 23. *Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt: quia non ex fide. Omne, autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*

Hoc eſt, qui ita infirmus eſt, ut non ſtatuat, ſibi licitum eſſe cibum propoſitum, ſed hæſitet utrùm edere ſibi liceat, an non; ſi comedat, *damnatus eſt*. Qui enim facit, de quo dubitat an ſit peccatum, peccat, *quia non ex fide*, ſubaudi, *manducat*, hoc eſt, quia non edit cum ea animi perſuaſione, quâ credat, hoc ſibi licitum eſſe. Omne autem quod quis agit, non perſuaſus id ſibi licere, ſed vel illicitum putans, vel dubitans utrùm liceat, *peccatum eſt*; ita fidem accepit *Chryſ.* Et hanc fidem nihil prohibet eſſe in hominibus à fide Chriſti alienis. Unde patet ex hac ſententia ritè intellecta, non eſſe conſequens omne, quod agit infidelis, eſſe peccatum. Qui volunt fidem Chriſtianis propriam intelligi, interpretantur, *non ex fide*, id eſt, contra fidem. Sic, quidquid fit contra fidem ſeu fidei regulam, *peccatum eſt*: atqui ſumptio cibi quem putes immundum, fit contra fidei regulam, dictantem nihil agendum eſſe contra conſcientiam: igitur eſt *peccatum*.

CAPUT XV.

℣. 1. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.*

POſtquam inſtruxit infirmos, redit ad monendos firmiores ſui officii, docens breviter quem affectum habere erga infirmos, & quo modo cum eis converſari debeant; exhortans omnes ad mutuam ſupportationem, pacem & concordiam. Græcè, *Debemus autem nos potentes infirmitates impotentium portare, & non nobis ipſis placere* in fide & ſcientia noſtra, aut in alio quocumque bono, quod præ aliis habere videmur: ita nimirùm ut conſideratione noſtri boni proximum illo bono carentem deſpiciamus, & ſalutis ejus curam negligamus.

℣. 2. *Unuſquiſque veſtrûm proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem.*

Unuſquiſque ſtudeat placere proximo, id eſt, proximi bona procuret, non ſua.

℣. 3. *Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.*

Apoſtolo dicuntur ſibi placere, qui acquieſcunt in bono ſuo, non ſolliciti de aliis; ùt faciebant illi, quos *c.* 14. reprehendit. Hoc modo *Chriſtus non ſibi placuit*, qui non ſuam, ſed Patris in omnibus voluntatem quærebat (ùt ipſe dicit, *Joan.* c. 5. ℣. 30. & c. 6. ℣. 38.) & qui teſte *Iſaïa* 53. *Languores noſtros* ipſe tulit; quale teſtimonium etiam habetur, *Pſalm.* 68. quod hìc allegat Apoſtolus: *Improperia im-*

opprobrantium tibi ceciderunt ſuper me, græcè, *inciderunt in me*. Verba ſunt Chriſti ad Patrem. Quorum ſenſus eſt. Opprobria eorum qui tibi conviciati ſunt, gloriæ tuæ derogantes, ita accepi, ùt ſi in me jactata fuiſſent. Per quod oſtendi me totum ſervire tuæ gloriæ. Vel ſic: ob ea indolui, ut pro illis tanquam meis ipſius peccatis, ad placandam iram tuam in eos, qui hæc admittebant, me humiliaverim uſque ad mortem crucis: exolvens *quæ non rapui* in eodem *Pſalm*. 68. Qua in re manifeſtavi quanti ſalutem illorum fecerim. Utraque explicatio convenit Pſalmo citato: ſed ſecunda propiùs facit ad inſtitutum Apoſtoli; ex *Eſtio*.

℣. 4. *Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus.*

Declarat ſe verſiculum Pſalmi, etſi in perſona Chriſti pronuntiatum, non malè ad inſtructionem eorum quibus ſcribit, adduxiſſe, ùt 2. *Tim*. 4. ut exhibentes in adverſis patientiam ad quam Scripturæ hortantur, ex quibus, futura & æterna bona promittentibus, conſolationem accipientes, ſpem habeamus eorum bonorum, & in ea ſpe roboremur, ùt 1. *Mach*. 12.

℣. 5. *Deus autem patientiæ & ſolatii det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundùm Jeſum Chriſtum:*

Hoc eſt. *Deus patientiæ* author *det vobis*, ut ſublatis diſſidiis quæ habetis inter vos, ſive de juſtificatione, ſive de ciborum ac dierum obſervatione, idem inter vos mutuò ſentiatis, idque ſecundùm doctrinam quam Chriſtus docuit, quod addit ad excludendam conſenſionem in doctrina falſa, ùt notat *Eſtius*: qualis

erat, juſtificari hominem ex operibus legis, & cibos aliquos eſſe immundos.

℣. 6. *Ut unanimes, uno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Declarat acceptiorem fore Deo laudem ipſorum ſi ſint animis inter ſe concordes. Hoc admonet propter firmos & infirmos, & propter Judæos & Gentiles, de quibus conſequenter agit: quos omnes, poſitis jurgiis, vult *uno ore* Deum glorificare.

℣. 7. *Propter quod ſuſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei.*

Hoc eſt; alius alium ſibi adjungat, firmus infirmum, doctus rudem, Gentilis Judæum, & contrà; ſupportet eum, inſtruat, & ſalutem ejus curet. Sicut Chriſtus nos aſſumpſit, ut Dei gloriam, & honorem per hoc promoveret, ita vos quoque invicem aſſumite, ut in unitate & concordia veſtra Deus glorificetur. Vel ſicut Chriſtus nos aſſumpſit in hæreditatem gloriæ cœleſtis, ad quam ipſe ſecundùm humanam naturam à Deo aſſumptus eſt.

℣. 8. *Dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum.*

Tacitè ſignificat Judæorum infirmitatem (ùt quorum plerique legalibus nimiùm addicti eſſent) ſupportandam eſſe à Gentilibus, qui eâ parte erant in fide inſtructiores & firmiores, utpote contrariâ opinione non præoccupati: & docet Gentes ſeſe humiliter gerere in negotio Evangelii, nec inſultare Judæis, quòd Chriſtum minùs promptè receperint, ùt docuit *cap.* 11. & oſtendit quæ fuerit Judaïci populi

prærogativa, ùt ad quem ſpectarent promiſſiones patribus factæ de Chriſto: cujuſmodi nullæ factæ eſſent populo Gentili. Illud eſt, inquit, quod *dico*, *Jeſum Chriſtum*, miniſtraſſe Evangelium Judæis (quos nomine *circumciſionis* deſignat) per ſemetipſum illis prædicando; idque pro veritate, ſeu fide præſtanda, id eſt, ut Dei fidem ſervaret: vel ad circumciſionem, id eſt, Judæos. Sic enim fuit Dei Apoſtolus ad Judæos, non ad Gentes. *Matth.* 15. *Gal.* 2. ad implendas promiſſiones patribus factas, Abrahæ, Davidi, &c. Sic enim confirmantur, dum res promiſſæ exhibentur.

℣. 9. *Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo.*

Repetendum, *dico*, ut ſenſus ſit. Gentes verò quibus nulla facta promiſſio eſt, *dico* debere Deum glorificare pro miſericordia ſibi præſtita. *Miſericordia* opponitur promiſſioni, quæ parit aliquod debitum. Nam qui promiſit, tenetur ad præſtandum: alioquin etiam ipſa promiſſio miſericordia eſt, ait *S. Thom.* Igitur utrobique miſericordia: ſed Judæis promiſſa: Gentibus non promiſſa, ſed tantùm à Prophetis prædicta, ùt probat ex *Pſalm.* 17. & 2. *Reg.* 22. Non ergo minores debent Deo gratias Judæi, quàm Gentiles: quod ex promiſſo fuerit illis debitum hoc beneficium. Imò verò majores hâc parte gratias debent, quòd Deus illis Chriſtum gratuitò promittere dignatus eſt. Confiteri Deo non aliud eſt, quàm infinitam Dei excellentiam cum laude agnoſcere. *In Gentibus*, id eſt, pro gentibus, pro Gentium converſione, quam per me facturus es. Vel inter Gentes, & per Eccleſiam Gentium, videlicet

ore omnium te laudantium ob Gentium converſionem. *Vel confitebor tibi in Gentibus.* Id eſt, faciam ut tibi Gentes confiteantur, vel Gentium voce. Et celebrabo tuum non voce tantùm, ſed etiam ſonitu Filium, quod nunc fit per totam Gentium Eccleſiam.

℣. 10. *Et iterùm dicit: lætamini Gentes cum plebe ejus.*

Iſa. 66. vel *cap.* 35. vel *Pſal.* 66. vel. *Deut.* 32. Hoc eſt. Vos Gentes, cum ex æquo factæ ſitis participes beneficiorum Chriſti cum populo Dei, id eſt, cum Judæis, etſi communes cum eis promiſſiones non acceperitis: agite cum eis commune gaudium, & unà collaudate Deum.

℣. 11. *Et iterùm: laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi.*

Pſ. 116. Græcè, *Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi.* Invitantur omnes Gentes & populi ad laudandum Deum pro miſericordia confirmata, & veritate exhibita populo Iſraëlitico: tanquam participes futuræ eorumdem beneficiorum. Nec participes eſſe poſſent promiſſionis ſpem non habentes, niſi miſericorditer vocatæ. Eſt ergo hoc apertum vaticinium vocationis omnium Gentium prorsùs indebitæ.

℣. 12. *Et rursùs Iſaïas ait: erit radix Jeſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt.*

Iſai. 11. *Erit radix Jeſſe*, id eſt, Jeſſe habebit radicem, nempe prolem David; ſeu Chriſtus oriundus eſt ex ſtirpe Jeſſe patris David ſecundùm carnem, idem ipſe *qui exurget* & ſtabit, futurus inſtar ſigni in altum erecti, ad

quod undique populi confluant: *exurget*, inquam, ut Gentibus imperet, ſitque earum princeps. Ille eſt, quem Gentes ſuæ vocationis gratiam agnoſcentes, requirent, in quem *ſperabunt*, adeòque deprecaturæ ſunt; tantùm abeſt ut ejus imperium & principatum ſint recuſaturæ.

℣. 13. *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritûs Sancti.*

Superiorem exhortationem precatione concludit. Deum ſpei dicit, ùt patientiæ & ſolatii authorem. *Omni gaudio*, Hebræâ phraſi eſt pleno ac perfecto gaudio, ùt *Jac.* 1. *In credendo*, id eſt, per fidem. q. d. Quæ bona acquiruntur fide bene excitatâ & exercitatâ, ex *Chryſ.* Ut ſpes augeatur in nobis magis ac magis, augeſcente nimirùm causâ ſperandi, quæ eſt gaudium, pax & mutua charitas; ſpes, inquam, augeatur per virtutem, id eſt, efficacem operationem *Spiritûs ſancti.*

℣. 14. *Certus ſum autem fratres mei & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientiâ, ita ut poſſitis alterutrum monere.*

Quæ ſequuntur excuſationem continent, & ſuæ perſonæ, & miniſterii commendationem. Primùm igitur ne correptionem & inſtructionem ſibi adhibitam moleſtè ferant Romani, quòd inter eos eſſent alii docti, alii doctrinæ opinione ſibi placentes, excuſatione cum laude utitur, cùm ait, nec inter illos deeſſe qui ſimile officium præſtare poſſint. *Certus ſum.* Græcè *perſuaſum habeo*, ùt *cap.*8. Certitudo hìc eſt, ea quæ ex conſtanti rumore & ſermone ho-

minum fide dignorum habetur. Dicit autem plenos *dilectione*, ſeu bonitate, non quòd jam in ea perfecti eſſent, quæ non eſt hujus ſæculi perfectio, ſed futuri: ſed propter multitudinem bonorum operum erga fratres ùt *Act.* 9. Et loquitur de ſcientia neceſſaria ad mutuam inſtructionem. Sic dicit *omni ſcientiâ*, ùt paulò ante omne gaudium. *Alterutrum*, id eſt, alius alium, vel invicem.

℣. 15. *Audaciùs autem ſcripſi vobis fratres ex parte, tanquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo,*

Quamvis (inquit) ſcirem eſſe inter vos qui hæc præſtare poſſent: ipſe tamen audaciam ſumpſi ad vos ſcribendi. *Audaciùs ex parte*, id eſt, paulò liberiùs, non tam ut docerem vos quæ neſcitis, quàm ut ſubmonerem, & in memoriam vobis revocarem, tamquam ſcientibus. Vel *ex parte*, id eſt, non omnia quæ in hac Epiſtola vos docui ignorabatis, ſed bonam partem vobis tamquam ſcientibus ad memoriam reducere volui. Non temerè, inquit, feci, ſed ut ſatisfacerem officio Apoſtolatûs mihi divinitùs delegato.

℣. 16. *Ut ſim miniſter Chriſti Jeſu in Gentibus: ſanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto.*

Non ſignificat miniſterium ſuum limitatum fuiſſe, ut ſolis, ſed ut præcipuè Gentibus evangelizaret, ad *Gal.* 2. *Sanctificans*, id eſt, adminiſtrans Evangelium à Deo miſſum hominibus, eoque miniſterio velut ſacerdotio fungens. λειτεργὸς Græcè ſacris operans, rem ſacram faciens, conſecrans, ait *Auguſt.* Malè

hinc *Calvinus* non aliud agnoſcit ſacrificium, quàm hoc metaphoricum, velut juſtitiæ, miſericordiæ, laudis, contriti cordis, &c. Gentes facit *Paulus*, ipſam hoſtiam Deo offerendam in hoc miniſterio. Fit autem *accepta* & grata Deo per fidem, quâ credunt Evangelio, ſi fuerit *ſanctificata* per Spiritum ſanctum, tamquam authorem omnis ſanctitatis. Alludit ad ritum veteris ſacerdotii, quo hoſtiæ Deo offerendæ ſanctificationibus quibuſdam externis præparabantur ac mundabantur, ut acceptabile eſſet ſacrificium. Ita docet, Gentes priùs immundas, per fidem operante Spiritu ſancto mundatas, & ſanctificatas à ſe velut ſacerdote gratam & acceptabilem offerri hoſtiam Deo.

℣. 17. *Habeo igitur gloriam in Chriſto Jeſu ad Deum.*

Hoc eſt. Cùm officium tam excellens mihi ſit commiſſum, & cum fructu converſionis Gentium exercuerim, habeo quòd glorier in his quæ ad Deum pertinent, id eſt in rebus divinis, non humanis; ſacris non profanis, idque non in me, ſed *in Chriſto Jeſu*, id eſt, per Chriſtum Jeſum. Significat bonum ſucceſſum Evangelii, & eum totum meritis Chriſti acceptum fert.

℣. 18. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam Gentium, verbo & factis:*

Id eſt. Et tantùm loquor, quæ per me Chriſtus effecit *ad obedientiam Gentium*, id eſt, ut gentes obediant Evangelio. Et modeſtiæ causâ dicit *per me Chriſtus*: totum Deo tribuens per Chriſtum, quod fecit prædicatione & miraculis, ex *Chryſoſt.*

℣. 19. *In virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritûs ſancti: ita ut ab Jeruſalem per circuitum uſque ad Illiricum repleverim Evangelium Chriſti.*

Signa & prodigia pro eodem ponit, quæ ait facta eſſe non dæmonum præſtigiis, ſed *virtute Spiritûs Sancti.* Vel intelligit chariſmata Spiritûs ſancti, quæ enumerat 1. *Cor.* 12. Et ſignificat ſe longè latèque Evangelium propagaſſe *ab Jeruſalem* uſque ad Sclavoniam, incipientem à Damaſco, ùt conſtat *Act.* 9. ita ut *repleverit Evangelium*, velut rete, hominibus credentibus, vel repleverit, id eſt, plenè annunciaverit Evangelium, vel munus Evangelii ſibi demandatum. Vel ſignificat verbum prædicationis non fuiſſe inane, ſed multo cum fructu. Vel impleviſſe & dilataſſe per diverſa loca famam ac notitiam Evangelii, ùt *Eccl.* 24. 47. & 2. *Tim.* 4.

℣. 20. *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem: ſed ſicut ſcriptum eſt:*

℣. 21. *Quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.*

Græcè, ſic autem ſtudens ſive annitens & ſollicitè curans evangelizare non in iis locis, quibus jam erat Chriſtus annunciatus, ne ſuperædificarem ſuper alieno fundamento. In quo explicat munus Apoſtolicum, quod erat Evangelium annunciare infidelibus, & novas ſubinde Eccleſias fundare, quibus deinde præficerentur Epiſcopi, ùt 1. *Cor.* 3. Forſan per-

ſtringit pſeudoapoſtolos æmulos ſuos, qui ſuper alienum fundamentum malè ædificantes, tamen volebant videri Apoſtoli. Citat *Iſa.* c. 52. in quo Gentium vocatio multis verbis deſcribitur. *De eo*, hoc eſt; Gentes, quibus nihil anteà de Chriſto fuerat annunciatum, *videbunt* eum per fidem, Apoſtolis prædicantibus: & qui de eo nihil audierant, *intelligent*, id eſt, mentis aſſenſu recipient eum: *acquieſcent* per obedientiam fidei.

℣. 22. *Propter quod & impediebar plurimùm venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc.*

Præpeditus ſum ab eo quod ſæpe deſideravi ut ad vos venirem.

℣. 23. *Nunc verò ulteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis:*

Græcè non ampliùs locum habens. Regiones intelligit Achaïam & Macedoniam. Et ſenſus eſt. Cùm per has regiones ita propagaverim Evangelium, ut in his non habeam locum Evangelio vacuum; ideòque non ſit mihi neceſſitas hìc remanendi, cùmque præter hæc tenear magno deſiderio, jam à multis annis ad vos proficiſcendi & vos inviſendi.

℣. 24 *Cùm in Hiſpaniam proficiſci cæpero, ſpero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis primùm ex parte fruitus fuero.*

Spero me in tranſitu vos inviſurum. Et illuc, id eſt, *in Hiſpaniam* à vobis deductum iri, ſubminiſtratis, ſi opus ſit, neceſſariis ad iter agendum, ùt *Tit.* 3. ubi priùs aliquot dies apud vos commoratus, conſuetudine veſtri deſiderii meum aliquatenùs explevero.

℣. 25. *Nunc igitur proficiſcar in Jeruſalem miniſtrare ſanctis.*

Hoc eſt. Nunc Hieroſolymam pergo occupatus in negotio mihi injuncto, ut *ſanctis*, id eſt, fratribus qui ſunt Jeroſolymis, & inopia laborant, eleëmoſynam procurem, & adferam. Quod alibi miniſterium vocat, ùt 1. *Cor.* 16. & 2. *Cor.* 8. & 9. *Act.* 6.

℣. 26. *Probaverunt enim Macedonia, & Achaïa collationem aliquàm facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Jeruſalem.*

Græcè communionem, ſive communicationem, ùt 1. *Cor.* 10. 2. *Cor.* 8. Digreditur parùm occaſione ejus quod dixit *miniſtrare ſanctis*. Non enim voluit ſinè laude eos prætermittere, qui ad ſubſidium illud ſanctorum contulerant. Quos tamen non ſic laudat, ut non etiam debitores collati muneris eſſe doceat. Hoc autem exemplo tacitè Romanos exſtimulat ad ſimilem beneficentiam erga fratres egenos, præſertim Evangelii miniſtros, exercendam. Ut ſenſus ſit. Viſum eſt Eccleſiis Macedoniæ & Achaïæ, eleëmoſynam aliquam facere, ſeu conferre in pauperes, qui ſunt inter fideles Hieruſalem habitantes, vel in pauperes ſanctos, ùt *Act.* 24. *Gal.* 2.

℣. 27. *Placuit enim eis: & debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles: debent & in carnalibus miniſtrare illis.*

Benè ait, *placuit*, quia *debitores ſunt*, ùt 1. *Cor.* 9. pauperum egentium Hieroſolymis: & innuit hanc carnalium ſubminiſtrationem quæ redditur adminiſtrantibus ſpiritualia, ſacram quandam eſſe obligationem, ùt quæ

Deo fiat in ſuis miniſtris : ùt olim offerebantur Deo primitiæ ac decimæ in alimentum Levitarum. Hoc enim juſtitia poſtulat, ùt Apoſt. demonſtrat 1. *Cor.* 9. Gentiles autem participaverunt de bonis ſpiritualibus eorum qui Hieroſolymis & in Judæa habitabant, quia Evangelium acceperant à Judæis miſſis & profectis ex illa ſancta ſocietate pauperum qui Hieroſolymis & in Judæa erant. Unde non ſolùm debitores erant iis qui miſſi fuerant, ùt *Paulo*, *Silæ*, *Barnabæ*, ſed & illis à quibus miſſi, tanquam ſocietati, cujus erant membra, ex *S. Thom.* Et huc uſque digreſſio.

℣. 28 *Hoc igitur cùm conſummavero, & aſſignavero eis fructum hunc : per vos proficiſcar in Hiſpaniam.*

Græcè, *cùm conſignavero.* Ne quis ſuſpicaretur eum in rem ſuam aliquid inde uſurpaſſe. *Fructum* verò appellat eleëmoſynam, quia res erat bona & utilis quæ provenerat ex ipſius plantatione & cultura, ùt 1. *Cor.* 3. ac ſi nunc diceret. Eccè apporto ſanctis pauperibus fructum ex mea arbore quam colui. Neque verò ſolùm utilis erat accipientibus, ſed & ipſis à quibus provenerat, id eſt, largientibus : illis ad vitæ ſuſtentationem : his ad incrementum juſtitiæ, & meritum vitæ æternæ, ùt 2. *Cor.* 9 & *Philipp.* 4. ex *Chryſoſt.* Græcè, *diſcedam per vos in Hiſpaniam*, id eſt, facere diſpono : verum dixit, licèt eventus, Deo aliter diſponente, propoſito non reſponderit. *Act.* 2. ex *Baron. tom.* 1. *an.* 61.

℣. 29. *Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Chriſti veniam.*

Scio, non certitudine fidei, ſed fiducia,

In abundantia, id eſt, in plenitudine *benedictionis*, &c.

℣. 30. *Obſecro ergo vos fratres per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum,*

Rogat & obteſtatur, ut pro ſe, & ſucceſſu Evangelii, ac miniſterii ſui Deum orent & ſe pugnantem adjuvent.

℣. 31. *Ut liberer ab infidelibus, qui ſunt in Judæa, & obſequii mei oblatio accepta fiat in Jeruſalem ſanctis,*

Hoc eſt, ut poſtquam in Judæam venero, liberer ab incredulis qui in ea ſunt, ut in manus eorum non incidam: ne me intercipiant & occidant, & pecuniam quam à Gentilibus collectam defero, auferant, ùt *Act.* 20. & 21. Hinc colligitur Sanctos invocari ſinè injuria Mediatoris, ùt *Epheſ.* 6. *Coloſſ.* 4. 1. *Theſſal.* 5. 2. *Theſſal.* 3. *Heb.* 13.

℣. 32. *Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiſcum.*

Hoc eſt. Ita fiet ut cum gaudio veniam ad vos, Deo volente, & quietem aliquam poſt labores capiam.

℣. 33. *Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.*

Precatur eis pacem à Deo pacis authore, reſpiciens ad contentiones quæ inter eos fuerant, tam de juſtificatione in Judæos & gentiles, quàm de legalium obſervatione Judæis ipſis inter ſe, ùt notat *Eſtius*.

CAPUT XVI.

℣. 1. *Commendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris:*

Totum hoc caput ſalutationes occupant; incipit à *Phœbe*, cui perferendam hanc tradit Epiſtolam. *Sororem* vocat, non quod fuerit uxorius, quam nunc habeat ſororis loco: ſed ſororem religione, id eſt, Chriſtianam, & miniſtram Eccleſiæ Cenchrenſis, vel quia Cenchris habitans, ſolita eſſet ſuſcipere & ſovere miniſtros verbi Dei: vel potiùs quia Diaconiſſa erat, non altari ſerviens, ſed aliis Eccleſiæ miniſteriis addicta ex *Chryſ. Ignatio* & *Epiph.*

℣. 2. *Ut eam ſuſcipiatis in Domino dignè ſanctis: & aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit: etenim ipſa quoque aſtitit multis, & mihi ipſi.*

Id eſt. Propter Dominum, cui illa ſervit in ſuo miniſterio, ùt decet ſuſcipi ſanctos, hoc eſt, fideles fratres, ac ſorores.

℣. 3. *Salutate Priſcam & Aquilam adjutores meos in Chriſto Jeſu;*

Act. 18. vocatur *Priſcilla* & *Aquila* conjux,

ambo Judæi ſcenofactoriam artem exercentes in religione Chriſtiana bene inſtructi. Româ ejecti edicto Claudii Corinthum venerant, quo mortuo redeundi poteſtas data eſt, ex *Baron.* Prior nominatur, quia prior credidit, & ordo gratiæ præponendus eſt : vel quia notior, ex *Chryſ. hom.* 10. in 2. *ad Tim. Coadjutores vocat*, non in texendis tabernaculis, ſed in his quæ ad fidem Chriſti promovendam pertinent.

℣. 4. (*Qui pro anima mea ſuas cervices ſuppoſuerunt : quibus non ſolus ego gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ Gentium*)

Refertur hoc ad illud periculum quod in eodem *cap.* 18. *Act.* deſcribitur, quando Judæi pertraxerunt *Paulum* ad tribunal Gallionis : vel quando periclitatus fuit Epheſi ab argentariis, *cap.* 19. Cujus conſervatio ùt pertinebat ad omnes Eccleſias Gentium, vel quia cooperatores fuerant in propagatione Evangelii, ſic omnes gratias agunt.

℣. 5. *Et domeſticam Eccleſiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui eſt primitivus Aſiæ in Chriſto.*

Salutate privatam familiam, quam *Eccleſiam* vocat, quòd ex fidelibus conſtaret, ùt *Matth.* 18. ùt *ad Philem.* & *Coloſſ.* 4. Et hi ferè omnes qui nominantur aut ſalutantes, aut ſalutandi, ineptè recenſentur inter ſeptuaginta Chriſti diſcipulos à *Dorotheo* in ſua ſynopſi. *Dilectum mihi*, ſive Aſiæ, ſive Achaïæ *primitias* : eo quod inter fideles ejus regionis eſſet præcipuus, & inſignis, vel quia tempore primus, aut ex primis qui in Chriſtum crediderunt, ùt *c.* 8.

℣. 6. Salutate Mariam, quæ multùm laboravit in vobis.

In vobis, græcè, *in nos*, id eſt, *in* me meoſque ad Evangelium promovendum. Ad quam ſcribens *Ignatius* vocat Deo dignam; & fœminarum ſapientiſſimam, & eruditiſſimam, ac ſpecimen piarum fœminarum.

℣. 7. Salutate Andronicum, & Juniam cognatos, & concaptivos meos: qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto.

Julia vel *Junia* viri nomen eſt potiùs quàm fœminæ. *Cognatis*, id eſt, ejuſdem mecum generis, ùt *cap.* 9. vel contribules, id eſt, de tribu Benjamin, vel ſanguinis vinculo conjuncti. Ubi autem, aut quando fuerunt concaptivi, ignoratur. *In Apoſtolis*, id eſt, inter apoſtolos, ut comprehendat hoc nomen omnes qui Evangelium Chriſti aununciant infidelibus, qui priores me, in Chriſtum crediderunt, id eſt, Chriſtiani fuerunt.

℣. 8. Salutate Ampliatum dilectiſſimum mibi in Domino.

Græcè, *Ampliam* delectum meum in Chriſto.

℣. 9. Salutate Urbanum adjutorem noſtrum in Chriſto Jeſu, & Stachyn dilectum meum.

Græcè, *coöperatorem* in iis quæ ad fidem ſpectant. *Stachys* à beato *Andrea* Apoſtolo primus Byzantinæ civitatis Epiſcopus ordinatus eſt.

℣. 10. Salutate Apellen probum in Chriſto.

Probatum Chriſti diſcipulum. Græcè, ſincerum, vel tribulationibus probatum, ex *Orig.* Non eſt idem qui in *Act.* 18.

℣. 11. *Salutate eos, qui ſunt ex Ariſtoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt in Domino.*

Ex domo, id eſt, familiam ex domeſticis, & ipſos in primis *Ariſtobolum* & *Narciſſum*, non enim putandum fuiſſe abſentes. *Aroſtobolus* in Britanniam miſſus fuit ad prædicandum. *Qui ſunt in Domino*, id eſt, eos qui in Chriſtum credunt, nondum enim omnes domeſtici fortè credebant.

℣. 12. *Salutate Tryphænam, & Tryphoſam: quæ laborant in Domino. Salutate Perſidem chariſſimam, quæ multùm laboravit in Domino.*

Id eſt, quæ collaborant Evangelio Chriſti, eo labore qui ſexui illi conveniat.

℣. 13. *Salutate Rufum electum in Domino, & matrem ejus, & meam.*

Hic electus dicitur, quia pietate inſignis, vel quia omnes fideles, Sancti & electi vocabantur. Non is eſt, de quo *Marcus* c. 15. Matrem vocat honoris causâ.

℣. 14. *Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen: & qui cum eis ſunt, fratres.*

Id eſt, Chriſtianos eorum domeſticos ſeu familiares. Sunt qui *Hermen* ſive *Hermetem* faciunt authorem libri qui paſtor inſcribitur, non ſic *Tertul.* l. 3. *carminum*, & *Baron. an* 159. Non inter ſacras, ſed apocryphas Scripturas recenſendus.

℣. 15. *Salutate Philologum & Juliam, Nereum, & ſororem ejus, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis ſunt, ſanctos.*

Etſi non omnes quos ſalutat verè Sancti ſint, tamen ipſa communitas ſanctorum eſt.

℣. 16. *Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti.*

Antiquitùs propinqui & amici advenientes excipiebantur oſculo, quale decet ſanctos & erat ſymbolum amoris caſti, ſpiritualis & divini. Vel loquitur de oſculo pacis, quod tempore ſacrificii exhibetur, ante myſteriorum perceptionem: de quo *Baron. an.* 45. *Petri* ſalutationem non nominat, non quia non eſſet Romanus Epiſcopus, ſed quia tunc Romæ non erat quando hanc ſcribebat Epiſtolam, pulſus Româ edicto *Claudii*, necdum illhic redierat occupatus in propagando latiùs Evangelio, quòd *Paulum* non latebat. Ipſe autem *Petrus* ad Romanos diſſidentes non ſcribit, quia res ad eum procul agentem non eſſet perlata. Vel ipſe *Paulus* pro ſua defenſione ſcripſit, ex *Baron. an.* 58. *Omnes Eccleſiæ* intelliguntur, apud quas verſabatur, quarum affectum & charitatem noverat, ſicque non eſt mendacium ſalutatores aſcribere quos non convenimus.

℣. 17. *Rogo autem vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis.*

Rogo, græcè, *Hortor* & obſecro vos, ut diligenter obſervetis, etiam cum inquiſitione, ſi qui diſſenſiones ſeu diſſidia opinionum inter vos ſuſcitant contra doctrinam quam initio accepiſtis à *Petro* Apoſtolo; & aliis quos habuiſtis mi-

ſtros Evangelii, & per hoc pariunt offendicula. *Præter*, id eſt, contra, ut *Gal.* 1. *præter id quod accepiſtis*. Et facit hic locus pro traditionibus, & pro inquirendis hæreticis, ex *Theoph.*

℣. 18. *Hujuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri: & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium.*

Hos 2. *Corint.* 11. pſeudoapoſtolos vocat: quorum Deus venter eſt, *Phil.* 3. *Tit.* 2. *Benedictiones* non solùm laudes, ſed etiam fauſtas imprecationes vocat, & *innocentes*, ſimplices & incautos.

℣. 19. *Veſtra enim obedientia in omnem locum divulgata eſt. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.*

Id eſt, *Veſtra obedientia* quâ promptiſſimè accepiſtis Evangelium Chriſti vobis annunciatum, etiam ad remotiora loca divulgata eſt. Et *gaudeo* veſtri causâ. Sed *volo*, & vos adhuc hortor: ut ſitis ſapientes & intelligentes rerum bonarum, ſcilicet, ut eas, ùt oportet, faciatis: malarum verò agendarum imperiti.

℣. 20. *Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum.*

Græcè *conteret*. Ut ſint verba bene precantis vel ſperantis. Id eſt, citò victoriam de eo vobis tribuat, extinctis inter vos opinionum diſſidiis, quòd ipſum brevi facturum confido. *Satan* adverſarius ſive dæmon, ſive homo, ſive per ſe, ſive per miniſtros. Gratiam precatur Romanis, ut Satanæ inſidias evadant, & in bono proficiant.

℣. 21. *Salutat vos Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Jaſon, & Soſipater cognati mei.*

Coöperator in propagando Evangelio. *Timotheus* is eſt ad quem duas ſcripſit Epiſtolas: Et *Lucius* idem qui *Lucas Evangeliſta*. *Act*.20. *Jaſonis* meminit *Act*. 17. Dicebatur Jeſus, ſed ob reverentiam, Chriſtiani vertebant hoc nomen in aliquod ſibi vicinum, ut & 2.*Mach*4. *Cognatos* ait id eſt, ejuſdem gentis, vel etiam Tribûs.

℣. 22. *Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam, in Domino.*

Ad excludendum pretium ſcriptionis, quia eo velut amanuenſi *Paulus* utebatur, qui poſteà factus Epiſcopus Iconenſis.

℣. 23. *Salutat vos Cajus hoſpes meus, & univerſa Eccleſia. Salutat vos Eraſtus arcarius civitatis, & Quartus, frater.*

De *Caio* 1.*Cor*.1. & 1.*Joan*.3. apud quem hæc epiſtola ſcripta eſt. *Arcarius*, id eſt, quæſtor ærarius. Vel curator ſeu procurator, qui ſolus publicam pecuniam adminiſtrabat. *Quartus*, *frater* dicitur non ſecundùm carnem, *Act*. 19. *ex Martyrologio* 3. *Novemb*.

℣. 24. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.*

Iterùm vale. Mos erat *Pauli* uti hâc formulâ procuratoriâ divinæ gratiæ in Epiſtola loco valedictionis. Ad *Hebr*. &c. 2.*Theſ*. Quæ ſequuntur, habentur in Syriaco *cap*. 14. Vel dicendum *Paulum* hæc ſuâ manu appoſuiſſe.

℣. 25. Ei autem, qui potens eſt vos confirmare juxta Evangelium meum, & prædicationem Jeſu Chriſti, ſecundùm revelationem myſterii temporibus æternis taciti,

Hæc cum ſequentibus abraſit *Marcion*: ex *Orig*. Continent autem laudationem Dei inſignem & gratiarum actionem ob vocationem Gentium ad ſalutem. *Confirmare:* ſcilicet in fide. Quod ait propter debiles in fide. *Qui potens eſt,* Significat id à Deo ſperandum & expectandum eſſe, ut *cap.* 11. & 14. & 2. *Cor.* 9. ut adhæreatis doctrinæ Evangelii, quâ revelatur myſterium ſalutis humanæ per Chriſtum omnibus retrò ſæculis mundo occultatum, & paucis cognitum.

℣. 26. (Quod nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum ſecundùm præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti,

Græcè *manifeſtati nunc* per Apoſtolos, & *per Scripturas* Propheticas ex mandato Dei facto Apoſtolis ad obediendum fidei; in omnes Gentes patefacto.

℣. 27. Soli ſapienti Deo per Jeſum Chriſtum, cui honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hoc eſt, ei qui potens eſt vos confirmare in hoc Evangelio, & prædicatione tanti myſterii, qui ſolus eſt ſapiens, ſit *honor & gloria* per Jeſum Chriſtum *in ſæcula ſæculorum*. Gloriam Deo precari, eſt optare ut cognoſcatur & colatur *per Jeſum Chriſtum*, nimirùm ut omnes Chriſtiani fiant, & Deum clarificent. *Joan.* 17. *Gloria*, eſt manifeſtatio Dei in hominibus. *Honor* autem cultus Deo exhibitus *in ſæcula ſæculorum. Amen.*

FINIS.

IN EPISTOLAM PRIMAM
B. PAULI
ad Corinthios
ARGUMENTUM.

Corinthios ab humanæ Philoſophiæ faſtu, atque inani magiſtrorum ſuorum venditatione ad humilem crucis doctrinam & de Chriſto gloriationem abducit, & excommunicato fornicario, ab omni eos libidine & avaritia dehortatur, quantum cuique datur, ad continentiam invitans, ſic tamen ut matrimonium prælatâ virginitate non damnet. Obiter verò, ſuam authoritatem adversùs pſeudoapoſtolos & libertatem aſſerens, damnat, quòd promiſcuè idololatrarum menſâ cum aliorum offendiculo utantur: Hortatur ad dignè ſumendam Eucharistiam: enumeratiſque variis Eccleſiaſtici corporis donis, ad charitatem maximè & prophetiam invitat, & ad faciendam eleëmoſynam.

CAPUT PRIMUM.

Damnat illorum ſchiſmata, & humanam ſapientiam cum ſuis profeſſoribus. Et oſtendit Chriſtum ſtultos mundo & ignobiles ad Evangelii prædicationem delegiſſe.

℣. 1. *Paulus vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater,*

UT moris erat initio Epiſtolæ nomen apponit, & ſe vocatione Apoſtolum dicit, ùt *ad Rom.* & hoc Juſſu, decreto ac beneplacito Dei, ùt *Act.* 9. & 13. Sic enim omnis laus vocantis eſt: vocati verò nulla, præter obſequium tantùm, ait *Chryſoſt. Soſthenes* princeps Synagogæ fuerat apud Corinthios, qui deindè *Pauli* prædicatione converſus ad Chriſtum, & ante Galionem proconſulem acriter verberatus, *Act.* 18. de quo *Martirol. Rom.* 28. *Novemb.* Collegam inducit in ſcribenda Epiſtola: fratrem vocat, quia Chriſtianus erat. Et inferiorem ſibi ipſi æquiparat, ait *Chryſ.*

℣. 2. *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Jeſu, vocatis ſanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, in omni loco ipſorum, & noſtro.*

Subdit quæ eſt illa Eccleſia, ipſis ſcilicet in Chriſto Jeſu per baptiſmum *ſanctificatis*, id eſt, ad ſanctitatem *vocatis* à Deo, nimirùm efficaci

vocatione (ùt ad Rom. 1.) *Cum omnibus .... in omni loco ipſorum & noſtro.* Unde patet Apoſtolum velle hanc Epiſtolam ad omnes Chriſtianos perferri, ex *Chryſ. Theophyl.* & *Oecum.* *Et noſtro* Hieroſolymis. Vel *noſtro*, eo quòd omnis locus fidelium Corinthiorum etiam ſuus eſſet. Nec quemlibet locum ſignificat, ſed eum qui deputatus ſit conventibus & orationibus publicis, quales Eccleſiæ Gentium & ſynagogæ Judæorum, ex *Ambr.* Oſtendit in univerſo orbe unam oportere eſſe Eccleſiam, quanquam locis diviſam pluribus, ex *Chryſoſt.*

℣. 3. *Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.* Subintellige multiplicetur, ùt *Rom.* 1.

℣. 4. *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu:*

In, id eſt, ſuper *gratia Dei*, vel propter gratiam Dei, propter bona *vobis* collata. Nomen gratiæ complectitur omne donum gratuitum ordinatum ad ſalutem, per Chriſti meritum.

℣. 5. *Quod in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia:*

Id eſt, per ipſum *in omni* re ditati eſtis ad ſalutem ſpectante. Vel *in omnibus*, id eſt, omni ex parte, ùt 2. *Cor.* 6. ℣. 4. *In omni verbo*, utroque dono cognoſcendi divina, & eadem aptè eloquendi. Sunt qui verbum, pro dono linguarum: alii pro opere uſurpant, ùt *Luc.* 2. ℣. 15.

℣. 6. *Sicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis:*

Hoc eſt, his donis velut certo teſtimonio cognoſcitur, vos eſſe fideles ac ſervos Chriſti, & ejus ſpiritum accepiſſe, ùt ad *Gal.* 3.

℣. 7. *Ita ut nihil vobis deſit in ullâ gratia, expectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti,*

Corinthii in omnibus ditati fuiſſe dicuntur, non quòd omnes omnia haberent, ſed quia juxta quemdam modum hujus vitæ, in ipſo corpore omnia erant: (ex *cap.* 12.) ſicut in emporio multæ ſunt divitiæ, non tamen apud omnes, ſed apud pauciores, per quos in alios poſſunt ac debent diſtribui. Jam licèt in illis eſſent ſchiſmata, non tamen deerat gratia unitatis & concordiæ in eorum cordibus, qui dicebant, Ego ſum Chriſti. *Revelationem* aliàs vocat ejus adventum, quo in ſua gloria conſpicietur, quam expectant electi.

℣. 8. *Qui & Confirmabit vos uſque in finem ſinè crimine, in die adventûs Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Duo promittit: firmitatem in acceptis Dei donis, & perſeverantiam, quâ in illis conſerventur uſque ad finem vitæ: vel uſque ad adventum in fine ſæculi: non dicit ſinè peccato, ſed *ſinè crimine*, crimen autem eſt de gravioribus peccatis, ùt 1. *Theſſ.* 5. Loquitur autem non de ſingulis qui erant in Eccleſia, ſed de corpore, in quo erant alii aliis meliores. Vel ſunt verba ſimpliciter aſſeverantis, non de omnibus Corinthiis fidelibus, ſed de electis, qui inter eos erant. Qui ſi labuntur, lapſi reſurgent finaliter, & ſic conſervantur *ſinè crimine* uſque ad diem quo venturus eſt Dominus ad judicium.

℣. 9. *Fidelis Deus: per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri.*

Probat à fide & veritate Dei, quod dixit, *Qui & confirmabit vos uſque in finem*, ſi, quòd con-

fido, perſeveraveritis ſinè crimine in eo, ad quod *vocati eſtis*, ùt *Matth.* 10. & 24. & *ad Rom.* 8. *vocati*, inquam, Dei Patris beneplacito, vocatione quæ eſt ſecundùm propoſitum, in communionem, *ſocietatem* & amicitiam Chriſti Filii ejus: nimirùm effecti participes meritorum ejus, & facti membra corporis, cujus ipſe eſt caput, id eſt, Eccleſiæ. Denique facti fratres ejus, habentes eundem patrem Deum.

℣. 10. *Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti: ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.*

Obteſtatur per nomen Salvatoris tanquam ſacroſanctum & ſuper omnia venerabile, ut ſint inter ſe concordes, idem ſentientes & *non ſint ſchiſmata*: non quibus receditur ab unitate Eccleſiæ Catholicæ, ſed quibus velut ſectæ intra Eccleſiam inducuntur: dum alii aliis ſtudent magiſtris, aut patronis, & eorum nominibus gloriantur: ſed ſint *perfecti* tanquam corpus integrum, & benè compoſitum, eâdem mente, & eâdem voluntate præditi. Integrum enim ſi in multa dividitur, non modò non multa fiunt, ſed unum abſumitur, ait *Chryſ.*

℣. 11. *Significatum eſt enim mihi de vobis fratres mei ab iis, qui ſunt Chloës, quia contentiones ſunt inter vos.*

Chloës nomen eſt oppidi aut vici, vel fœminæ; ſic enim domeſticos *Chloës* Chriſtianæ mulieris apud Corinthios notæ intelligit, ùt ad *Rom. ult.* ex *Chryſoſt.* *Contentiones* ſunt verborum concertationes ubi quiſque vult ſuperare.

℣. 12. *Hoc autem dico, quod unuſquiſque veſtrûm dicit: ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ: ego autem Chriſti.*

q. d. Significatum eſt mihi contentiones eſſe inter vos: id eſt, ut apertè dicam, unumquemque veſtrûm dicere: *Ego ſum Pauli* diſcipulus tanquam melioris magiſtri, &c. Alii *Apollo* viri eloquentis, ideòque ejus comparatione *Paulum* deprimebant. Alii verò, qui fortè Judæi erant, *Cephæ*, videlicet *Petri* ſectatores, tanquam Apoſtoli, circumciſionis. Vel fingit perſonas, & ſub honeſtis nominibus, quales erant *Paulus*, *Apollo*, *Cephas*; tacitè taxat Hæreticos vel Philoſophos, quorum nomina ſibi vendicabant ſeducti Corinthii: ut ait *cap.* 4. quos parcens pudori Corinthiorum nominare noluit, ex *Ambr.* Sunt qui putant, dicentes, *Ego autem Chriſti*, à *Paulo* reprehendi; alii doluiſſe quod non omnes hoc dicerent, erat enim vox unitatis, non ſchiſmatis: quia Chriſtus erat omnium caput.

℣. 13. *Diviſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati eſtis?*

q. d. Num Chriſti Corpus diſſectum eſt in partes? Abſit. *Exo.* 12. *Jo.* 19. nec ejus corpus myſticum, quod eſt Eccleſia, fert ſciſſiones & ſectas. Num *Paulus* ſuâ paſſione vos redemit? minimè. Solius enim hoc *Chriſti* eſt, qui ſolus noſter eſt redemptor, ex *Aug. tract.* 84. *in Joan.* Aut numquid virtute ac merito *Pauli* baptizati eſtis? id eſt, remiſſionem peccatorum in baptiſmo conſecuti? q. d. minimè. Nam & hoc *Chriſto* proprium eſt. *Act.* 2. 8. 10. 19. ex *Chryſoſtom.*

℣. 14. *Gratias ago Deo, quòd neminem veſtrûm baptizavi, niſi Criſpum & Cajum :*

Non quia malum erat baptizaſſe, ſed quoniam eſſe poterat, ac veriſimiliter futurum erat occaſio mali, quo jactarent ſe in *Pauli* nomen baptizatos eſſe, aut tanquam per baptiſmum in ejus nomen aſcripti dicerent, *Ego ſum Pauli. Criſpus* apud Corinthios Judæorum Archiſynagogus. *Act.* 18. *Cajus* hoſpes erat *Pauli*, *Rom. ult.*

℣. 15. *Ne quis dicat quòd in nomine meo baptizati eſtis.*

Ne quis veſtrûm in baptiſmo ſanctificationem aſcribat virtuti ac merito meo: quaſi pro merito baptizantis ſe habeat effectus baptiſmi, ex *Auguſt.* Vel ne quis me calumnietur, & dicat quòd vos baptizando tranſcripſerim in nomen meum, ac de me Paulianos vocari voluerim, tanquam ſanctificatos meo baptiſmo. Hinc docent Theologi Sacramenta non valere nec operari ex opere operantis, ſed ex opere operato, ùt notat *Cornel.*

℣. 16. *Baptizavi autem & Stephanæ domum : ceterùm neſcio ſi quem alium baptizaverim.*

Stephanas vir erat Corinthi fide & charitate celebris, cujus familia cùm dicitur baptizata, colligitur etiam infantes baptizatos fuiſſe, ùt *Act.* 16. Et neminem, vel in univerſum, vel ex Corinthiis à *Paulo*, præter pauciſſimos, baptizatum fuiſſe, ex *Theophylact.*

℣. 17. *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare: non in ſapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti.*

Quâ ergo authoritate baptizavit? Reſp. Chriſtum quando *Paulum* per revelationem Apoſtolum fecit, non ei injunxiſſe miniſterium baptizandi, ſed prædicandi, id eſt, Apoſtolatum ei commiſiſſe: Cui tamen officio, conſequenter etiam baptizandi poteſtas erat injuncta, tanquam officium ſecundarium: ſic Epiſcopi cùm prædicare, & ſacramenta adminiſtrare debeant, quod laborioſius, & principalius eſt, faciant per ſe, ex *Aug.* 3. *cont. lit. Petil.* c. 56. non enim dixit, prohibitus ſum; ſed, non ſum miſſus ad hoc, ut notat *Chryſ.* Tranſit autem latenter ad aliud caput reprehenſionis, eorum ſcilicet qui in prædicando Evangelio affectabant eloquentiam, & ſapientiam ſæcularem, vel eam à ſuis prædicatoribus & magiſtris requirebant: utrumque à ſe removet, & ſermonis apparatum, & ſapientiæ ſæcularis oſtenſionem: ne laude ſuæ virtutis ac potentiæ defraudetur *crux Chriſti.* Qui igitur primùm non indiguit viris eruditis, ſi poſtmodùm eloquentes ſuſcepit, non ideò ſuſcepit quòd his indigeret, ſed quoniam voluit ullam facere differentiam. Quemadmodum non opus fuit ſapientibus ad dirigendam Dei voluntatem: ſic neque qui poſteà inventi ſunt, ejicere oportuit, ait *Chr.*

℣. 18. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem, qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt.*

Hoc eſt. *Verbum crucis*, ſermo de cruce, prædicatio Chriſti crucifixi, ab iis qui pereunt, & non ſunt à Deo electi ad ſalutem, reputatur

velut res ſtulta & ridicula, videlicet ratione rei prædicatæ, id eſt, crucis & crucifixi, quem infra dicit Gentibus eſſe ſtultitiam. Quid enim ſtultiùs ſecundùm ſenſum carnalem, quàm ſalutem expectare ab homine crucifixo? At *nobis*, inquit, qui ſalvamur, eadem prædicatio crucis, utique ratione rei prædicatæ inſtrumentum eſt virtutis ac potentiæ Dei, dum per crucem, quamvis humiliter prædicatam, Deus potenter operatur noſtram ſalutem. Quemadmodum in tribus pueris longè admirabiliùs fuit, quòd ingreſſi in caminum ignis per eum deambularent, quàm ſi nunquam eò ingreſſi eſſent. Et in *Jona* quòd in cete deciderit, & ab eo nihil mali perpeſſus ſit. Sic & in Chriſto majorem attulit admirationem, quòd ligatus cùm ſit, vincat, quòd mortuus mortem ſolvat, quàm ſi mortuus non fuiſſet, ait *Chryſ.*

℣. 19. *Scriptum eſt enim: perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.*

Teſtimonio prophetico excludit ſapientiam ſæcularem à prædicatione Evangelii, ne evacuetur crux Chriſti. In *Hebr.* eſt, *abſcondam & intellectum prudentium reprobabo*, ùt legit *Hier.*

℣. 20. *Ubi ſapiens? Ubi ſcriba? Ubi conquiſitor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi?*

Vulgata verſio, ſic legit, *ubi eſt literatus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum?* Sapientem quidam interpretantur Philoſophum Gentilium, Scribam, Doctorem Judæorum, conquiſitorem ſæculi, non eum qui diſputat de hoc ſæculo, rerumque humanarum ſtudioſus indagator eſt; ſed diſputatorem ſæcularem,

ſeu mundanum, qui videlicet humanâ tantùm ratione, & naturali ingenio de rebus quibuſlibet inquirit & diſputat, quales fuere Philoſophi. Meritò autem abjecta eſt ſapientia mundi ab Evangelii prædicatione, non ſolùm ne evacuaretur virtus crucis; ſed etiam quia multis erat erroribus & vanitatibus permixta, & quoad perſonas ſuperbiæ plena. *Stultam fecit*, græcè, *infatuavit*, inanem oſtendit, & contemptibilem reddidit, non dignatus uti ejus adminiculo ad perſuadendam hominibus veritatem Evangelii, ait *Tertull. ad Marc.* vel infatuatam, id eſt, ſtultitiæ conjunctam, eo quòd non potuerit invenire verum, ait *Theoph.*

℣. 21. *Nam quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.*

Dei ſapientia vel eſt Chriſtus: quo prædicante carnales homines Deum patrem noluerunt agnoſcere: vel meliùs, eſt ſapientia relucens in mundi opificio, metonymicè accepta pro ipſo mundi opificio, omnibus ad contemplandum expoſito. Ut ſenſus ſit. *Nam quia... mundus*, ſeu humanum genus, per *ſapientiam* mundi, id eſt, ſuam, quâ contemplatus eſt creaturas & earum rationes perſcrutatus, *non cognovit.... Deum* in illo ſuo opere ſapientiſſimè condito (quod *Paulus* vocat *Dei ſapientiam*) atque ita quia hæc *Dei ſapientia* nihil *per ſapientiam* mundi contulit hominibus ad ſalutem; *placuit Deo*, id eſt, benigno conſilio viſum eſt, ſeu *boni duxit Deus*, ait *Tertul. L. 5. cont. Marcion. per ſtultitiam prædicationis* ſive per crucem ipſam, rem in ſpecie ſtultam & contemptibilem hominibus prædicatam, operari ſalutem eorum, qui huic prædicationi cre-

derent. Hoc porrò majus eſt (ait *Chryſ. hom. IV. in Ep.* 1. *ad Cor.*) quòd non aliam ſapientiam illâ excellentiorem inducens, per eam, quæ *ſtultitia* videbatur eſſe, ſuperavit. Platonem quippe ejecit, non per alium ſapientiorem philoſophum, ſed per ignarum piſcatorem. Ita enim & major clades fuit & ſplendidior victoria.

℣. 22. *Quoniam & Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt :*

Commendat Apoſtolus virtutem Evangelicæ prædicationis, tam Judæis, quàm Gentibus deſpectæ, ſiquidem (inquit) & *Judæi* ſignis olim aſſueti, *ſigna*, id eſt, miracula exigunt, quibus velut divinis teſtimoniis adducantur ad credendum. Non tamen reprehendit, ſi quis ex juſta cauſa ſignum petat, ùt *Abraham Gen.* 15. *Gedeon. Jud.* 6. *Ezechias* 4. *Reg.* 20. Verùm poſt Moyſen & Prophetas adhuc nolle credere, niſi ſigno viſo, Judaïcum eſt. *Et Græci*, ſolam ſectantes rationem naturalem, requirunt humanam ſapientiam; id eſt, Philoſophicis rationibus, doctè & diſertè propoſitis, perſuaderi volunt. Et ſi quid ratione aſſequi non poſſint, quale eſt myſterium crucis, non reſpiciunt, ſed irrident, ùt *Act.* 17. & 26.

℣. 23. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum : Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam,*

Opponit prædicationem Chriſti crucifixi ſapientiæ ſæculari. Quamvis autem multi ſignis adducti fuerint ad fidem Crucifixi : multò tamen plures ſinè miraculis crediderunt, quod perfectius eſt. Et in eo patet virtus crucis. *Judæis ſcandalum*, id eſt, offendiculum fuit, quia crucis opprobrium Judæos turbavit, ne hominem illum pro Meſſia reciperent. Græcis

verò & Romanis, quibus omnibus, æſtimatione humanæ ſapientiæ quam ſectabantur, mera ſtultitia erat: ſic eos ex contrariis vicit, ùt probat *Chryſ.*

℣. 24. *Ipſis autem vocatis Judæis, atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam*:

Id eſt. Iis qui divinâ prædeſtinatione vocati ſunt ad fidem, ſive Judæi ſint, ſive Græci, utriſque utrumque factus eſt Chriſtus, & virtus, & ſapientia Dei: quia per Chriſtum crucifixum, virtus & ſapientia Dei in electorum ſalute procuranda innoteſcit. Primò, in eo quòd Apoſtòli pauci, piſcatores, pauperes, illiterati, obſcuri, Judæi, toti mundo exoſi, orbem tamen cruci ſubjecerint. Secundò, quòd hoſtes infenſiſſimos, dæmones, peccatum, Reges, Philoſophos, oratores, Græcos, Barbaros, leges, judicia, religiones antiquiſſimas vicerint. Tertiò, quòd non armis, non ſapientiâ, non eloquentiâ perſuaſerint. Quartò, quòd tam brevi tempore per totum orbem. Quintò, quòd liberrimè & fortiſſimè tyrannorum minas & mortes ſuperarint per gratiam Chriſti. Sextò, quòd doctrinam non de Deo glorioſo, ſed crucifixo eoque ſalvatore credendo & adorando, legemque Chriſti, naturæ & carni non gratam, ſed repugnantem perſuaſerint, ùt notat *Chryſoſt.* & *Tertul. l. cont. Jud.*

℣. 25. *Quia quòd ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.*

Id eſt. Stultitia & infirmitas Dei, ſapientior, & fortior eſt hominibus. Hoc eſt, id, quod in Dei conſiliis & operibus *ſtultum* eſſe

videtur, quale eſt per crucem ſalvos facere credentes, id, inquam, *ſapientius eſt* omni humano conſilio, & omni opere, quod homines per ſuam ſapientiam efficere poſſunt. Et infirmitas Dei, ſive quod in Dei operibus *infirmum* eſſe videtur; quale eſt Chriſtum pati, crucifigi, mori, id *fortius eſt* quàm quidquid ab hominibus fieri poteſt: vincit enim Diabolum, & valet ad ſalutem æternam hominibus.

℣. 26. *Videte enim vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles:*

Conſiderate qualis eſt multitudo ad fidem vocatorum, quia inter eos *non multi ſapientes ſecundùm* apparentiam & externam doctrinam, quia ſecundùm Deum ſapientes erant & potentes. Non dicit nemo ſapiens, nemo potens, nemo nobilis: Nam hujuſmodi etiam nonnulli primis illis temporibus ad fidem acceſſerunt, *Nicodemus* princeps Judæorum, *Joſeph* ab Arimathea nobilis decurio, duo Centuriones, *Paulus* proconſul, *Dioniſius* Areopagita, & ipſe *Paulus* ad pedes Gamalielis in lege inſtitutus. Verùm hi comparatione multitudinis credentium, pauciſſimi erant. Nullus autem inter duodecim Apoſtolos ſecundùm ſæculum ſapiens, potens, nobilis: ex *Ambr. lib.* 5. *in Luc.*

℣. 27. *Sed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia:*

Id eſt, eos, qui mundanâ ſapientiâ & potentiâ deſtituti erant, ideòque ſtulti & infir-

mi, & ad docendum alios inepti humano judicio videbantur: quales fuere piſcatores; hos, inquam, elegit Deus ad fidem, non ſolùm ſuſcipiendam, ſed etiam aliis prædicandam, ut pudore afficiat *ſapientes* & potentes ſæculi, dum per illos facit, quod ſapientes & potentes ſæculi non poſſunt.

℣. 28. *Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret:*

Id eſt. Eos, qui ſecundùm ſæculum ignobiles erant & obſcuri, ideòque deſpecti & pro nihilo habiti; Hebraïſmo *non entia*; elegit, ut eos, qui magni ſunt hominum æſtimatione, contemptibiles & obſcuros redderet, & velut ad nihilum redigeret: hoc autem fecit, quando apparuit, quòd nihil conferat ad negotium æternæ ſalutis, nobilitas generis, & quidquid mundus ùt magnum reputat. Vel *ea quæ non ſunt*, appellat eos, qui nihil ſe eſſe putant, ex *Chryſ.*

℣. 29. *Ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.*

Stulta, infirma & ignobilia mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, potentes & nobiles, idque fecit, ut appareret, nulli homini gloriandum eſſe de quibuſcumque bonis, quæ per naturam habentur; gloriandum, inquam, *coram Deo*, id eſt, in iis, quæ hominem Deo commendant, ùt ſunt fides, & opera pietatis: ſed harum rerum gloriam ſoli Deo tribuendam per Chriſtum.

℣. 30. *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio:*

Ex ipſo, ſcilicet Deo, & non ex vobis etiam *vos eſtis*, quidquid eſtis coram Deo, & ab eo habetis quidquid boni, quod ad pietatem pertineat, habetis: idque per *Chriſtum* ipſum. Vel vos eſtis, ex Deo, id eſt, filii Dei, homines Dei eſtis velut ex Deo nati, idque per *Chriſtum*. Vel vos eſtis ex Deo *in Chriſto*, id eſt, per Dei gratiam eſtis Chriſtiani. *Chriſto* incorporati, & beneficiorum ejus participes: cujus merito veram *ſapientiam* habetis *à Deo* authore, *juſtitiam*, *ſanctificationem*, & *redemptionem*.

℣. 31. *Ut quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Non verba, ſed ſenſus *Jerem.* 9. eſt. *Qui* gaudet & *gloriatur*, ſe habere aliquid, unde placet Deo, non id ſuæ ſapientiæ, potentiæ, nobilitati, aut alteri bono naturæ aſcribat, ſed ſoli gratiæ Dei acceptum ferat. Vel *in Domino*, id eſt, Chriſto; id eſt, in nulla alia re gloriandum eſſe, quàm in ea, quam per Chriſtum habemus, qui nobis omnia factus eſt. Non igitur in *Paulo*, vel *Apollo* præceptoribus gloriandum, ex *Anſelm.*

CAPUT II.

Chriſtum & hunc crucifixum Corinthiis prædicat cum virtute Dei.

℣. 1. *Et ego, cùm veniſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium Chriſti.*

ID eſt. Igitur *ego* quoque quaſi unus inter Apoſtolos quando veni *ad vos* teſtis Chriſti, ſcilicet annunciaturus vobis Evangelium quod eſt *teſtimonium Chriſti*, id eſt, de Chriſto, idque juxta legationem mihi injunctam, nullam oſtendi in prædicatione mea, vel eloquentiæ, vel ſapientiæ ſæcularis eminentiam, ſed ſimplici ſermone uſus, ac nullo adjutus adminiculo philoſophiæ humanæ, Chriſtum vobis prædicavi.

℣. 2. *Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.*

Senſus ex Græco eſt: Etenim ſtatueram ita me gerere apud vos, ut nihil aliud ſcire viderer: vel *non judicavi*, id eſt, diſſimulavi apud vos, me quidquam ſcire, quàm *Chriſtum crucifixum:* non quòd nihil aliud apud Corinthios docuiſſet; nam & alios articulos fidei docuit, & doctrinam ad mores vitæ Chriſtianæ pertinentem diligenter inculcavit: ùt ait *Aug. lib. de fide & op.* c. 10. Sed à ſua prædicatione quâ apud illos uſus eſt, primùm removet ſermonis ornatum, cum admixta ſapientia ſæcu-

lari: deinde etiam ſubllimiorem & ſecretiorem Chriſtianæ religionis doctrinam, quam infrà nuncupat ſapientiam; quòd ejus nondum capaces eſſent Corinthii, quibus proinde fidei rudimenta tantùm erant initio tradenda, quæ rudimenta vocat *Jeſum Chriſtum*, & *hunc crucifixum*. Ex *Bern. ſerm. ad mil. templi* c. 6.

℣. 3. *Et ego in infirmitate*, *& timore*, *& tremore multo fui apud vos.*

Infirmitas quæ ſanitati opponitur, vel potentiæ. Vel pro perſecutione & periculis, quæ Corinthi paſſus eſt: vel pro humilitate converſationis intelligitur: ùt 2. *Cor.* 10. & *Gal.* 4. Ut ſit ſenſus. Quando prædicavi vobis Evangelium, non ſolùm uſus ſum humili ſermone, nihil admiſcens ſapientiæ ſæcularis: ſed etiam humiliter admodùm me geſſi, manibus laborans, nec utens poteſtate, quam Dominus mihi dedit, & inter hæc ſolicitus (id enim ſignificat *cum timore*, *& tremore multo*) ne quid committerem verbo aut facto, quo vos offenſi reſiliretis à fide ſuſcepta, ita *Eſtius*.

℣. 4. *Et ſermo meus*, *& prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis*, *ſed in oſtenſione ſpiritûs*, *& virtutis:*

Id eſt, non exquiſitus ad perſuadendum verbis, non humanæ philoſophiæ, & eloquentiæ præſidio armatus, ſed Spiritum Dei præ me ferens, declaratum per miracula, velut certa teſtimonia veritatis eorum, quæ prædico.

℣. 5. *Ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum*, *ſed in virtute Dei.*

Ut fides veſtra non aſcribatur humanæ ſapientiæ, aut eloquentiæ, ſed omnes agnoſcant, ſolius divinæ virtutis eſſe illud opus.

℣. 6. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos : ſapientiàm verò non hujus ſæculi, neque principum hujus ſæculi, qui deſtruuntur :*

Nunc uſque ad finem capitis docet, reconditorum ſapientiæ divinæ notitiam ſibi non deeſſe, ſe tamen eam non promiſcuè proferre apud omnes; ſed ſolùm apud perfectos & ſpirituales, quos carnalibus opponit; ùt *Hebr.* 5. ſapientia autem quam *inter perfectos* loquitur, ſunt altiora noſtræ religionis myſteria; cujuſmodi ſunt, quæ *Paulus* tradit *in Epiſtolis*, *ad Rom. Epheſ.* & *Coloſſ.* de electione & reprobatione divina, de vocatione Gentium : *ad Th ſſ.* de Antichriſto : *ad Hebr.* de ſacerdotio Chriſti. Hæc enim vel non ſtatim tradebantur rudibus, vel ſummariè tantùm : reſervabantur autem tradenda, vel profundiùs explicanda iis qui jam in Chriſto erant provectiores, hanc necdum habebat *Petrus* ſapientiam, nec diſcipuli. *Matth.* 16. *Joan.* 16. ex *Auguſt. tract.* 96. 97. 98. Apoſtoli eadem trádebant majoribus & parvulis, perfectis & imperfectis : ſed eâ curâ adhibitâ, ut pro ſua quibuſque capacitate ea proponerent, parvulis quidem ùt potum lactis, quem libenter & facilè ſugant, majoribus autem ùt ſolidum cibum, explicando rationes, ordinem, modum, aliaſque circumſtantias eorum, quæ credenda ſunt, quod eſt ſapientiam *loqui int r p rfectos* : ſic *Hugo Vict. q.* 16. *Principes hujus ſæculi*, ſunt reges ac principes terræ, à quibus procedit ſapientia legum humanarum : vel dæmones, à quibus eſt ſapientia ſuperſtitioſarum artium : vel philoſophi, qui quaſi principes ſe exhibuerunt in docendo, à quibus promanavit tota humana philoſophia, ex *S. Thom.* Vel philoſophi & oratores, vel

Herodes & Pilatus: vel Pontifices Judæorum & Phariſæi authores crucifixionis Chriſti, *Act.* 4. *Qui* Principes; id eſt, dæmones *deſtruuntur*, ſive abolentur per Chriſtum, 1. *Joan.* 3. Deſtruuntur ergo, quia poteſtas eorum deſtruitur. *Joan.* 12.

℣. 7. *Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram,*

Sapientiam Dei quæ abſcondita eſt, ſeu conſilia divinæ ſapientiæ, quæ Deus eſſe voluit abſcondita, & ante filii ſui paſſionem pauciſſimis revelata, ùt *Epheſ.* 3. ex *Chryſ. Loquimur* & docemus non propalàm & paſſim apud omnes, quia non omnes ea capiunt, ſed *in myſterio*, id eſt, ſecreto, & apud pauciores, ſcilicet eos qui ſpirituales & perfecti ſunt. *Velloquimur Dei ſapientiam* latentem *in myſterio*, id eſt, *abſconditam:* quod neque Angelus, neque Archangelus, neque alia creata potentia id noverit priuſquam fieret, ùt *Epheſ.* 3. ex *Chryſ.* quod *prædeſtinavit Deus* ab æterno, & decrevit exequendum in tempore, ut nos adduceret ad gloriam adoptionis filiorum.

℣. 8. *Quam nemo principum hujus ſæculi cognovit: ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*

Quam vel *gloriam*, vel *ſapientiam*. Vult enim dicere ſapientiam Dei, quâ deſtruuntur principes hujus ſæculi, fuiſſe illis ignotam. Ut ſenſus ſit. Quam Dei ſapientiam, id eſt, quæ divinæ ſapientiæ conſilio ab æterno decreta, nullus *principum hujus ſæculi*, id eſt, dæmonum cognovit, antequam ea Deus exequeretur: tunc enim per experientiam illa noſſe cœ-

perunt, alioqui conſilium illud ſapientiæ Dei, quo per mortem Filii ſui, & contumeliam crucis, ſalutem procuravit humani generis, & diaboli regnum evertit, res fuit dæmonibus antea prorsus ignota, & inopinata; ex *Chryſ.* Porrò dæmon vocatur *princeps hujus mundi*, *Joan.* 12. & *Deus hujus ſæculi*, 1. *Cor.* 4. & *mundi rector*, *Epheſ.* 6. propter poteſtatem, quam in homines peccato corruptos, & in hæc inferiora quæ uſibus hominum ſerviunt, juſto Dei judicio accepit. *Quam* ſapientiam ſi cognoviſſent, nequaquam Chriſtum, qui eſt *Dominus gloriæ*, crucifigendum curaſſent; nunquam Judæos ad ejus necem inſtigaſſent; quia nunquam id agere voluiſſent, per quod ſcirent, humani generis ſalutem provehendam eſſe, & ſuum regnum deſtruendum. Chriſtus verò dicitur *Dominus gloriæ*; quia virtute ſuæ divinitatis potens eſt glorificare Sanctos ſuos, *Rom.* 8. Vel quia Deus eſt glorioſus & rex gloriæ: vel quia per crucem erat ad gloriam evehendus: vel quia eſt princeps, author, & conſummator glorificationis ſuorum electorum, idque per crucem & mortem ſuam; ex *Chryſoſt.*

℣. 9. ***Sed ſicut ſcriptum eſt: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum:***

Apud *Iſa.* 64. Aſcendere *in cor* eſt venire in mentem, in cogitationem, *Diligentibus ſe* legit *Hieron.* Supplendum ex ſuperioribus: *Sed loquimur*, quæ nec *oculis* hominum viſa, nec *auribus* audita, nec animo cogitata fuerunt, nimirùm ea *quæ præparavit* ac prædeſtinavit *Deus diligentibus* & expectantibus ſe. Ea ſunt ſalus & gloria adoptionis atque æternæ feli-

citatis, tam mirabili ordine ſapientiæ divinæ procuranda. Ab hac cognitione etiam Angeli boni, excluduntur: nam Propheta dicit, *Deus abſque te*, id eſt, te ſolo excepto. Huc faciunt Apoſtoli verba ad *Epheſ.* 3. *ut innoteſcat principatibus & poteſtatibus* &c. & 1. *Tim.* 3. *Apparuit angelis.* Hæc enim ſignificant priùs angelos latuiſſe hujuſmodi myſteria quæ non niſi, Deo revelante, noſcere potuerunt. Dices, non latuit Prophetas. Verùm, ſed & illi cognoverunt Deo revelante. Revelavit autem, ante adventum filii ſui in carnem, tum Angelis, tum paucis hominibus amicis ſuis, quantùm pro tempore judicabat convenire, plùs minùſve, ita tamen ut perfectior ac plenior revelatio ſervaretur tempori manifeſtandæ gratiæ Salvatoris. *Præparavit*, id eſt, prædeſtinavit, *diligentibus Deum* & *expectantibus*, id eſt, ſperantibus in eum. Nam etſi prædeſtinatio ad gloriam gratuita ſit, quatenùs gloria ſpectatur ùt finis, tamen eadem gloria præparatur tanquam merces, diligentibus promiſſa.

℣. 10. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.*

Ne quis dicat. Quomodo ergo vos illa loqui poteſtis, ſi nec in mentem venire potuerunt? Deus (inquit) revelavit *nobis*, non omnibus fidelibus, ſed Apoſtolis, qui eadem myſteria aliis tradamus, ùt *Joan.* 14. *Scrutatur* autem *Spiritus* Dei in nobis, id eſt, ſcutari nos facit, quomodo clamat, gemit, poſtulat in nobis, *Roman.* 8. & *Gal.* 4. ut ſit ſenſus. *Spiritus* Dei facit nos intellectu penetrare etiam ad occulta & à ſæculo abſcondita Dei conſilia. *Omnia*, quæ voluit Deus ſciri ab hominibus. Vel *omnia* ſimpliciter perſpecta habere. Et hinc colligunt, Spiritum ſanctum eſſe Deum.

℣. 11. *Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.*

Infert *Spiritum Dei*, non tantùm noſſe, ſed etiam ſolùm noſſe Dei arcana, ne quis putet aliunde quàm à Dei Spiritu comparari poſſe notitiam myſteriorum, de quibus hìc agitur. Vel ſic intelligitur. Nullum hominem ſcire quæcumque *ſunt hominis*, id eſt, omnia ejus cogitata & conſilia, niſi ipſum hominem, qui ea verſat in corde ſuo. *Ita & quæ Dei ſunt*, id eſt, cogitationes & conſilia Dei, in quibus ſunt quæ dixit, *profunda Dei. Nemo cognovit niſi ſpiritus Dei*; ſubintellige, *& cui Spiritus Dei revelare voluerit*; ne cui in mentem veniat cœlicolas preces noſtras non cognoſcere, ſi ſolâ mente fiant, ùt *Matth.* 11. Non excluditur Filius, cùm ipſe dicat: *omnia quæcumque habet pater, mea ſunt*, & de Spiritu ſancto, *quia de meo accipiet* Joan. 16.

℣. 12. *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis:*

Ne quis dicat: Si ſolus Dei Spiritus novit quæ Dei ſunt, quomodo vos ea noviſtis? reſpondet & quod jam ante dixerat, *non Spiritum hujus mundi accepimus*, id eſt, non ſumus inſtituti ſapientiâ mundanâ & ſæculari, ut ſciamus quæ ſunt hujus ſæculi, ſed accepimus *Spiritum qui ex Deo eſt*, id eſt, *Spiritum Dei*. Loquitur ùt ſuprà in perſona Apoſtolorum, qui non fuerunt imbuti ſapientiâ hujus mundi, ſed repleti Spiritu ſancto: ùt eo revelante ſciamus myſteria divina perti-

ſcientia ad redemptionem, juſtitiam, ſalutem & gloriam electorum: *quæ* omnia gratìs illis *donata ſunt* ab æterno per prædeſtinationem: quæ paulò antè dixerat à Deo præparata iis qui diligunt ipſum. Malè hinc inferunt hæretici, unumquemque fidelium ſcire, & certum eſſe, habere ſe dona Dei. Nam primùm non de omnibus fidelibus loquitur, ſed de Apoſtolis: Nec de ſingulis Dei donis, quæ unicuique inſunt, ſed de myſteriis, arcano divinæ ſapientiæ conſilio præparatis, & exhibitis, atque exhibendis ſocietati electorum in genere, ex *Eſtio.*

℣. 13. *Quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritûs, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.*

Id eſt. Eloquimur myſteria nobis per Spiritum Dei revelata, non utentes verbis arte compoſitis, nec humanâ ſapientiâ. Sed *docti ſpiritu*, ùt legit *Auguſt. l.* 14. *de civit.* cap. 4. & *Ep.* 150. vel *doctis ſpiritu.* Sed utentes oratione, qualem decet ac ſuggerit Spiritus ſanctus, ùt *Joan.* 6. Et ùt qui docent humanam ſapientiam, utuntur ſermone ſecundùm artem humanam compoſito: ita nos qui tradimus myſteria ſapientiæ divinæ, ſermonem noſtrum materiæ accommodamus; rebus ſpiritualibus docendis adhibentes eloquentiam item *ſpiritualem*: ſimilitudines quoque & exempla proferentes à rebus divinis, hæc *Chryſ.* Vel *ſpiritualibus* viris *ſpiritualia* adaptantes, id eſt, tanquam illis apta tradentes. Nam *ſpiritualibus ſpiritualia* conveniunt, ex *S. Thom.*

℣. 14. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritûs Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur.*

Animalis dicitur vel qui ſectatur deſidéria carnis; vel qui, etſi credat in Chriſtum & juſtificatus ſit, tamen præ mentis imbecillitate non recipit altiora myſteria fidei, quòd ægrè ſupra ea quæ ſenſibus percipiuntur, aſſurgat. Et hoc modo loquitur nunc de animali homine, quod liquet ex eo, quòd illos, quos hìc *animales* vocat, *cap. ſequenti* dicat *parvulos in Chriſto* & *Heb.* 5. *imbecilles ad audiendum.* &c. Ex adverſo, quos hoc cap. *Spirituales* vocat, aliis locis, dicit, *perfectos*, *ſolidi cibi capaces*, *Magiſtros*, *exercitatos habentes ſenſus ad diſcretionem boni ac mali* &c. *Hebr.* 5. *Gal.* 6. *Phil.* 3. Hoc modo *Animalis* adhuc erat *Petrus Matth.* 16. tales Diſcipuli ante acceptum Spiritum ſanctum: tales Corinthii multi. Unde conſtat, non omnes animales impios eſſe aut injuſtos: nec omnes juſtos *ſpirituales*: ex *Orig. hom.* 2. *ſup. Levit.* & *Auguſt. lib.* 1. *de bapt.* cap. 15. & *in Pſ.* 103. & 12. *de tract.* cap. 27. & *Bern. de vita ſol. Stultitia enim eſt illi*, non quia ineſt ei *ſtultitia*: ſed quia quæ ſunt ſpiritûs Dei, *ſtultitia* ſunt *illi* homini: non dicit verbum crucis, aut Chriſtum crucifixum animali homini eſſe ſtultitiam: ſed *ea quæ ſunt ſpiritûs Dei*, id eſt, ſublimiora divini ſpiritûs myſteria, quæ inter *perfectos & ſpirituales*, loquitur *Paulus*. Hæc animali homini, quamvis jam in Chriſtum crucifixum credenti, ſtultitia dicuntur eſſe, quia in illis non poteſt conſpicere ordinem ſapientiæ divinæ: ſed magis ea apprehendit ùt ſenſui & rationi contraria. Velut ſi imperito dicas, ſolem totâ terrâ plus

centuplo majorem eſſe : aut Lunam Sole minorem bis millies, & eo ampliùs, ridebit te : ſic tacenda ſecretiora myſteria : ex *Aug.* l. *de vera rel.* cap. 28. quia illa *ſpiritualiter examinantur* : id eſt, ſpirituali intellectu, examinanda, diſcutienda, ac dijudicanda ſunt; ad quam rem *animalis homo* ob imbecillitatem mentis ad ſenſibilia depreſſæ, non eſt idoneus. Vel quia revocatur ad intellectum ſpiritualem & ſublimem, cùm ipſe ſit animalis & tanquam parvulus in Chriſto, lacte nutriendus, non ſolido cibo : ex *Chryſ.* & *S. Thom.*

℣. 15. *Spiritualis autem judicat omnia : & ipſe à nemine judicatur.*

Spiritualis, ſeu perfectus, qui pro ſua conſuetudine mentem habet exercitatam in divinis, utpote jam adultus, & provectus in vita ſpirituali, idoneus eſt ab bene judicandum, non ſolùm de rebus ſenſibilibus atque terrenis, quod ſolùm poteſt animalis ; ſed etiam de ſpiritualibus, id eſt, altioribus ac difficilioribus religionis noſtræ myſteriis, quæ à Chriſto cœleſtia dicuntur, *Joan.* 3. *Spiritualis autem omnia judicat*, quæ ſunt judicanda, quia ſuper omnia eſt, quando cum Deo eſt. Cum illo autem eſt, quando puriſſimè intelligit, & totâ charitate, quod intelligit, diligit, ait *Auguſt.* l. *de ver. rel.* cap. 31. Hinc malè inferunt hæretici, omnem fidelem poſſe de controverſiis religionis judicare, quia *Paulus* de ſolo ſpirituali loquitur, & quia non eſt hìc ſermo de judicio poteſtatis, ſed diſcretionis. Et quia non ſentit ſpiritualem judicare omnia abſolutè, ſed omnia ſenſu jam dicto ; quia non ſolùm de terrenis benè judicare poteſt, ſed etiam de cœleſtibus, ac ſublimibus. Proùt autem quiſque magis eſt ſpiritualis, eo certiùs ac meliùs

de pluribus poterit judicare. *Et ipſe* à nullo alio, qui videlicet non ſit ſpiritualis, *judicatur.* Nam ùt qui videt, & ſua videt, & ea quæ ſunt non videntis. Non videns verò, nec ſua, nec quæ videntis ſunt, videt, ait *Chryſ.* & *Theop.* Alioqui ſpiritualem à ſpirituali judicari nihil vetat, ùt *Petrum* à *Paulo*, *Gal.* 2. Nec ſequitur, ſpiritualem non judicari à lege, nam lex ſpiritualis eſt, *Rom.* 7. Aut principem, vel prælatum animarum non judicare ſpiritualem, quia non agitur de judicio publicæ poteſtatis, quod eſt principum & prælatorum. Et cùm Eccleſia ſit maximè ſpiritualis, convenientiſſimè ſupremam habet judicandi poteſtatem de iis, quæ ſpectant ad fidem & religionem, ex *Eſtio.*

℣. 16. ***Quis enim cognovit ſenſum Domini, qui inſtruat eum? Nos autem ſenſum Chriſti habemus.***

Hæc *Iſa.* 40. Interrogatione probat non *animales* ſed *ſpirituales*, cujuſmodi in primis erant Apoſtoli, noſſe ea quæ ſunt Spiritûs Dei: ac de iis poſſe judicare, eademque aliis tradere; quia mentem Domini ex revelatione Spiritûs ſancti perceperunt; ex *Chryſ.* Hoc quoque propriè in Eccleſiam competit.

CAPUT III.

Non in præceptoribus, ſed in Deo gloriandum. Nec aliud eſſe fundamentum præter Chriſtum.

℣. 1. *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tamquam parvulis in Chriſto,*

REdit ad id quod cœperat *cap.* 1. Et negat apud Corinthios quando eis Evangelium prædicavit, ſe potuiſſe loqui, ſeu tradere doctrinam *ſpiritualibus* ac perfectis accommodatum, eo quod non ſpirituales, ſed carnales, ſeu animales eſſent, ideòque paſcendi doctrinâ quæ *carnalibus* eſſet apta: id eſt, non quæ carnalis, ſed quæ minùs ſpiritualis eſſet, quàm ea quæ ſpiritualibus convenit. *Carnales* autem, ut mitiget improperium, exponit *parvulos in Chriſto*; ac ſi dicat incipientes, ac novitios in iis, quæ ſunt religionis Chriſtianæ. Carnales verò ſunt; Primò, in quibus caro pugnat adverſùs ſpiritum, ſed reſiſtunt. Secundò, qui carnis deſideria ſequuntur. Tertiò, qui etſi ſecundùm carnem non vivant, tamen in multis adhuc carnaliter ſapiunt, non percipientes, quæ ſunt ſpiritûs Dei: quos hic vocat *parvulos*: ex *S. Thom.*

℣. 2. *Lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis: ſed nec nunc quidem poteſtis: adbuc enim carnales eſtis.*

Id eſt. Humiliorem ac ſimpliciorem doctrinam, quam velut infantes in Chriſto faciliùs caperetis, vobis tradidi, ùt cap. 6. & *Hebr.* 5. 1. *Theſſ.* 2. Ob hanc charitatem, quâ *parvulos in Chriſto* nùtravit lacte, quando occiſus eſt, lac pro ſanguine manavit, ex *Ambr. ſerm.* 68. & *Chryſ. ſerm. in princ. Apoſtol. Non eſcam*, non ſolidum cibum; non ſublimiorem doctrinam: quia ferre non poterant, eo quòd *carnales* eſſent. In quo notat vitium affectûs ad ea quæ carnis ſunt; & cùm dicit animales, imbecillitatem mentis ac judicii ſignificat. Sicut autem animalitas quæ in mente eſt, in affectum redundat: ita viciſſim carnalitas affectum occupans, menti coaleſcit, ineptam reddens ad ſpiritualia capienda. Quod indicat, cùm ait, eos ferre non poſſe.

℣. 3. *Cùm enim ſit inter vos zelus, & contentio: nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?*

Id eſt. Cùm ſint inter vos æmulationes, contentiones, factiones, ſeu ſtudia partium, an non meritò dixi vos *carnales*? Sunt enim hæc carnis opera, *Gal.* 5. In Apoſtolis ſimilis infirmitas fuit ante acceptum Spiritum ſanctum. *Hominem* nondùm renovatum Deo opponit, ùt *Matth.* 16. ℣. 23. Igitur *Secundùm hominem ambulare*, eſt affectus humanos in vita & actionibus oſtendere.

℣. 4. *Cùm enim quis dicat : ego quidem ſum Pauli : alius autem : ego Apollo : nonne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo? Quid verò Paulus?*

In Græco & Syriaco non eſt *homines*, ſed *carnales*; res eadem eſt : Nam iidem intelliguntur homines & carnales, id eſt, affectibus humanis & carnalibus obnoxii. Ut medeatur Apoſtolus contentioni, quam Corinthii habebant propter magiſtros, explicat ipſorum magiſtrorum conditionem, & quo loco habendi ſint, docet, ne plus eis, quàm neceſſe eſt tribuant.

℣. 5. *Miniſtri ejus, cui credidiſtis, & unicuique ſicut Dominus dedit.*

Id eſt. *Paulus* & *Apollo* magiſtri veſtri, propter quos contenditis, quid aliud ſunt quàm *miniſtri* Dei, quorum operâ vobis prædicatum eſt Evangelium Chriſti, in quem credidiſtis & qui diverſa habent miniſteria proùt eorum *Dominus* cuique *dedit* : ſicque removet ab eis virtutem ſanctificandi interiùs, quæ ſoli Deo ac Domino convenit. Removet & meritum, quale convenit Chriſto homini : & extenuat gloriam, ut per hoc, à contentione pro eis ſuſcepta, Corinthios revocet.

℣. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit : ſed Deus incrementum dedit.*

Plantare eſt doctrinam de Chriſto tradere iis, qui eum antè non noverant. Quod muneris eſt Apoſtolici; quod *Paulus* fecerat Corinthi. *Rigare* eſt doctrinæ jam plantatæ & fundatæ, ſuperaddere præcepta, quibus illa conſervetur & augeatur; idque apud Corinthios *Apollo* fecerat, *Act.* 18. Et *Deus* effecit ut id, quod plantatum eſt & rigatum, germinet, creſcat, & fructum faciat.

℣. 7. *Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed, qui incrementum dat, Deus.*

Dixerat ſe & *Apollo* non aliud eſſe, quàm miniſtros, quorum operâ crediderant Corinthii: nunc adhuc ampliùs ſeſe demittit, dum ſub nomine plantantis & rigantis nihil ſeipſos eſſe ſignificat: ut vel hâc ratione perſuaſi deſinant contendere pro ſuis doctoribus. Quòd ſi de prædicatoribus Evangelii dicit, quantò veriùs dicat, neque qui baptizat eſt aliquid? Nam multò minor eſt opera baptizantis, quàm docentis. Unde ſi propter Evangelium ſibi à *Paulo*, vel *Apollo* prædicatum, nemo dicere debuit, *Ego ſum Pauli*; *Ego Apollo*: quantò minùs propter baptiſmum miniſtratum? Si quæras: An ſolus Deus det incrementum. Reſp. ſolus quidem in naturalibus cum excluſione hominis cultoris, non tamen ipſius naturæ; ſolus autem in ſpiritualibus & gratuitis, de quibus intendit loqui Apoſtolus, cum excluſione cujuſcumque cauſæ creatæ: ex *S. Thom.* & *Auguſt. cont. Petil.*

℣. 8. *Qui autem plantat, & qui rigat, unum ſunt. Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.*

Id eſt, ambo non aliud quàm miniſtri, & quidem unius Domini miniſtri, & eodem ſpectantes, nempè ad incrementum expectandum à Deo. Cùm ergo *ſint unum*, non vos debetis propter eos dividi in factiones. Quòd ſi aliqua diſparitas inter ipſos eſt, quæ reddat alium alio præſtantiorem ac digniorem: hæc res non à vobis dijudicanda, ſed Dei judicio relinquenda eſt, à quo *quiſque* pro ratione, ac merito

ſui laboris ſuam, & *propriam* recipiet *mercedem*. Non dicit ſecundùm fructum ſui laboris, *ſed ſecundùm ſuum laborem*: nam fructus laboris non eſt in poteſtate miniſtri: ſed ſolius Dei dantis incrementum. Quare etiamſi fortè nullus ex miniſterio fructus ſequatur, plenam mercedem accipiet miniſter, ex *Matth.* 10. & *Chryſ. ſerm.* 2. *de Lazaro.* Quod intellige de præmio eſſentiali. Nam accidentale non æquale eſt: Si quidem non omnium æqualis eſt labor, ùt notat *Eſtius.* Hinc etiam colligitur contra hæreticos, bona juſtorum opera (quæ Dei dona ſunt) mereri vitam æternam.

℣. 9. *Dei enim ſumus adjutores: Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis.*

Græcè, *coöperatores*, vel *operis adjutores*, vel *operis participes*, vel *Dei adminiſtri*, quæ hic idem ſignificant, quamvis, propriè loquendo, nemo Dei *adjutor* eſſe poſſit, ùt innuit *Iſaïas* c. 40. *Quis adjuvit ſpiritum Domini?* Igitur magis propriè vox græca hic verteretur, *coöperatores*; ùt fit *Phil.* 2. ℣. 25. & 3. *Epiſt. Joan.* ℣. 8. & 1. *Mach.* 12. & *Marc.* 16. Probat autem Apoſtolus hâc parte non id, quod proximè præceſſit, *unuſquiſque autem*, &c. ſed quod dixerat, *qui plantat, & qui rigat, unum ſunt:* quia Dei coöperatores ſunt, ad unum & eundem ſcopum, id eſt, ad fructum Evangelii: Qua in re tanquam miniſtri, Deo velut agri colendi Domino, qui ſolus poteſt incrementum dare, ſubſerviunt: nam hoc ſequitur. *Dei agricultura eſtis*, ita *Greg.* l. 17. *moral.* c. 11. Vel ex hoc ſignificatur miniſtros Evangelii, quamvis ſalutis non ſint authores, ſed tantùm adminiſtri, non eſſe contemnendos, quòd non parvæ ſit dignitatis Deo coöperari ad hominum ſalutem: ita *Dionyſius* ait, citante *Car-*

thuſiano, & *Theodor*. Græcè, *agricolatio*, ùt *ædificatio* pro ædificio poſita eſt. Quos enim hìc dicit ædificationem Dei, inferiùs vocat templum Dei. Et ſenſus eſt. Nos quidem plantando & rigando, Dei ſumus coöperarii: vos autem ager Dei eſtis, ad quem excolendum Deus ſibi nos adhibuit operarios. Sed & ædificium eſtis, ad quod ædificandum Deus nos operarios conſtituit.

℣. 10. *Secundùm gratiam Dei, quæ data eſt mihi, ut ſapiens architectus fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat. Unuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet.*

Quia Apoſtolici muneris erat novas fundare Eccleſias, ubi Chriſtús non fuerat prædicatus; ideo *ſecundùm* eam *gratiam* dicit ſe ùt ſapientem, id eſt, doctum & peritum architectum, poſuiſſe *fundamentum* ædificii ſpiritualis apud Corinthios, ſcilicet Chriſtum Jeſum, vel fidem, quæ per dilectionem operatur. *Superædificans* eſt, qui fundamento acceptæ fidei in Chriſtum proprias ſuperſtruit actiones, bonas vel malas, ex *Hier*. l. *cont. Jovin*. c. 2. & *Auguſt*. *Enchir*. 68. Vel is qui fundamento fidei per Apoſtolum collato ſuperaddit præcepta, tam fidei quàm morum, quibus in Chriſtiana vita fideles confirmentur, atque proficiant, quod *Apollo* fecit apud Corinthios, ùt diximus: ita *S. Thom*. Et alia, quæ hoc loco ſequuntur, oſtendunt, eum de doctoribus loqui. Igitur conſtitutum ſit, quod hìc dicitur, *Alius autem ſuperædificat*, cum iis quæ ſequuntur, non de fidelibus universè, ſed de ſolis magiſtris, ſeu prædicatoribus accipiendum eſſe: quorum ſcilicet eſt, docere fideles ea, quæ ſunt Chriſtianæ veritatis, ac pietatis. Et quia multi erant doctores

Corinthiorum, generatim eos monet, ut quiſque diligenter attendat *quomodo ſuperædificet*, id eſt, qualem doctrinam fidei in fundamento poſitæ ſuperaddat: ne fortè ex ſæculari Philoſophia qui videbantur inſtructi, vel ex opinione privata admiſceant aliqua diſſentanea veritati & ſimplicitati Chriſtianæ.

℣. 11. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.*

Varia quidem eſt ſuperædificatio, ſed *nemo* poteſt diverſum ab eo, quod à me poſitum eſt, collocare *fundamentum, quod eſt Chriſtus* à me enunciatus, & à vobis receptus fide: itaque res eodem redit, ſive Chriſtus ipſe fundamentum dicatur, ſive doctrina de Chriſto, ſive fides in Chriſtum. Apoſtoli & prophetæ dicuntur ſecundaria fundamenta non in unoquoque fideli, ſed reſpectu totius Eccleſiæ, tanquam unius templi. Conglutinemur igitur Chriſto, & conglutinemur per opera. Ipſe enim caput, nos corpus; ipſe fundamentum, nos ædificium; ipſe vitis nos palmites; ipſe ſponſus, nos ſponſa; ipſe paſtor, nos oves; via ille, nos vitatores: nos item templum, ille inhabitator: ipſe primogenitus, nos fratres; ipſe lux, nos illuminati, ait *Chryſ.*

℣. 12. *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam,*

Per *aurum, argentum, lapides pretioſos, Chryſ., Theod.*, aliique Græci intelligunt bona opera; per *ligna* verò, *fœnum ſtipulam*, mala opera æterno igne punienda: ſed huic intellectui obſtat ℣. 15. *Ambroſiaſter* vult per *aurum* &c. ſignificari doctrinam catholicam; per *ligna*

&c. prava & hæretica dogmata. Quæ expoſitio magis ſcopo Apoſtoli repugnat, quia hæretica dogmata non poſſunt ſuperædificari *ſuper fundamentum* de quo agit Apoſtolus; & quomodo talis ſuperædificans *ſalvus erit quaſi per ignem*? ℣. 15. Ut dicitur rectiùs *S. Aug.* l. *de fid* c. 16. & *Enchir.* c. 68. & *in Pſalm.* 37. & 80. & *Greg.* l. 4. *Dial.* cap. 39. interpretantur *aurum* &c. eſſe opera bona; *ligna* verò inordinatos affectus ad res terrenas & in univerſum venialia peccata, & ùt *Aug.* loquitur, amorem rerum temporalium, quæ Chriſto tamen non præponantur. Verùmtamen quia *ſuperædificantes* oſtendimus ex Apoſtoli mente, non omnes fideles intelligi debere, ſed ſolos Doctores; idcircò expoſitio hujus loci ad doctrinam contrahenda eſt, quæ fundamento ſanæ ac rectæ fidei ſuperſtruitur, ut per *aurum*, *argentum*, *lapides pretioſos* intelligatur doctrina pura, ſincera, ſolida, ad pietatem conducens, & pertinens ad ornamentum Eccleſiæ; *per ligna verò, fœnum & ſtipulam*, doctrina non quidem hæretica, aut pernitioſa (talis enim fundamentum deſtrueret) ſed minùs ſincera, minùſque ſolida, veluti ſi ſit humanis ac Philoſophicis, aut etiam Judaïcis opinionibus admixta plus ſatis: ſi curioſa magis quàm utilis: ſi vanâ quadam oblectatione mentes occupans Chriſtianas, ùt contingit illis qui plùs æquo ſtudent ornatui ſermonis. Et qui ſpecie pietatis invehunt novas opiniones, quæ ſunt ſemina contentionum, qui dubia & incerta pro certis: & qui veram & utilem doctrinam tradunt, non tamen eâ intentione quâ debent: cum iis deputabuntur, qui *ligna*, *fœnum*, *ſtipulam*, fundamento ſuperſtruunt. Qui prioris doctrinæ genus ſuperædificant, magnum ſibi meritum apud Deum comparant, quod utique per ma-

teriam pretioſam, & quæ vim ignis ſuſtineat, ſignificatur. Qui verò poſterioris, non ſolùm à magno merito ſunt remoti, ſed etiam taliter docendo, multa ſibi peccata accumulant, per materiam vilem, & cremabilem ſignificata, & igne conſumenda: ſic *S.Thom. Herv. Lyr. Cart.*

℣. 13. *Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.*

Non malè, doctrina quamvis divina vocatur opus hominis. Verè enim eſt opus hominis, in quantum traditur hominis miniſterio, licèt in ſe conſiderata ſit verbum Dei, ùt de doctrina plantantis, & rigantis ſuprà diximus. *Dies Domini*, vel eſt tempus adverſitatis in hoc ſæculo, cùm auferuntur homini illa quæ diligit. Nam ea res probat ac diſcernit bonos à malis, *Eccleſ.* 27. *Iſa.* 13. *Jerem.* 46. *Ezech.* 30. ita *Aug.* & *Greg.* Vel eſt tempus judicii divini poſt hanc vitam, ſive judicii particularis, ùt *Lyran.* ſive generalis, ùt *Chryſ.* Pro particulari judicio facit, quòd purgatio non fiet in ultimo judicio: ſed nunc jam agitur circa animas mortuorum. At pro judicio generali majora ſunt argumenta, quia per *diem Domini* tempus futuri ſæculi ſignificatur in Scripturis, ùt in *hac epiſt. cap.* 1. *Phil.* 1. 2. *Tim.* 4. *Luc.* 10. 2. *Pet.* 3. Per *ignem* tribulatio hujus vitæ intelligitur, ex *Auguſt.* & *Gregor.* & *Pſalm.* 65. Vel gehenna. At hic ignis non probat opus, ſed punit. Vel purgatorium, ex *Conc. Flor.* At non uniuſcujuſque opus purgat, ſed punit mala opera bonorum. Vel ignis raptûs & conflagrationis, quo præcedente, vel comitante Dominus venturus eſt ad judicium. At hic ignis non erit communis bonis & malis, ſed tantùm uſturus eſt inimicos

Dei, *Pſal.* 96. Quidam exiſtimant, Apoſtolum non unâ ſignificatione accipere *ignem*, quem ter nominat in hoc contextu: nam primo loco conflagrationis ignem intelligunt; ſecundo ſeverum & juſtum Dei judicium quo examinantur omnia hominum opera; tertio loco, qui eſt ℣. 15., interpretantur purgatorium. Verùm pluribus diſplicet ejuſdem vocis in contextu paucorum verborum tam diverſimoda acceptio. Quare *ignem* uno modo in omni loco hujus contextûs accipiendum putat *Eſtius*; adjungit tamen, hoc fieri non poſſe, niſi accipiatur, vel pro ſevero Dei judicio, quo non ſolùm examinat & probat hominum opera, ſed etiam, quæ mala invenerit, punit; quo modo *Cajetanus* exponit: vel pro igne conflagrationis, velut illius judicii inſtrumento: qui modus *Eſtio* præplacet. In expoſitione *Cajetani* primo loco per ignem intelligi poteſt judicium in genere: ſecundo loco convenit judicium probans & examinans: tertio loco judicium puniens & purgans: ſed probabilior videtur *Eſtii* exponendi modus de igne conflagrationis velut inſtrumento &c. Nam ad hanc expoſitionem urgent omnia, quæ *diem Domini* ſuadent intelligendum diem extremi judicii. Nec obſtat, quod ſuprà ex *Pſalm.* 96. dictum eſt, quòd hic ignis tantùm uſturus ſit inimicos Dei. Nam unus & idem ignis, quo ut inſtrumento ſuæ juſtitiæ Chriſtus judex utetur, probabit omnes, ſed eos tantùm purgabit, quos bonos quidem, ſed adhuc impuros inveniet. Quos autem omninò puros, & antè purgatos invenerit, eos illæſos ac doloris immunes, nihilque detrimenti paſſuros tranſmittet ad regnum: impios autem & inimicos inflammabit, & corripiet in æternum, 2. *Theſſ.* 1. Erit igitur ille ignis & probatorius & purgatorius, & in æternum vindicatorius;

ſed diverſorum reſpectu: ùt noſter ignis, purum aurum probat, impurum purgat, ſtipulas comburit: ita *Baſil.* l. *de Spiritu ſancto* cap. 5. *Hil.* 2. *in Matth. Amb. in Pſalm.* 118. *Auguſt.* l. 20. *de civitat.* cap. 18. & *S. Thom.* Et ſenſus eſt. *Dies* ille, quo Dominus ad judicandum vivos & mortuos venturus eſt, manifeſtum faciet opus cujuſque; nec id quomodocumque, ſed adhibito ſevero & exacto operum examine: *quia in igne revelabitur:* ſcilicet ille dies per ignem quemdam maximum & ſupra modum admirabilem atque terribilem, notiſſimus omnibus fiet, diem illum eſſe quo Dominus mundum judicare ſtatuerit. Alii, ùt *Occum. revelabitur*, non ad diem, ſed ad opus referunt manifeſtandum per ignem. Vel ad Dominum, ùt 2. *Theſſ.* 1. 2. *Petr.* 1. & *Luc.* 17. ut ſenſus ſit. Eo ipſo igne, quo revelabitur vel dies Domini, vel ipſe Dominus, vel opus cujuſque, tanquam inſtrumento divinæ juſtitiæ, quidquid doctrinæ ſuperædificatum fuerit fundamento à miniſtris verbi Dei, ſeverè examinabitur; ſive illud ſit ùt aurum, argentum, lapides pretioſi, ſive ùt ligna, fœnum, ſtipula. Operationes enim hoc in loco ſignificat, ex *Chryſ.*

℣. 14. *Si cujus opus manſerit quod ſuperædificavit, mercedem accipiet.*

Senſus eſt. *Si cujus opus, quod ſuperædificavit*, permanſerit illæſum ab igne, utpotè purum, ſanctum, & irreprehenſibile, quo modo purum aurum ab igne non læditur, pro eo opere, ipſe ædificator *mercedem accipiet* à judice Chriſto. Itaque tali ſtructori, ignis ille quantùm ad hujuſmodi opus attinet, nullum inferet cruciatum & dolorem, quia nihil inveniet in eo purgandum. Nota mercedem operum, & quædam eſſe adeò pura, ut ignem ſeveri

judicii Dei ſuſtinere poſſint, contra hæreticos. Et quòd ſi quis malè vivit cum fide recta, auxilium ei ſides non præſtabit, ut non puniatur opere perdito, ùt ait *Chryſ.*

℣. 15. *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem.*

Senſus eſt. *Si cujus opus*, quod ſuperædificavit, ab igne combuſtum fuerit, quomodo ligna, fœnum, ſtipula comburi ſolent ab igne; hoc eſt, ſi malum & reprehenſibile inventum fuerit, ideòque pœnâ dignum, ipſe ædificator *detrimentum* hujuſmodi operis *patietur*, nihil pro eo mercedis accepturus; ſed magis propter illud ab igne cruciandus. Ipſe tamen doctor non peribit cum opere ſuo, quia fundamentum in doctrina ſua retinuit: ſed ſalutem conſequetur: *Sic tamen ut* non niſi *per ignem*, quo urendus atque purgandus ſit, ad ſalutem perveniat. *Quaſi*, non obſtat quo minùs verus ignis intelligatur, atque idem omninò, de quo priùs locutus fuerat Apoſtolus. Nam dicendo, *ſic*, *quaſi*, modum ſalvationis ſignificare voluit, non comparationis. Conſtat enim talia adverbia, *quaſi*, *tamquam* &c. frequenter etiam in Scriptura ſacra, accipi ſpecificativè, ut loquuntur (ait *Eſtius*) non comparative: uti *Greg.* l. 25. *Mor.* c. 10. obſervat, adferens exemplum *Joan.* 1. ℣. 14. cui adjungi poſſunt, quæ dicuntur hoc *cap.* ℣. 1. & *Seq.* ℣. 1. & c. 7. ℣. 25. *Chryſoſtomus*, qui *per ignem* intelligit ignem gehennæ *ſalvus erit*, interpretatur, igne ſervabitur ac ſuperſtes erit, recens ſemper ad pœnam. Alii Græci referunt, non ad eum *cujus opus arſerit*, ſed cujus opus manſerit, ut is ſalute æternâ ſalvus dicatur per ignem. Alii ad fundamentum, id eſt, in ipſa operum ſeu doctrinæ cujuſque exami-

natione, apparebit ejus fundamenti firmitas, quando opera ei conſentanea per ignem probata fulgebunt: diſſentanea in fumum abibunt, ex Eſtio. Cui tamen hic ſenſus diſplicet uti & duæ immediatè præcedentes *Chryſoſtomi* & Græcorum interpretationes, quas nimis coactas dicit.

℣. 16. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?*

Cùm de ſeditioſis in Eccleſia ſuperiùs diſputaverit, jam fornicatorem aggreditur, non autem manifeſtè: ex *Chryſoſtom.* Sed meliùs, poſtquam egit de ædificantibus ſuper fundamentum quod eſt Chriſtus, nunc inſurgit in malos Doctores, qui fundamentum evertunt, & ædificium deſtruunt. Quos ſuprà vocavit ædificium Dei: nunc vocat *templum Dei*, quia *ſpiritus Dei* in eis habitaret, gratam in eis faciendo manſionem, per ejus dona gratificantia, fidem, ſpem, charitatem, opera bona. Nota, *Paulum* hic non alloqui ſingulos fideles, tanquam unuſquiſque ſcire debeat, ſe eſſe *templum Dei*: ſed Eccleſiam, quam omnes ſcimus eſſe templum Dei: licèt non ſic vivant ſingula membra, ut poſſint dici templa Dei, ex *Beda* & *Eſtio*, qui ex *S. Auguſt.* docet, hunc locum clarè contra Macedonios demonſtrare, Spiritum S. eſſe Deum.

℣. 17. *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.*

Si quis per falſam doctrinam fundamentum ſpiritualis ædificii ſubvertit, atque ita deſtruit ipſum ædificium, ſeu *templum Dei*: is non exiſtimet ſe ſalvum fore per ignem, ſed planè periturum. *Diſperdet* enim *illum Deus*, quia nimirùm æterno ignis ſupplicio deſtructorem & violatorem illum ſui templi puniet tanquam

ſacrilegum, utpote rem ſanctam & Deo ſacram corrumpentem. Non autem hoc imprecantis eſt, ſed prophetantis, ait *Chryſ.*

℣. 18. *Nemo ſe ſeducat : ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat ut ſit ſapiens.*

Loquitur de iis, qui cùm eſſent imbuti ſapientiâ ſæculari, magiſtros fidelium ſeſe venditabant, quorum quidam, ùt dictum eſt, boni erant, ſed imperfectè: quia ſuper fundamentum Apoſtolorum ædificabant ligna, fœnum, ſtipulam; alii verò ſimpliciter mali, quos ùt templi corruptores proximè notaverat; igitur de utriuſque dicit, *Nemo* ſeipſum fallat, confidens ac ſibi placens in ſua ſapientia, quaſi non ſit paſſurus ea quæ dixi, ſi vel inutilia doceat, vel perniciosa. Et hunc ſenſum ſic confirmat. *Si quis inter vos* reputatur ùt *ſapiens* hujus ſæculi, aut ſeipſum reputat talem, id eſt, ſapientiâ ſæculi inſtructum, quâ videatur idoneus, ad docendum alios: *ſtultus fiat*, id eſt, doctrinæ Chriſtianæ, quæ ſtultitia eſt incredulis, ſe ſubjiciat, & intellectum in obſequium fidei captivet, ita futurum ut verè & ſecundùm Deum *ſapiens* fiat.

℣. 19. *Sapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim : comprehendam ſapientes in aſtutia eorum.*

Stultitia eſt, id eſt, res contemptibilis, quia eâ Deus non eſt uſus in propagando Evangelio, & quia per ſe nihil confert ad negotium ſalutis; ùt cap. 1. Et confirmat ex *Job.* 5. dum oſtendit ejuſmodi ſapientiam non poſſe præſtare id quod promittit, hoc eſt, nihil prodeſſe ad benè vivendum. Sicque Deus eam ſtultitia

convincit & eludit: vel capiet eos ſuis ipſorum vafris conſiliis, tanquam laqueis: ùt capti fuerunt fratres Joſeph, Pontifices Judæorum, & ipſe diabolus.

℣. 20. *Et iterùm: Dominus novit cogitationes ſapientium, quoniam vanæ ſunt.*

Inutiles ad finem quem ſpectant, id eſt, ad vitam beatam, ex *Pſalm.* 93.

℣. 21. *Nemo itaque glorietur in hominibus.*

In magiſtris, nec in cæteris *hominibus*, q. d. Cùm tanta ſit vanitas humanæ ſapientiæ, indignum eſt, ut *in hominibus* iſtam tradentibus, tanquam magiſtris veſtris gloriemini: quicumque ille ſit, ſive *Paulus*, ſive *Apollo*, ſive *Petrus.*

℣. 22. *Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura: omnia enim veſtra ſunt:*

Omnia propter vos ſunt & ad veſtram ordinantur utilitatem. Intellige electos. Nullus autem gloriatur de iis, quæ ſunt propter ipſum, quia hâc ratione, inferiora ſunt ipſo. *Omnia*, hoc eſt, *ſive Paulus, &c.* Nam hi non ſolùm ſunt Chriſti miniſtri, ſed & ipſorum fidelium, quatenùs ipſorum miniſterium ſubſervit utilitati fidelium. 2. *Cor.* 4. *Sive mundus*, id eſt, corporea creatura; *ſive vita, ſive mors:* Nam unicuique electo ſua vita, & mors, vel eorum qui minſtraverunt Evangelio, utilis eſt ad ſalutem, ùt *Philip.* 1. *Sive præſentia, ſive futura*, proſpera & adverſa, tam propria, quàm aliena,

quæ miniſtri Evangelii expectant vel ſuſtinent. *Omnia enim*, id eſt, *omnia*, inquam, *veſtra ſunt*, id eſt, Nos miniſtri, omniaque noſtra, bona & mala, qualia ſunt pericula, perſecutiones &c. quidquid uſquam eſt, *veſtra ſunt*, & coöperantur in bonum veſtrum, ùt ad *Rom.* c. 8. *Diligentibus Deum omnia coöperantur in bonum*. Ideò fruſtrà gloriamini vos ſinguli de veſtro præceptore, cùm omnes ex æquo veſtri ſint.

℣. 23. *Vos autem Chriſti : Chriſtus autem Dei.*

Chriſti ùt capitis ac Domini veſtri, non ſolùm quâ Deus, ſed etiam quâ homo, ſecundùm quam naturam vos morte ſuâ redemit. Nam ſervus id quod eſt, Domini eſt. *Chriſtus autem* ſervus eſt *Dei*, ùt *cap.* 11. & 15. Atque hoc eſt quod concludendum hìc relinquit, gloriandum eſſe : in ſolo Deo, ad quem ùt finem omnia alia reducuntur, etiam Chriſtus ipſe, quatenùs homo, ex *Chryſoſt.*

CAPUT IV.

Reprehendit eos qui de acceptis donis gloriabantur, acſi illa à ſeipſis haberent.

℣. 1. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti: & diſpenſatores myſteriorum Dei.*

PRoſequitur Apoſtolus id, quod *cap.* 1. & 3. egit, ſcilcet, non eſſe gloriandum in præceptoribus, nec alios præ aliis eſſerendos. Dicit ergo. Quiſque nos Apoſtolos cæteroſque Evangelii prædicatores reputat, quales reverâ ſumus; nimirùm ùt *Chriſti miniſtros*, & *diſpenſatores* myſticæ, arcanæ, & divinæ

doctrinæ àtque Sacramentorum Chriſti: ut quibus, & quomodo, & quantum òpus eſt, erogemus; non quibuſvis, ſed dignis. Et dum miniſtros nos cogitant, non nimiùm extollant.

℣. 2. *Hic jam quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur.*

Fidelis eſt, quis utiliter agit Domini ſui negotium: rem Domini tractat non ùt ſuam, ſed ſuæ fidei commiſſam: nec ſuam, ſed Domini ſui gloriam ex ſua adminiſtratione quærit. Spectatur quidem etiam induſtria in diſpenſatore, ſed primum quod quæritur, eſt fides, ita *Chryſoſtomus.*

℣. 3. *Mihi autem pro minimo eſt ut à vobis judicer, aut ab humano die: ſed neque meipſum judico.*

Judicer, Græce, *dijudicer.* Significatur enim comparatio cum aliis. Cùm talis eſſe debeat diſpenſator, jamque dixerim, nòs doctores veſtros, eſſe diſpenſatores: nolo tamen vos eſſe judices noſtros, ut dicatis quis noſtrûm meliùs aut pejùs, quiſve ſincerè, aut minùs ſincerè ea myſteria vobis diſpenſet. Nam ad me quod attinet, qui nullius malæ fidei mihi conſcius ſum: parvi facio, *ſi à vobis judicer*, aut melior aliis, aut deterior, in hoc Evangelicæ diſpenſationis officio, aut ab *humano die*, id eſt, nihil moror veſtrûm aut *cujuſvis hominis* judicium de me, ita *Chryſ.* & *Oecum.* qui, *ab humano die*, interpretantur, *à quovis alio*, ſcilicet homine. *Hieronimus* per humanum diem intelligit humanum judicium; quomodo dies Domini pro judicio Dei frequenter ſumitur. Et ſenſus, ferè cum præcedenti coincidens, eſt. Omninò non moror hominum de me judicia. *Eraſmus* quidem non dubitavit trans-

ferre, *aut ab humano judicio.* Alii aliter *humanum diem* interpretati ſunt; ùt *Ambroſiaſt:r*, leges mundo creditas; *Theodoritus*, humanæ vitæ brevitatem; *Theophylactus*, hominem quempiam celebrem & præclarum. Sumi etiam poſſet pro humano favore, ſicuti *Jerem.* 17. *laus mea tu es, & diem hominis non deſideravi. dies hominis* pro humano favore, commendatione &c. ſumitur. Sed interpretatio *Chryſ.* & *Hier.* præplacet. *Sed neque me ipſum judico*, id eſt, neque enim cor meum arguit aut condemnat me. Vel, imò neque ipſe quidem de me certum fero judicium, quàm rectè, ſincerè, & coram Deo verſor in diſpenſatione mihi credita: ut cum aliis me poſſim conferre, qui tamen ipſe mihi notior ſum, quàm vobis: ex *Hier.* Nota contra hæreticos, *B. Paulum* in hoc verſu agere tantùm de judicio cujuſque privato, de quo & Chriſtus, *Matth.* 7.

℣. 4. *Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt.*

Id eſt. Nullius quidem infidelitatis in mea diſpenſatione *mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum:* quippe qui mihi ipſi penitùs ac perfectè non cognitus ſim. Hinc refelluntur hæretici, qui dicunt ſe certò juſtificatos eſſe. Chriſti, inquit *Paulus*, judicio reſervandus ſum, non à vobis conſervis judicandus. Illius judicium certum eſt: veſtrûm incertum. Hinc etiam refelluntur, qui aſſerunt, quòd nemo poſſit vitare peccatum, ex *Hier.*

℣. 5. *Itaque nolite ante tempus judicare, quoaduſque veniat Dominus: qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo.*

Ne judicetis quidquam occultorum, & omninò eorum quæ vobis non ſatis cognita ſunt: velut quis noſtrûm ſit aut non ſit fidus miniſter, & Evangelii diſpenſator: quis magis minùſve talis: *ante* illud *tempus*, quo veniet omnium judex Chriſtus, qui omnium occulta revelabit, & judicabit: ut non ſit opus vos judicare. *Quoaduſque*, id eſt, donec, non ſignificat, nos poſt adventum Domini judicaturos, ſed (ùt ſæpe fit in Scriptura) tantùm denotat tempus, *ad quod uſque* judicare invicem, & præcipuè magiſtros non poſſumus. *Illuminabit*, id eſt, in lucem proferet occultas hominum actiones ſive bonas, ſive malas, ùt *Matth* 10. & *Luc.* 12. Et manifeſtum omnibus faciet, quo conſilio, quo fine & intentione quiſque fecerit opera ſua. Vel *conſilia cordium*, id eſt, latentes cogitationes. *Et tunc unicuique* bona & laudem merenti erit *laus*, non tantùm apud homines: quomodo multi in hoc ſæculo non laude digni laudantur, ſed apud Deum, atque ab ipſo *Deo*, *Matth.* 25. q. d. tunc apparebit quis magiſtrorum ſit laude dignus, aut aliis dignior. Nam illud erit tempus diſtribuendi à *Deo* honoris unicuique perpetuò manſuri: ex *Chryſoſtom.*

℣. 6. *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo, propter vos: ut in nobis diſcatis, ne ſupra quam ſcriptum eſt, unus adversùs alterum infletur pro alio.*

Transfiguravi, id eſt, cùm viderem inter

vos contentiones eſſe de doctorum veſtrorum prælatione, ſub meo & *Apollo* nomine, illorum pſeudoapoſtolorum veſtrorum ac veſtram gloriationem extinguere volui. Meo autem & *Apollo* nomine uſus ſum *propter vos*, ne ſi veſtros nominatim Doctores, unde gloriamini, nominarem, majorem vobis præberem diſſenſionum cauſam. Vel *propter vos*, inſtructionis veſtræ cauſâ feci. *Ut in nobis* &c. in græco habetur *ut in nobis diſcatis non ſuprà quam ſcriptum eſt ſapere: ut ne unus pro uno inflatur adverſus alterum.* Secundùm hanc lectionem prior ſententiæ pars ad magiſtros pertinet, poſterior ad diſcipulos. Ut ſit ſenſus. Idcircò perſonam aliorum in nos transtuli, ut vos magiſtri in nobis Apoſtolis, qui profitemur nos non aliud eſſe, quàm miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, velut in exemplari vobis propoſito diſceretis non ſentire de vobis ſupra id, quod de nobis ſcripſi, ſcilicet non aliud nos eſſe, quàm Dei miniſtros, utilitati fidelium ſervientes: Et quòd ad diſcipulos attinet, ne alius pro alio, ſcilicet diſcipulus pro magiſtro, adversùs alterum, id eſt, alterius magiſtri diſcipulum inſolentiùs glorietur, quando nec nos Apoſtoli patimur dicipulos noſtros pro nobis adversùs alios gloriari. *Supra quam ſcriptum eſt* refertur ad *cap.* 1. hujus *Ep.* ℣. 31., vel ad *Jerem.* 9. ℣. 23. vel *Matth.* 23. ℣. 10. Vel ad Scripturam ſacram in genere, ut ſit ſenſus. Ne magiſtri ſapiant ſupra id, quod traditum eſt in ſacris literis, id eſt, ne Evangelio admiſceant ſapientiam mundanam: ex *Cajet.*

℣. 7. Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?

Alloquitur magiſtrum ſibi placentem, ut

unum, cùm multi eſſent; *Quis* (inquit) *te diſcernit* ab aliis, quibus te anteponis? *Quis te* aliis præſtantiorem fecit? *Quis*, inquam, *te diſcernit*, niſi Deus? ut doceat omne bonum, quo quis ab alio diſcernitur, atque alium præcellit, à Deo dari: ideoque nec gratiam dari ſecundum merita, neque ex prævifis meritis quemquam à Deo ad vitam prædeſtinari; ſed tam prædeſtinationem, quàm gratiam, quæ eſt effectus prædeſtinationis, prorſus ac merè gratuitam eſſe: ex *Aug*. l. 2. *contr. Pelag*. c. 7. & *lib. de corrept. & grat*. cap. 7. & *epiſt*. 46. *ad Valentinum*. Jam ex his etiam illi redarguuntur, qui dicunt, æquali dato vel oblato gratiæ auxilio, ſæpe contingere, ut hic agat, ille non agat, aut ut alius alio plùs minùſve, ut diſcretio ſit ex libro hominis arbitrio, non ex gratia Dei. Et ne inflatus doctor interrogatus, *quis te diſcernit*? dicat: Ego me diſcerno ſtudio, labore, induſtriâ meâ ab aliis, quibus præſto: preſſiùs eum urget, dicens: *Quid habes quod non accepiſti*, ab alio ſcilicet, nec aliunde quàm à Deo juxta illa quæ dicuntur *Joan* 3. ℣. 27. & *Jac* 1. ℣. 17. Eſt autem hæc *Pauli* ſententia tam de bonis naturalibus, quàm de iis quæ naturam excedunt: nam de naturalibus gloriabantur Corinthiorum magiſtri, ùt de eloquentia & ſapientia ſæculari. Rursùs ex hac ſententia docent Patres *cont. Pelag*. hominem nihil boni habere à ſeipſo: ſed quidquid habet boni, ùt virtutes, bona opera, & ſtudium, conatum, coöperationem, conſenſum, motum ac nutum voluntatis, id totum in Deum authorem eſſe referendum: ut de ſe homo nihil habeat, niſi mendacium & peccatum: ex *Conc. Arauſ*. cap. 22. ex *Aug. tract*. 5. *in Joan*. & l. 2. *de pec. mer*. cap. 18. *de præd. ſanct*. c. 3. 4. & 5. & *Cypr*. l. 3. *teſtim*. c. 4. & *Chryſ*.

℣. 8. *Jam ſaturati eſtis, jam divites facti eſtis: ſinè nobis regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vobiſcum regnemus.*

Interrogativè vel ironicè, Doctores irridet non ſolùm gloriantes in ſeipſis, & non in Deo, de bonis quæ habebant; ſed etiam aſcribentes ſibi bonorum copiam & præcellentiam quam non habebant. *Saturati*, id eſt, ad ſatietatem uſque repleti ſapientiâ & cæteris donis *ditati* eſtis, ùt *Apoc.* 3. Sic enim de ſe ſentiebant. *Regnaſtis*, *regnum adepti eſtis*, ponit pro eo, quod eſt omni divino bono excellere. Perſtringit autem Doctores, quòd ſoli regere velint, cùm è diverſo *Paulus* eos non recuſet ſocios, modò regant ùt decet, id eſt, ſaluti fidelium conſulant, non ſuæ gloriæ. Vel in vocabulo *regnetis*, ſecuritas exercentis potentiam intelligitur, ùt *Apoc.* 11. 12. & 19. ut ſit ſenſus. Vos ſecurè & feliciter agitis in iſta apud Corinthios eminentia tanquam in regno pacato, quieti à laboribus; cùm nos interim in contemptu, labore, & periculo ſimus. Ac utinam benè & ſecundùm Deum illo regno veſtro utamini: ut & nos, tandem his malis liberati, ejuſdem regni vobiſcum ſimus participes.

℣. 9. *Puto enim quòd Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tamquam morti deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.*

Fortè etiam hæc ironicè dicta, q. d. Tales à vobis habemur ac reputamur, quales nos hìc deſcribo, id eſt, homines abjectiſſimæ ſortis. Vel affirmativè, ut ſenſus ſit. Arbitror, & ita ſe res habet, Deum, qui ſtulta & infirma & ignobilia mundi elegit, ut confundat ſapientes, & fortes & nobiles, ad propagandum

ſuum Evangelium, *nos*, id eſt *Apoſtolos*, ùt omnium extremos, & ſecundùm ſæculum viliſſimos (tantùm abeſt ut regnemus) mundo exhibuiſſe, tanquam *morti deſtinatos*, ùt exhiberi ſolent ſontes ad publica ſupplicia damnati, *addicti*, *adjudicati* ex Græco; *beſtiarii* ex *Tertul. Beſtiarii* Romanis dicebantur, qui cum beſtiis pugnare, damnati erant. Huc pertinet illud *Pſalmi* 43. ab Apoſtolo citatum, *ad Rom.* 8. *Propter te mortificamur totâ die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. Quia ſpectaculum*, Græcè, *theatrum facti ſumus*, & hîc ſumitur pro ipſa re quæ ſpectanda proponitur. *Angelis* & *hominibus*, bonis & malis: omnes enim ſunt ſpectatores, licèt diſpari ſtudio, favoris aut odii, ùt in humanis ſpectaculis contingit, ex *Beda*.

℣. 10. *Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles.*

Ironicè hæc dicta putat *Oecum.* Vel verè, ut ſenſus ſit. *Nos* Apoſtoli *ſtulti* ſumus ſecundùm ſæculum, ac veſtro judicio: idque *propter Chriſtum*, cujus Evangelii prædicandi causâ, videmur imprudenter ac temerè noſmetipſos objicere tot periculis & incommodis: *Vos autem* ſecundùm ſæculum ac veſtro judicio *prudentes in Chriſto*; quia ſic prædicatis Chriſtum, ut tamen cautè proſpiciatis, ne quas adverſitates ejus causâ feratis. *Vos fortes*, *vos nobiles*, freti eloquentiâ & ſapientiâ & amicitiâ hujus ſæculi: ex *Hieron.*

℣. 11. *Uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus,*

Inſtabiles ſumus, id eſt, certam ſedem non

habemus, undique à malis profligati: ex *Chryſoſt. homil.* 52. *in Act.*

℣. 12. *Et laboramus operantes manibus noſtris: maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus:*

Aliquando id faciebant, quia non inveniebant qui darent eis vitæ neceſſaria, ùt *Act.* 18: aliquando ne gravarentur fideles: & aliquando ad dandum fidelibus exemplum vitandi otium, ùt 2. *Theſſ.* 3. Obliquè taxat Corinthios, qui cùm divites eſſent, & alios magiſtros non ſincerè Chriſtum prædicantes lautè alerent, ſuum Apoſtolum paterentur egere, & opere manuum victum quærere.

℣. 13. *Blaſphemamur, & obſecramus: tamquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc.*

Reputamur velut ſordes, fœces, colluvies, excrementa humani generis, ex *Theophylacto. Ambroſius* vertit ex græco *luſtramenta*: id eſt, purgationes factæ per ſacrificia. Nos *piaculum* dicere poſſumus: ſignificat enim ſceleſtos, & exitiales homines, qui publicæ calamitatis ſedandæ gratiâ, nonnullis Gentilibus mactabantur: ad quod alludens *Paulus*, tanquam catharmata, inquit, & *purgamenta*, ſive luſtramenta *facti ſumus* mundo: dum offenſum Deum mundo, noſtrâ internecione placari exiſtimant infideles: quinimò, *omnium peripſema uſque adhuc*, id eſt, uſque in præſentem diem. *Peripſema* eſt Græcum vocabulum, περίψημα à verbo περιψάω, & ſignificat ſcobem, ramentum, pulverem, qui è veſtigiis pedum maculatis relinquitur, & quidquid limando deteritur: ac denique rem vilem, & quidquid omnium pedibus penè conculcatur:

ex

ex *Gaig*. Vel pannum quo laborantibus ſudores abſtergi ſolent. *Paulus* uſus eſt pro homine abjectiſſimo: ex *Oecum*.

℣. 14. *Non ut confundam vos, hæc ſcribo, ſed ut filios meos chariſſimos moneo.*

Non ut pudefacerem *vos*: ſed ut admonerem; neque enim tanquam diſcipulorum, ſed tanquam filiorum curam habeo. Hic non magiſtros, ſed Corinthios ipſos alloquitur: & ſubindicat pudendum fuiſſe, quòd poſthabitis Apoſtolis, qui tanta ipſorum cauſâ patiebantur, glorioſulos magiſtros ſectarentur.

℣. 15. *Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto: ſed non multos patres. Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.*

Ad ſuos diſcipulos hæc dirigit, oſtendens, quòd multò magis eos diligeret, quàm magiſtri qui nunc inſilierant, & ipſos dimiſerant. Id autem & ex ipſis manifeſtum eſt hominibus: ſiquidem illi pædagogi ſunt, ego verò pater *in Chriſto*, quippe *vos genui*, Chriſtianos feci per Evangelium: ex *Oecum*. Non oſtendit dignitatem, ſed immenſum amorem, ait *Chryſ.*

℣. 16. *Rogo ergo vos, imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.*

Quia dixerat ſe patrem, meritò monet, ut ſui ſint *imitatores*, oſtendens hoc eis facile eſſe. Nam ſi ego Chriſtum imitor, quomodo inquit, vos non me imitamini? ait *Oecum.* & *Chryſ.*

℣. 17. *Ideo miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus chariſſimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ ſunt in Chriſto Jeſu, ſicut ubique in omni Eccleſia doceo.*

Quandoquidem veſtri curam habeo tanquam

filiorum: miſi vobis Timotheum; nempe ut ex eo diſcatis vitæ meæ inſtitutum, & converſationem quam imitemini. Vocat filium, non quòd mundo aut Chriſto genuerit, quia priuſquam in eum *Paulus* incidiſſet, Chriſtianus erat, *Act.* 16. Sed ùt ſenex juvenem, peregrinationis comitem, ac ſocium laborum, quem ob vitæ & morum ſinceritatem paterno amore proſequebatur. *Vias* vocat converſationem, prædicationem, labores, pericula, mores Apoſtolicos. Vel *vias meas*, id eſt, nihil proprium dicet, ſed quæ mea ſunt: ex *Oecumen.* Si ad doctrinam extendas: diſces, veritatem Chriſtianæ religionis apud omnes & ſemper eandem eſſe: ex *S. Thom.*

℣. 18. *Tamquam non venturus ſim ad vos, ſic inflati ſunt quidam.*

Ne Corinthii ſuſpicarentur, *Paulum* non venturum ad ipſos, eo quòd Timotheum miſiſſet, ideòque ſecuriores ac ſegniores, minùs præſtarent officium vitæ Chriſtianæ; (quod contigiſſe videtur, quia verſu ſequenti dicit, *veniam* &c.) præmonet eos de ſuo adventu, maximè propter quoſdam, qui ut mali diſcipuli, abſente præceptore, ferociùs & inſolentiùs ſe gerunt, non ſinè contemptu Eccleſiaſticæ diſciplinæ: hoc enim eſt quod ait, *inflati ſunt quidam*; tametſi præcipuè hoc in illos ſapientiæ profeſſores dicitur. Inflat enim ſapientia ſæcularis. Parcit autem nominibus, ne, quaſi injuriâ affecti, irritentur, & inſanabiles ſe, cùm venerit, reddant.

℣. 19. *Veniam autem ad vos citò, ſi Dominus voluerit: & cognoſcam non ſermonem eorum, qui inflati ſunt, ſed virtutem.*

Quòd ait, *veniam citò*, terrentis eſt & pavorem incutientis, idque apparantis, ut ipſi vigi-

larent, & in officio continerentur. *Si Dominus voluerit:* præceptum eſt *Jacobi* cap. 4. ut, quoties dicimus nos aliquid facturos, addamus. *Si Dominus voluerit*, ſi non voce, ſemper animo. *Et cognoſcam*, experiar, & probabo, non quàm pulchrè loquantur illi *inflati* magiſtri, ſed quàm benè operentur, id eſt, quàm Chriſtianè vivant: nam virtus in opere cognoſcitur. Vel *virtutem* intelligit in effectu doctrinæ, quam tradebant. Id eſt, videbo non quàm ſcitè loquantur: ſed quantùm apud vos ſuâ ſcientiâ & doctrinâ profecerint: quàm per eos ſitis benè reformati, quoniam in virtute res noſtræ poſitæ ſunt, ait *Chryſ.*

℣. 20. Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute.

Virtus ſermonis, energia ſpiritûs, & perfectio Chriſtiana & maximè Apoſtolica, quâ Deus regnat, & quâ Evangelii, gratiæ ſuæ, & Spiritûs efficaciam oſtendit in nobis, & in Eccleſia, non eſt ſita in eloquentia, ſed in potenti operatione Spiritûs ſancti, ſcilicet in efficacia ſermonis: hoc modo intelligi poteſt quod dicit *Chryſ.* per ſigna, non per facundiam vicimus. Virtus hæc ſeu efficacia ſermonis apparet in opere auditoris, in expulſione dæmonum, in poteſtate miraculorum: & potiùs in tolerantia & vita Apoſtolica, morum converſione & ſanctimonia. Nam *S. Joannes Baptiſta* nullum fecit miraculum, & tamen regnum Dei prædicare cœpit in virtute ſanctæ vitæ, ſpiritu & efficaciâ ſermonis.

℣. 21. Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?

Optionem vobis do eligendi alterum ex duobus; ex quo nota liberum arbitrium. In *virga* ſignificat ſeveritatem diſciplinæ cum authori-

tate eam exercendi, qualis fuit in Apoſtólis & ſucceſſoribus. Non dixit in gladio, quamvis jam cogitans gladium abſciſſionis, id eſt, excommunicationis; quia patrem ſe dixerat. Nam percutere, & punire non videtur eſſe amoris, ſed odii: licèt dum à patre fit, ex amore latente proficiſcatur. Sed aliud eſt charitas ſeveritatis: aliud charitas manſuetudinis. Una quidem charitas eſt, ſed diverſa in diverſis operatur, ait *Aug. lib.* 3. *cont. epiſt. Parm.* cap. 1.

CAPUT V.

Fornicarium excommunicat, & fugiendum docet.

℣. 1. ***Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec intèr Gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.***

ID eſt. Non levis rumor, ſed conſtans fama eſt, ac res notior, quàm ut negari poſſit, fornicationem apud vos committi. Græcè, *qualis nec inter Gentes ne nominatur quidem.* Si Judæus fuit, hoc dictum eſt ad majorem ejus pudorem. Sed veriſimilius eſt, Gentilem fuiſſe: nam tantum facinus Eccleſia Gentilium in Judæo non perinde toleraſſet, ùt notat *Eſtius. Uxorem patris* intelligit novercam, non matrem, non mortui, ſed viventis; ut intelligas notari inceſtum & adulterium. Cùm dicit, *habeat*, non ſentit, quòd eam duxerit uxorem, aut uxoris loco habeat, cùm ne Gentilium quidem leges, aut mores ejuſmodi conjugium ferrent. Sed quòd cum ea adhuc commiſceatur & conſuetudinem habeat carnalem, ea

utatur. Dices auditam hujuſmodi fornicationem *Levit.* 18. *Gen.* 35. & 2. *Reg.* 16. Verum. Sed *Moyſes* loquitur de uxore patris defuncti, aut de ea quæ repudiata eſſet. Hic autem ſermo eſt de uxore patris viventis. Deinde ſi quid ſimile factum eſt, inter Gentes vel etiam in populo Dei, id & rarum fuit, & non ſinè horrore audiebatur: ex *Anſelm.*

℣. 2. *Et vos inflati eſtis: & non magis luctum habuiſtis ut tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit.*

Cùm ſitis conſcii tantæ turpitudinis apud vos admiſſæ, cùmque ejus rei fama ſit, voſne *adhuc inflati eſtis* & contentionibus vacatis, & vobis placetis? Græci interpretes ſuſpicantur hos inflatos fuiſſe propter doctrinam, quam ab illo fornicario percipiebant: ùt qui unus eſſet illorum, quos ſapientiæ nomine Corinthii venerabantur. *Tertul.* legit, *Et non luxiſtis potiùs* de tam publico dedecore & ſcandalo, non quocumque modo, ſed cum ſtudio tollendi tantum malum è vobis, eum qui tantum flagitium perpetravit per excommunicationis cenſuram; oſtenditque quòd etiam ſinè monitore id fieri oportuit propter peccati evidentiam, ùt notat *Chryſoſt.*

℣. 3. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt,*

Poſt objurgationem nunc præſcribit remedium excommunicationis, utrique valiturum, Eccleſiæ ne corrumpatur; & ei qui peccavit ùt corrigatur. *Spiritu præſens*, hoc eſt, animo, affectu, ſollicitudine: vel quòd per ſpiritum noſſet ea quæ apud Corinthios agebantur, ac ſi præſens eſſet. *Jam judicavi*, id eſt, de-

crevi, apud me ſtatui: Vel jam jus dixi, decernendo ſententiam excommunicationis, non enim jam tulerat, nec his ipſis verbis excommunicaverat. Dices, an abſentem & inauditum licebat ſic judicare? ℟. ita, ſi crimen notorium ſit, ùt in caſu erat; & dubium non eſt, quin Apoſtolus à quibuſdam fidelibus admonitus fuiſſet. Imò præceſſerat monitio ùt patet ex cap. 5. *Scripſi vobis non commiſceri fornicariis.*

℣. 4. *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu,*

Judicavi, vice, & authoritate, ſeu cum virtute & invocatione nominis ejus, ùt *Coloſ.* 3. *Congregatis vobis.* Oſtendit primò modum judicandi: ea enim quæ gravia ſunt, multorum concordi deliberatione punienda ſunt. Unde & antiquitùs judices ſedebant in portis, ubi populus congregabatur. *Deut.* 16. & *Matth.* 18. Secundò, adhibet ſuum aſſenſum cùm dicit & *meo ſpiritu*, id eſt, meâ voluntate & authoritate: vel meo ſpiritu vobiſcum congregato. Tertiò, adhibet authoritatem principalis *Domini*, ſcilicet *Jeſu Chriſti*, ex qua judicium Eccleſiæ habet robur firmitatis, *Matth.* 18. ex *S. Thom.*

℣. 5. *Tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Hujuſmodi, ſcilicet hominem eum, qui ſic operatus eſt: vel condemnavi inceſtuoſum *tradere Satanæ.* Quidam autem dicunt quòd in primitiva Eccleſia poteſtas erat ſanctis hominibus ad peccatorum animadverſionem, dæmonia in rebelles immittendi, ſicut & expel-

lendi, quæ corporaliter eos in pœnam contumaciæ afficerent: ex *Gaig.* ita *Throd.* Quòd verò, ait *tradere Satanæ*, non hoc dixit tanquam id facere ipſe per ſe decreviſſet, ſed quòd per abjectionem ab Eccleſia, & abalienationem à Deo, in poteſtatem Satanæ veniret. *Tradere* ergo *Satanæ* hoc modo, eſt ab Eccleſiæ conſortio expellere, & quod nos dicimus, excommunicare, rem, ùt videre eſt, non novam; cùm Apoſtolus mandaverit Corinthiis in ejus authoritate tradere inceſtuoſum Satanæ corporaliter vexandum. Et hujus ſententiæ effectum ponit *in int ritum carnis*; id eſt, vexationem carnis & afflictionem, in qua peccavit, ùt *Sap.* 11. ſive per morbum, ſive per aliquid ſimile: vel in deſtructionem carnalis cupiditatis, quæ in illo dominabatur. Sic caro ſumitur pro concupiſcentia. *Auguſt. tractat.* 62. *in Joan.* & *Chryſoſt. hom.* 5. *ſuper.* 1. *Tim.* 1. non corporaliter à Satana poſſeſſum dicunt, ſed tantùm ſpiritualiter, ùt Judam. *Ut Spiritus ſalvus ſit*, his verbis fructus, & finis excommunicationis deſignatur, *ut* ſalutem conſequatur *in die* mortis, vel *in die* judicii. Non enim tradidit, ut ejus poteſtati perpetuò ſubjaceret, ùt putant Græci & *Cajet.* ſed ut carnis vexatione ad pœnitentiam convertatur. *Iſa.* 28. Job. 2. ita *S. Thom. Ambr.* & *Oecum.*, qui hic Spiritum ſanctum intelligunt, volunt Spiritum ſanctum ſalvare non in ſeipſo, ſed in nomine per donum ſpirituale, dum videlicet habetur Spiritus ſanctus, atque in eo manet per ſuam gratiam. Vel per Spiritum intelligitur ipſum ſpirituale donum: ùt *Chryſoſt. Theophyl.* Vel *anima*, ùt *Auguſt.* l. 1. *de ſerm. Dom. in monte.* cap. 20. Vel ſpiritualis hominis vita, vel ipſe homo, quatenùs ſpiritu renovatus eſt. Et eſt cauſa finalis excommunicationis ex parte ejus qui

excommunicatur; nempè emendatio illius & ſalus: ùt 1. *Tim.* 1. & 2. *Theſſ.* 3. Proficit autem non ſuâ naturâ, ſed ex occaſione, dum eâ pœnâ admonitus incipit cogitare propter quid patiatur, atque illud odiſſe propter quod patitur, id eſt, peccatum ſuum quo pœnam illam commeruit: nam vexatio dat intellectum. Iſa. 28. *Confuſus ſum & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ.* Jerem. 31.

℣. 6. *Non eſt bona gloriatio veſtra. Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?*

Sunt qui gloriationem Corinthiorum interpretantur de inceſtuoſo iſto homine, tanquam uno ex magiſtris ipſorum & ſapientibus, vel quòd peccatum ejus tolerabant. Vel eſt repetitio ejus quod ante dixit, *& vos inflati eſtis*, juxta ſenſum ibi datum. Oſtendit autem, eos non habere quod glorientur, ſed magis quod timeant & caveant: nam malum quod negligunt, reliquum Eccleſiæ corpus inficit, ait *Oecum.*, ſicut per *modicum fermentum* tota maſſa paſtæ corumpitur, vel fermentatur, ùt legit *Hieron.*, vel ſapore ſuo imbuitur tota farinæ conſperſio. Sic per unum paucoſve homines ſuis moribus tota multitudo, faciliùs malè, quàm benè afficitur.

℣. 7. *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*

Id eſt. Separate à vobis inceſtuoſum, cujus exemplo cæteri poſſent inſici, ſicut fermento tota inficitur maſſa. Quod quidem dicit, quia per ſeparationem unius peccatoris tota ſocietas expurgatur. Unde, egreſſo Judâ, Dominus dixit

Joan. 13. *Nunc clarificatus eſt filius hominis.* Poteſt etiam per *vetus fermentum* intelligi antiquus error, ùt *Iſa.* 26. Vel etiam corruptio originalis peccati, ùt *Rom.* 6. Vel quodcumque peccatum actuale, *Coloſſ.* 3. Ut hæc ſit generalis exhortatio ad vitæ puritatem : ex *S. Th.* *Ut ſitis nova conſperſio.* Dicitur autem conſperſio commixtio aquæ & farinæ novæ, antequam admiſceatur fermentum. Remoto ergo fermento à fidelibus, id eſt, peccatore, vel peccato, rèmanet ſicut *nova conſperſio*, id eſt, in puritate ſuæ novitatis, ait *S. Thom.* ùt *Ephſ.* 4. Deinde ponit modum debitum expurgationis, cùm dicit, *ſicut eſtis azymi*, id eſt, ſinè fermento peccati. Nam Chriſtiani per baptiſmum conſtituuntur in ſtatu novitatis ac puritatis, & eundem ſtatum poſt baptiſmum profitentur. Eam puritatem ſignificabant *panes azymi*, quibus tempore Paſchali Judæi veſcebantur. Deinde cùm dicit, *Etenim Paſcha noſtrum*, aſſignat rationem ejus quod dixerat, ſcilicet quare fideles debent *eſſe azymi* : quæ quidem ſumitur ex myſterio paſſionis Chriſti. *Etenim*, id eſt, quia ſicut figurale Paſcha veteris populi eſt agnus immolatus ; ita *Paſcha noſtrum*, id eſt, novi populi, *eſt Chriſtus immolatus*, cujus etiam immolationi convenit nomen Paſchæ, quod ſignificat tranſitum, *Exod.* 12. *Eſt enim Phaſe*, id eſt tranſitus, etiam ſignificatione linguæ Græcæ, prout nomen Paſchæ ſignificat paſſionem. Chriſtus enim per paſſionem quâ fuit immolatus, tranſivit ex hoc mundo ad patrem *Joan.* 13. ex *S. Thom.*

℣. 8. *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ : ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis.*

Epulemur, id eſt, feſtum & ſolemne epu-

lum celebremus : non cum fermento veteris vitæ, quoniam & Iſraëlitis cum fermento ſuum Paſchale epulum celebrare nefas erat. Per *azymos panes* ſignificat ſinceritatem ac veritatem converſationis, ut vita ſincera & pura opponatur malitiæ, vita autem vera, hypocriſi vacans, opponatur nequitiæ : ex *Theop.*

℣. 9. *Scripſi vobis in Epiſtola : ne commiſceamini fornicariis.*

Poſt decretum quo mandavit inceſtuoſum illum excommunicari, nunc ſtatuit ſeu potiùs repetit ſtatutam à ſe regulam de vitandis fornicariis ac cæteris aliis criminoſis fratribus, unde conſtat, aliam ante hanc à *Paulo* ſcriptam fuiſſe Epiſtolam ad Corinthios, quæ poſt interciderit. *Chryſoſtomus* autem non de alia epiſtola, quàm de hac ipſa *Paulum* loqui cenſet. Porrò commiſceri *fornicariis* hoc loco, non eſt turpitudinem cum fornicariis exercere, ſed vitæ conſuetudinem cum eis habere : ex *Chryſ.*

℣. 10. *Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis ſervientibus : alioquin debueratis de hoc mundo exiiſſe.*

Id eſt. Non inhibui vobis converſari cum fornicariis Gentibus, ſed ſi quis fratrum, id eſt, Chriſtianorum, hujuſmodi eſt, volo vos ab illo fugere : alioqui ſi fugiendi vobis eſſent Gentiles fornicarii, ab hoc mundo exeundum vobis eſſet, qui totus plenus eſt hujuſmodi hominum. Ex his colligitur etiam malos & ſceleratos homines eſſe in Eccleſia. Negat autem ſe locutum de *fornicariis hujus mundi* : non quòd non ſit etiam vitanda illorum converſatio, quatenùs noſtris moribus contagium afferre poſſit, hoc enim lex naturæ præcipit, ſed peculiariter

ac majori ſtudio, & plures ob cauſas ab illorum abſtinendum eſt conſortio, qui fratres cùm ſint, & Chriſti fidelium nomine cenſeantur, profeſſionem ſuam malè vivendo dehoneſtant, fratribus exemplo nocent, ipſumque nomen Chriſtianum probris ac maledictis fidelium exponunt, ſi præſertim ùt tales notati ác nóminati ſint ab Eccleſia. Quod erat genus quoddam excommunicationis, etſi minùs eo, quo *Satanæ* quidam tradebantur, ex *Eſtio.*

℣. 11. *Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri: ſi is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum ejuſmodi nec cibum ſumere.*

Declarat apertiùs de quibus & quomodo velit intelligi, quod dixerat non converſandum, cum fornicariis; non enim ſignificat, ſe diverſum aliquid jam ſcribere, ut ſenſus ſit; At verò quod *ſcripſi vobis*, tale eſt, ut non commiſceamini: Si quis autem frater *nominetur*, & eſt aut *fornicator*, &c. Id eſt. Si quis cùm *frater* appelletur, id eſt, Chriſtiani nomen gerat, ſit *fornicator*, &c. Vel ſi quis *frater nominatus* fuerit *fornicator*, ſi eo nomine ſit diffamatus. Nam famoſi, more Scripturæ, nominati dicuntur, 1. *Marc.* 3. *Eccl.* 39. *Bar.* 3. cujuſmodi erat Corinthius, qui uxorem patris habebat. Non videtur ex Apoſtoli mente, ſententia judicis expectanda ad hoc, ut ejuſmodi frater vitetur. *Fornicator* eſt, qui mulieri copulatur extra conjugium. *Avarus*, qui rem alienam, vel aufert, vel detinet injuſtè. *Idolorum cultor*, qui baptiſmo & profeſſione Chriſtianus cùm ſit, ſive ex animo, ſive metu, ſeu placendi voluntate, ſeu quâvis aliâ ratione inductus in-

fidelium ſacris ſeſe admiſceret, ut vel idolum colat, opere ſaltem externo, vel de idolothytis edat: conſortium ejus ita vobis fugiendum eſſe, ut nec menſam cum eo habeatis communem. Rursùs his verbis excommunicationis pœna ſignificatur, minor tamen eâ, quâ plecti voluit inceſtuoſum illum. Quia plus eſt tradere Satanæ, quàm ſolâ conſuetudine & convictu eum privare: vitabantur autem à fidelibus etiam quorum minora erant crimina. 2. *Theſſ.* 3.

℣. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? Nonne de iis, qui intus ſunt, vos judicatis?*

Id eſt, de infidelibus qui ſunt omninò extra Eccleſiam. Prælati enim Eccleſiarum accipiunt ſpiritualem poteſtatem ſuper eos tantùm qui ſe fidei ſubdiderunt, 1. *Cor.* 10., indirectè tamen habent poteſtatem ſuper eos *qui foris ſunt*, in quantum propter eorum culpam prohibent fideles ne illis communicent: ex *S. Thom.* Nam & qui præſunt inter vos, id eſt, in Eccleſia Corinthiorum, tantùm eos qui in Eccleſia ſunt, judicant, ac puniunt, nempè Chriſtiani Chriſtianos.

℣. 13. *Nam eos, qui foris ſunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipſis.*

Nec ideò putetis eos *qui foris ſunt*, impunes futuros, aut melioris eſſe conditionis, quàm Chriſtianos, quòd à nobis non judicentur: habent enim Deum judicem & vindicem. *Heb.* 10. Deinde infert concluſionem principaliter intentam, *auferte malum*, ſcilicet hominem de veſtra ſocietate, ex *Deut.* 13. Quodque à *Moyſe* dictum de ſeparatione mortis corporis, refert ad abſciſſionem quæ animam attingit, id eſt, ad excommunicationem. Vel ut ſe quiſque corripiendo & corrigendo à ſeipſo auferat malum: ita *Beda*.

CAPUT VI.

Damnat avaritiam, quod judiciis contendebant apud infideles; & inter ſe.

℣. 1. *Audet aliquis veſtrùm habens negotium adversùs alterum, judicari apud iniquos, & non apud ſanctos?*

ARguerat Corinthios de negligentia judicii: nunc quædam alia reprehendit circa judicia: ùt quòd fideles ſibi ipſis conſtituant judices infideles pro ſanctis, id eſt, Chriſtianis, & injuſtos: & non confundantur, id vel animo concipere, quòd, cùm poſſint cauſam agere apud fideles, ſaltem ùt delectos arbitros; malint apud infideles judices experiri, non ſine ethnicorum ſcandalo, & Chriſtianæ religionis injuria: nam ſic Chriſtianorum detegebantur diſſidia, avaritia, injuriæ mutuæ. Loquitur autem de negotiis ſecularibus: nam negotia Eccleſiaſtica non debebant tractari apud infideles, utpote judices incompetentes: quando nec fidelibus laïcis competit de iis judicare. *Adversùs alterum*, ſcilicet fratrem. Nam ſi frater non erat is contra quem agebatur, non poterat ea lis terminari apud fideles; & inſinuat *Paulus*, eos meritò judices adhibendos, qui & profeſſione, & re *ſancti* ſunt. Unde ex hac Apoſtoli doctrina chriſtianis olim in more fuit, etiam tempore Chriſtianorum principum, ut ad Epiſcopos cauſas ſuas deferrent dijudicandas, ut ad concordiam redigerentur, quod

ſecit Auguſtinus, ùt refert *Poſſidonius in ejus vita* c. 19.

℣. 2. *An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis judicetis?*

Suadet ut aſſumantur judices *ſancti* ex eorum dignitate, *quoniam mundum judicabunt*, ex græco. Quod fiet extremo judicio non ſolâ comparatione, ſed etiam approbatione ſententiæ divinæ. Imò & qui Apoſtolicæ vitæ veſtigia ſunt ſecuti, judicabunt ùt aſſeſſores Chriſti ſecundùm ipſius promiſſionem, ùt diximus apud *Matth.* 19. Cùm ergo de maximis rebus ſint judicaturi, ùt per quos omnium impiorum vita condemnanda ſit; an non *indigni* cenſendi, qui præficiantur *minimis* judiciis? ùt cum diſceptatur de negotiis hujus ſæculi ſæpe frivolis, & exigui momenti.

℣. 3. *Neſcitis quoniam angelos judicabimus? Quantò magis ſæcularia?*

Amplificat ex dignitate Chriſtianorum, qui non ſolùm mundum, id eſt, homines, ſed etiam *Angelos* utique malos, id eſt, dæmones judicaturi ſint; omnes ſcilicet electi, non tantùm perfecti, ex *Tertul. lib.* de *pænit.* cap. 7. non ſolâ comparatione, ùt *Matth.* 12. *Luc.* 11. Sed quia cùm diaboli & Angelorum ejus victores fuerint, malitiam ejus & ſuperbiam, atque etiam imbecillitatem, coram toto mundo traducent: eique tanquam victo, & vili & contemptibili, & à Deo projecto, & in æternum damnato inſultabunt. Quæ res erit illis ſuperbis ſpiritibus maxima pœna. Faciunt autem hoc electi imitatione quâdam Chriſti. *Coloſ.* 2. *Sæcularia* vocat, quæ pertinent ad uſum hujus

vitæ, ùt eſt victus, veſtitus, agri, domus, pecunia, ſupellex, circa quæ verſantur quotidianæ lites. Quidam legunt *victualia.* Ad ſæcularium differentiam ponit *Angelos*, ex *Chryſ.*

℣. 4. Sæcularia igitur judicia ſi habueritis: contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.

Græcè, *ſedere facite.* Syrus, *eos collocate ad judicandum.* Contemptos ſeu *contemptibiles* non laïcos in univerſum intelligit, ſed eos qui in Eccleſia, id eſt, inter Chriſtianos ſive laïcos, ſive clericos minimi ſunt: aut certè inepti habentur ad majora & magis propria miniſteria Eccleſiæ. Tales potiùs vobis negotiorum ſæcularium judices arbitrarios deligite, quàm ut conferatis vos ad infidelium tribunalia. Quod comparativè dictum; docens hoc agendum potiùs, etſi parùm deceat, quàm ferendum, ut Chriſtiani litigent apud infideles. ex *Chryſ.*

℣. 5. Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum?

Ut confundam (inquit) vos dixi, ut pudor vos avocet. Adeòne non eſt vel unus *ſapiens apud vos*, qui poſſit judicando, ſive arbitrando, ſecundùm jus & æquitatem dirimere? *Sapiens* hìc intelligitur doctus & legum peritus, qui de negotiis ſæcularibus judicet, tametſi ſapiens non malè intelligatur abſolutè, ùt eſt Epiſcopus: ex *Eſtio.*

℣. 6. Sed frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud infideles?

Duplex eſt malum. Nam ſi etiam hoc malum eſt, ut *frater* adversùs fratrem judicetur, quantò magis, ſi etiam ſub infidelibus judicemini? ait *Oecum.* & *Chryſ.*

℣. 7. *Jam quidem omninò delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?*

Poſtquam ad judices retulit, quod eos concernebat, deinceps ipſum judicari vituperat. Delictum, græcè, ἥττημα, quod propriè ſignificat minorationem, dejectionem, ſeu defectum. Et ſenſus eſt, ex eo ſolo, *Delictum* ſeu minoratio *eſt in vobis, quod judicia habetis*: quia hæc, ne quidem coram judice fideli, haberetis, ſi ab iræ & contentionis affectu vos vinci non pateremini. Sunt, qui ex voce græca colligunt, Apoſtolum per *delictum* hic non intelligere peccatum propriè dictum, ſed imperfectionem contrariam perfectioni Evangelicæ, de qua Chriſtus agit *Matth.* 5. ℣. 10. & *Luc.* 6. ℣. 30. Verùm hæc perfectio, ſaltem ſub veniali ſecundùm animi præparationem, præcepta eſt; unde & imperfectio huic contraria veniale peccatum eſt: igitur ex Apoſtoli ſententia peccatum eſt in judicio juſtè ſua repetere, non quòd id per ſe malum ſit, ſed quia malum non unum, ſed multa ferè conjuncta habet, ut amorem inordinatum rerum temporalium, affectum iræ & contentionis, ſiniſtras ſuſpiciones, & judicia de fratre, detractiones, odia, acerbitates, malevolentias, jacturam temporis, pacis & tranquillitatis internæ; ex *Aug. Enchir.* c. 78. & *in Pſalm.* 80. & 118. Apoſtolus hoc loco non tam eos reprehendit, qui in jus ab aliis vocantur, quàm ipſos actores; quos primùm increpat, quòd *apud infideles* actiones ſuas inſtituerent, deinde hoc verſu, quòd *omninò* judicia haberent, ſeu lites facerent. Et excuſationem, quâ dicere poſſent, ſe injuriâ affectos à fratribus, rejicit dicens: *Quare non magis injuriam accipitis?*

℣. 8. *Sed vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus.*

Cùm Apoſtolus ℣. 6. & 7. increpaſſet Actores ex eo ſolùm quòd actionem, etiam juſtam, inſtituerent, hoc verſu graviùs objurgat injuſtos actores, qui injuſtis litibus fratres vexant. Et dicit, tantùm abeſt hoc, quod exigo, quodque, non præſtando, *delictum habetis*: ut ipſi ſitis injuriarum authores, idque *fratribus*, id eſt, fidelibus. Quod nec inimicis reddere deberetis: ex *Hier.*

℣. 9. *An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri,*

℣. 10. *Neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.*

Iniqui, id eſt, injuriam inferentes, injuſti, injurioſi. Nota Apoſtolum non dicere de iis, qui non ſinunt ſe potiùs injuriâ affici, & bonorum facere diſpendium, quàm judicio contendant, quòd regnum Dei non poſſidebunt; quamvis & illos delicti accuſet; ſed id ſolùm dicens de injuſtis. In quo innuit apertè diſcrimen venialium & mortalium peccatorum, quod negant hæretici. *Regnum Dei* intellige, quo Deus in futuro ſæculo regnaturus eſt. Cujus regni hæreditatem non conſequentur, quia non ſunt filii, ſolis enim filiis hæreditas debetur. *Errare* eſt, ſalutem ſibi promittere ex ſola fide ſinè operibus, cujus erroris author fuit Simon Magus, & impunitatem peccatorum credere: multipliciter, ut refert *S. Thom.*

℣. 11. *Et hæc quidem fuiſtis : ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.*

Hæc (inquit) multi habebatis, & eratis quidem hæc habentes : ſed puros vos reddidit Chriſtus : nec id ſolùm, verùm etiam ſanctificavit, verâ munditiâ poſitivâ & inhærente, quâ quis applicatur ad Deum : nec hoc tantùm, ſed & juſtificavit veram adeptos juſtitiam, quæ non aliud eſt, quàm interioris hominis rectitudo, præcipuè ſita in conformitate mentis ad legem Dei. Quòd declarat juſtitiam Chriſtiani non eſſe imputativam contra hæreticos: *In nomine*, id eſt, per meritum Domini & redemptoris *Jeſu Chriſti.* Tota enim juſtificatio & renovatio noſtra, à principio uſque ad finem & conſummationem, eſt ex merito paſſionis *Chriſti*, & ex virtute Spiritûs ſancti à Deo noſtro procedenti : ex *Eſtio.*

℣. 12. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt : omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate.*

Non poteſt hoc abſolutè intelligi. Sed eſt accommoda diſtributio, ſub hoc ſenſu. *Omnia mihi licent*, quæ divinâ lege non prohibentur. Et poteſt hoc referri primò ad judicia, quia unicuique licet omnia ſua judicio repetere. Secundò ad id quod infrà dicturus eſt de indifferenti uſu ciborum, ut ſit ſenſus. Licitum eſt mihi omnes cibos comedere, ad *Tit.* 1. Tertiò, ad id quod dicturus eſt infrà de ſumptibus accipiendis, ut ſit ſenſus. *Omnia mihi licent*, ſcilicet accipere ad neceſſitatem vitæ, ſicut coapoſtolis meis, *ſed non omnia expediunt.* Illud expedire dicitur, quod eſt ſinè impedi-

mento finem conſequendi. Contingit autem quod aliquid non totaliter excludit finem, ſed impedimentum aliquod adfert: ùt matrimonium non excludit à regno Dei, impedimentum tamen adfert: *Matth.* 19. Sic ſua in judicio repetere, indifferenter omnibus cibis uti, ſumptus accipere ab iis, quibus prædicatur, eſt quidem licitum, quia non eſt contra juſtitiam, nec aliquâ lege prohibetur: non tamen eſt expediens: vel quia impeditur pax ad proximum, vel infirmis ſcandalum aliquod generatur: vel aliqua maledicendi occaſio præbetur: unde *Eccleſ.* 37. *Non omnia omnibus expediunt. ex S. Thom. Omnia mihi licent*, &c. ſive ùt alii vertunt, *Omnium mihi poteſtas eſt, at ego non redigar ſub ullius poteſtatem.* Senſuſque eſt. Multa mihi licent, quæ tamen facere nolim, ne redigar ſub alienam poteſtatem. Sed hoc ad diverſas expoſitiones ſupradictas aliter, & aliter explicatur. Potui vos gravare ſumptu: verùm eâ poteſtate uti nolui, ne cuiquam veſtrûm devinctus viderer: ita *Gaign.* Vel non patiar me propter res pecuniarias, velut eſſem ſub earum poteſtate, abſtrahi quo minùs liberè & ſinè impedimento ſerviam Deo: quod non potero ſi tempus & cogitationes impendam litibus. Vel qui putant *Paulum* reſpicere ad fornicationem, gulæ filiam, ſic exponunt. Cùm ſim dominus cibi potûſque, committere non debeo, ut immoderatè illis utens, ſervus eorum pro Domino inveniar.

℣. 13. *Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc, & has deſtruet: corpus autem non fornicationi, ſed Domino: & Dominus corpori.*

℣. 14. *Deus verò & Dominum ſuſcitavit : & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.*

Ex Græco. *Eſca* ad ſedandum ventrem, & venter ad eas excipiendas factus eſt, ſed utraque *Deus deſtruet*, quando eorum uſum in reſurrectione abolebit; nam pro *deſtruet*, Græcè eſt, abolebit, & inanem reddet uſum illorum. *Corpus autem non fornicationi*, id eſt, factum eſt, ut fornicationi ſubjaceat, *ſed* ut *Domino* pareat, qui pretio ſui ſanguinis totum hominem ſibi ſervum mancipavit. Non ſervit autem corpus Domino, niſi ſanctum ſit, & purum ab omni immunditia. Oſtendit hic locus, etiam in ipſa copulatione carnali poſſe conjuges Domino ſervire, ſi, non ad turpitudinem, ſed ob finem à Deo inſtitutum, opus illud exerceant, ùt notat *Eſtius*. *Et Dominus corpori*, id eſt, Chriſtus ad hoc datus eſt hominibus, ut humana corpora ſuæ gloriæ conformet, *Phil.* 3. ita *S. Thom.* Alii totum hoc, *corpus Domino, & Dominus corpori*, referunt ad analogiam membrorum & capitis. Nos enim non ſolùm ſecundùm animam; ſed etiam ſecundùm corpus, membra ſumus Chriſti capitis, & per hoc ei ſubjecti atque conjuncti : viciſſim autem nobis Chriſtus conjunctus, & agglutinatus eſt, ùt caput corpori : ut ſenſus ſit, Chriſtum eſſe attributum corpori caput, à quo regatur, & motus accipiat. Et ùt *Deus Chriſtum Dominum ſuſcitavit* à morte ad vitam immortalem : ita & noſtra corpora donabit immortalitate, ut ipſa quidem ſemper vivant, ceſſet autem uſus membrorum, ad ea quæ ſunt hujus corruptibilis vitæ. *Rom.* 8.

℣. 15. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit.*

Scire debetis *corpora veſtra* eſſe *Chriſti membra*, quatenùs ſcilicet Chriſtus caput eſt myſticum, non modò totius Eccleſiæ, ſed etiam ſingulorum fidelium: nec ſolùm ſecundùm animas, ſed etiam ſecundùm corpora, quia corpus & animam de noſtro genere ſuſcipere dignatus eſt. Et comprehendit eos, qui fornicatione corpora ſua fœdabant. Unde colligitur non ſolùm bonos, ſed etiam malos Chriſtianos eſſe *membra Chriſti*, quatenùs adhuc ſunt in corpore ejus, quod eſt Eccleſia: non tantùm ùt partes, ſed verè ùt membra, certis in corpore miniſteriis aut actionibus deputata. *Eph.* 1. Unde oſtendit, gravitatem peccati ejus qui fornicatur, ùt qui Chriſtum caput ſuum contumeliâ afficiat, dum membra ejus ad fornicationem proſtituit, faciendo ea *membra meretricis*, ſeu fornicariæ mulieris. Neque tamen deſinere ex eo, eſſe membra Chriſti, ſed non viva, id eſt, per charitatem in Chriſto manentia. Propter corpus Chriſti, corpora noſtra membra ſunt Chriſti: & propter inhabitantem Spiritum Chriſti, corpora noſtra Templum ſunt Spiritûs ſancti. Quid horum in te contemnis? Chriſtum, cujus membrum es? An Spiritum ſanctum, cujus templum es? ait *Beda*.

℣. 16. *An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una.*

Efficitur, in græco, agglutinatur; glutinum enim unum ex duobus facere ſolet: ſic qui commiſcetur meretrici, ipſâ commixtione fit cum ea *unum* veluti *corpus*. Itaque ipſe & meretrix ſunt unius corporis quaſi duo membra

Hoc ſenſu dicit Apoſtolus, eum qui fornicatur, *membrum Chriſti*, id eſt, corpus ſuum, facere *membrum meretricis*: ſcilicet non ùt corporis, aut capitis, ſed ùt commembri ad *unum corpus* conſtituendùm, ùt *Rom.* 12. & *Eph.* 4. *Una caro*, id eſt, unum corpus: id enim præceſſerat, fornicantes unum corpus effici. Jam etſi verba *Gen.* 2. dicta ſint de conjugibus: benè tamen ea refert Apoſtolus ad fornicantes, ùt notat *S Thom.*

℣. 17. *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.*

Qui fide, charitate Chriſto Domino ſeſe agglutinavit, is quodammodò fit unus cum eò ſpiritus: nimirùm conjunctione ſpiritûs ſui, cum ſpiritu Chriſti, ùt *Act.* 4. Cæterùm hoc ſpirituali glutino, non adhæret Domino fornicator, utcumque per fidem mortuam ejus membrum ſit: ex *Eſtio.*

℣. 18. *Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.*

Cætera peccata vincuntur reſiſtendo, ſed vitium fornicationis vincitur fugiendo: quia quantò magis homo ibi cogitat particulare quid, magis intenditur. Vincendus hic hoſtis in fuga, more Parthorum. Ratio præcedens ſumpta fuit à contumelia quæ fit Chriſto, cujus membra ſumus, hæc verò ſumitur à contumelia, quam fornicator infert proprio corpori. q. d. Si injuria Chriſti non te movet, tua ſaltem ipſius te revocet ab hoc vitio. *Omne peccatum*, *quodcumque* admiſerit *homo*, *extra corpus eſt*: ùt ſuperbia, avaritia, acedia, ideò ſpiritualia vitia dicuntur: fornicatio autem completur in carnali delectatione, & ſic *qui*

fornicatur, in corpus ſuum peccat. Vel *in corpus*, id eſt, in uxorem, ùt *Eph.* 5. Vel in nos Chriſto conjunctos, tanquam cum eo unum myſticum corpus conſtituentes. Vel quia fornicàndo debilitat corpus, & vires exaurit: vel quia corpori ſuo facit injuriam, ùt qui ponit pro indiviſo rem nobilem cum re vili. Vel quia maculat & dehoneſtat illud, & contumeliâ afficit, excitans in eo brutalem ac fœdam libidinem, quâ nimirùm ita prorsùs abſorbetur animus, ut in eo actu nihil aliud cogitare poſſit; quod in aliis peccatis non contingit, ne quidem in gula & ebrietate, ex *Auguſt. lib. de nupt. & concup.*

℣. 19. *An neſcitis quoniam membra veſtra, templum ſunt Spiritûs ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri?*

Et doni magnitudine, & ejus, qui dedit, deterret. Nam *Spiritus* donum eſt: *habetis* autem hunc *à Deo.* Deus enim eſt qui dedit, & qui habitat in templo Dei, hoc eſt, in corpore veſtro, *& non eſtis veſtri* juris. Non tollit ipſam libertatem, ſed á malis arcet operibus. Dominum (inquit) habetis, tanquam ſervi, & nihil habetis proprium, ne ipſum quidem corpus: ita *Oecum.*

℣. 20. *Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.*

Non eſtis veſtri, qui *empti eſtis*, nempè ſanguine Filii ipſius, cùm redacti eſſetis in poteſtatem Satanæ: ideòque vos ipſos & corpora veſtra, tanquam rem pretioſam, debetis intemerata ſervare Domino veſtro. *Glorificate*, dicit, quia Deum ignominiâ afficit, qui templum ejus polluit: portat *Deum in corpore*, qui corpus totum obſequio Dei mancipat, ùt *Rom.* 6.

CAPUT VII.

Agit de matrimonio, & viduitate, ac cœlibatu.

℣. 1. *De quibus autem ſcripſiſtis mihi: bonum eſt homini mulierem non tangere:*

SCripſerant *Paulo* dubia quædam de matrimonio, de ejus uſu, & abſtinentia, quâ occaſione tradit neceſſariam valde doctrinam de matrimonio, virginitate & continentia. Primum dubium fuit, num ad vacandum orationi & pietati, ab opere carnali prorsùs eſſet abſtinendum, etiam iis qui mulieres, id eſt, uxores haberent. Vel quia erant Corinthi pſeudoapoſtoli, qui Chriſtianis factis & uxoratis rei uxoriæ interdicerent, quaſi damnabiles eſſent nuptiæ: eâ de re turbati Corinthii *Paulo* ſcripſerant, quibus (ùt ait *Gaig.*) ita reſpondet; præſtaret ſi per utriuſque conſenſum ac citra incontinentiæ periculum fieri poſſet, uxore ſuâ abſtinere. Vel *Bonum eſt* (inquit) ſeu pulchrum & eximium, & honeſtum, *uxorem non tangere:* ergo malum eſt *tangere:* infert *Hieron.* non quidem peccatum eſſe, ſed malum; quia tangere mulierem in ſtatu hujus corruptionis non contingit ſinè malo turpis & inordinatæ delectationis. Quod tamen malum excuſatur per bonum conjugii. Vel *bonum*, id eſt, *meliùs*, quàm tangere, ſicut *bonum* ſumi debet *Pſalm.* 117. ℣. 8. & 9. Et nota in uno ſexu alterum etiam intelligi: ex *Chryſ.*

℣. 2. *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.*

Id eſt. Quamvis dixi, *bonum eſſe homini mulierem*, etiam uxorem, *non tangere*: tamen *propter fornicationem* & omne genus immunditiæ vitandum, permittitur atque indulgetur (non præcipitur, ùt contendunt hæretici) ut unuſquiſque maritus ſuâ utatur uxore, eique commiſceatur, & unaquæque uxor ſuo marito; *habeat* pro utatur, ùt *c*.5., vel retineat, quam habebat antequam crederet, ex *Hier.* & *Chryſ.*

℣. 3. *Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro.*

Debitum græcè, debitam benevolentiam, quo honeſtiori nomine carnalis operis *debitum* vocat, puta fidelitatem, ac mutuum amorem & honorem: ex *Chryſ.* & *Oecum.* Propter fornicationem jam non in ſe vitandam: ſed à conjuge avertendam *vir debitum reddat* uxori, & *uxor viro*, intellige dum exigitur, & quoties infirmitas conjugis ob incontinentiam periclitantis id admonet, excepto legitimo impedimento: debitum vocatur, quia ex juſtitia debetur: ex *S. Thom.*

℣. 4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.*

Id eſt. Uxor non habet jus proprii corporis: ita ut ei liberum ſit pro ſua voluntate, vel continere, vel alteri ſe conjungere, ſed maritus jus habet corporis uxoris ſuæ, & contrà; ut proinde neutri liceat alteri conjugale debitum poſcenti denegare. Cùm igitur ad te tentandum meretrix acceſſerit, dicas non eſſe tuum corpus ſed uxoris, ait *Chryſ.*

℣. 5. *Nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi : & iterùm revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram.*

Id eſt. *Nolite* debitum negare (vel hinc conjicitur uxoratis loqui, alioqui quam fraudaret, qui uxorem non duxit ?) Sed tantùm *ex conſenſu mutuo* abſtinete vos interdum. Ex hoc autem quòd Apoſtolus dicit *ad tempus*, inferri non poteſt, illicitam eſſe conjugibus ex mutuo conſenſu perpetuam abſtinentiam: nam ex indulgentia addidit *ad tempus*, ſignificans non expedire Corinthiis, adhuc infirmis, & ab adoleſcentia carni deditis, in perpetuum ſe privare operi conjugali; etſi hoc foret laudabilius. *Ut vacetis orationi*, in Græco & Syro legitur, *jejunio & orationi*; per quæ oſtenditur, quodnam tempus abſtinentiam operis conjugalis depoſcat : id eſt, tempus orationis, ùt 1. *Pet.* 3. ad quam fideles publicè conveniebant, velut dominicis ac ſolemnibus diebus: Et nomine orationis comprehendit etiam Euchariſtiæ ſacrificium, cujus fideles participes fiebant illis diebus, quibus ſolemniter ad orationem conveniebant, ùt *Act.* 16. ℣. 13. illud comprehendunt Apoſtoli. Sic quidam accipiunt, ut à communione corporis Domini non impediami ni: ex *Hier. ad Pam.* c.6. Nam quicumque ſacrificio intererant, communicare ſolebant. Quare ſi qui quâcumque ratione inepti erant ad communicandum, iidem etiam à conventu & publica oratione ſeſe abſtinere debebant, & à loci ſacri ingreſſu : ex *Hier.* & *Gregor. ad interrogat. Auguſt. Anglorum Epiſ. reſ.* 10. Hinc colligitur ſacerdotibus uxores nec ducendas eſſe, nec habendas, ex *Hier. Et iterum,*

Id eſt, poſt orationem redite ad opus conjugale; quod ut faciatis, moneo propter incontinentiam veſtram, ne alioqui *Satanas* vos ſollicitet & inducat ad deteriora.

℣. 6. *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium.*

Declarat ſe ea dixiſſe, non ex præcepto, ſed ex permiſſione, quia ſolent minora quædam mala concedi ad vitandum majora. Ex hoc loco colligit *Auguſt. hom.* 50. cap. 7. & *epiſt.* 121. *ſerm.* 41. *de ſanctis* & 63. concubitum conjugalem quando fit per incontinentiam ſemper eſſe peccatum, etiamſi vitandæ fornicationis causâ fiat: ùt *Tob.* 8. & *in Enchir.* c. 78. Non ſufficit generandi cauſa, ſi non & ea referatur ad ſanctam prolis educationem, in qua, ùt ait *Tobias*, benedicatur nomen Dei.

℣. 7. *Volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum: ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic; alius verò ſic.*

Adeò non præcipio conjugium, unumquemque enim vellem ſeu cuperem eſſe, ùt ego ipſe ſum, id eſt, liberum à curis & actibus hujus ſæculi, impedientibus libertatem vacandi Deo, rebuſque divinis, cujuſmodi imprimis eſt actus conjugalis. Hinc conſtat, *Paulum* ab omni concubitu ſeſe continuiſſe, & in perpetua caſtitate vixiſſe, ex *Epiph. hæreſi* 58. *Hier. libr. de Virg.* cap. 8. *Auguſt. libr. de grat. & lib. arb.* cap. 4. *& Chryſ. & Theod. & Oecum. Tertul.*, *lib. ad uxorem* cap. 3. & *de exhortat. caſtit.* cap. 4. Et hæc optatio eſt de unoquoque homine, non de omnibus ſimul: aut id voluit voluntate antecedente, non conſequente, ſciens id non futurum: ex *S. Thom.* & 1. *Tim.* 5. Et de fideli-

N 2

bus ait, non unum omnia habere, ſed alios alia, quoſdam donum caſtitatis conjugalis, alios vidualis, alios virginalis. Indicat autem iis qui donum continentiæ, quâ omninò à concubitu abſtineant, ſentiunt ſe non habere, nec ad illud ſeriò niti volunt, paratum eſſe remedium ex conjugio, ſi non obſtet votum, 1. *Tim.* 5. Et ut donum agnoſcatur & author doni, & ab eo petatur; non dixit, *habet* propriam virtutem, ſed *proprium donum:* & addit, *ex Deo:* ex *Chryſoſt.*

℣. 8. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego.*

Oſtendit rurſum ſe eſſe de innuptis, inconjugatis, quos cœlibes vocant: neque enim meritò inter viduas quiſquam producet, cùm adoleſcens adhuc fuerit, quando vocatione ad Apoſtolatum dignus habitus eſt. Sub utroque autem nomine utrumque ſexum inſtruit, & de abſtinentia & conjugio; & de continentia in viduitate poſt obitum conjugis, ex *Oecum.* *Bonum*, id eſt, melius ac magis eligendum, ut maneant ſicuti ſunt, innupti & viduæ, quàm ut nubant: *Sicut & ego* virgo, innuptus, & inconjugatus maneo: hoc enim bonum eſt ſuo genere præſtantius, non abſolutè, ſed in hoc ſtatu corruptionis: nam in ſtatu integritatis primævæ, non erat melius: imò nec ſimpliciter eligendum: ex *Eſtio.*

℣. 9. *Quod ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere, quam uri.*

Id eſt. Si per infirmitatem carnis, ſe continere non poſſunt: remedio nuptiarum utantur. Neque hoc præceptum eſt, ſed indulgentia: neque ſtatim ſequitur quòd cuivis liceat nubere, non magis quàm in loco ſequenti, *ſi*

nupſerit virgo, non peccat, virgines ſacras non intelligit, ex *Gaig.* ſic neque hoc loco, ſacerdotio mancipatos, aut qui aliàs continentiam voverint. Non dicit ſi non poſſunt ſe continere, id eſt, quibus arduum & difficile: ſed *ſi non ſe continent*, tales enim monendi, ut nubant, qui à lege & voto continentiæ ſunt liberi, ex *Gregor. parte* 3. *paſtor.*, *admon.* 28. ùt 1. *Tim.* 3. & *Chryſ. lib. de virg.* c. 39. *Hieron. cont. Jovin. Auguſt. l. de bono vid.* quia melius eſt conjugem accipere, *quàm uri*, græcè, igniri, comburi. Utitur enim non, qui tentatur incentivo libidinis, ſed qui à tentatione ſuperatur: non qui ſentit, ſed qui conſentit. Quo modo uri igne dicitur, non qui calorem ſentit, ſed qui admoto igne læditur ac ſauciatur contra hæreticos. Sacerdotibus, & voto continentiæ adſtrictis non eſt melius nubere quàm uri: cùm velle nubere ſit iis damnabile. 1. *Tim.* 5. & ipſum nubere eſt *uri*. *Melius*, id eſt, magis tolerandum, ex *S. Thom.* Quidam uſtionem interpretantur de igne gehennæ, ut ſit ſenſus; *melius eſt nubere*, quàm ob vitam in fornicatione actam ardere in gehenna: ſic *Faber.*

℣. 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere:*

Poſtquam Apoſtolus in præcedentibus docuerat ea, quæ concernunt innuptos, hoc verſu conjugatos inſtruere incipit; & quia Chriſtus Dominus *Matth.* 5. & 19. *Marc.* 10. & *Luc.* 16. indiſſolubilitatem matrimonii palàm & expreſsè tradiderat, ideò hìc dicit, *præcipio non ego, ſed Dominus*, inſinuans hanc clariùs & expreſſiùs à Domino expoſitam eſſe, quàm ea, quæ ante de innuptis dixerat; quamvis tamen & hæc fundentur in doctrina, quam Chri-

ſtus locis citatis explicat. Et ne fideles, quæ à *Paulo* dicta videntur, qualia plura in hoc capite ſequuntur, merè humana eſſe putarent, in fine ſubjungit: *Opinor autem, quòd & ego ſpiritum Dei habeam.* Ex quibus omnibus diſcimus, Apoſtolos & eorum ſucceſſores quædam præcipere poſſe, quæ Chriſtus ipſe per ſe non præcepit. Porrò diſceſſum ſive ſeparationem, hìc intellige, quâ mulier virum ampliùs nolit habere pro marito, aut quâ fiat, ut ipſam vir habere nolit pró uxore: facto nimirùm quoad torum divortio: quod quidem fieri legitimè non poteſt, niſi propter fornicationem.

℣. 11. Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.

Græcè, *ſi verò & ſeparata fuerit* à viro, idque vel ſponte digreſſa, ſive propter ejus fornicationem, ſive propter aliud, vel ab illo dimiſſa ob quamcumque cauſam, maneat habens virum, etſi non commixtione, tamen affectu, ſic ut non adducat ſive adjungat ſibi virum alium. *Aut viro ſuo reconcilietur*: cum eo in gratiam redeat, correcto tamen, ſi illius adulterium cauſam dedit ſeparationis; nam ſi adhùc perſeverat, non licet mulieri redire. Cogetur etiam *innupta manere* propter quamlibet cauſam dimiſſa aut digreſſa, ſi vir eam recipere nolit, nec compelli poſſit ut recipiat. Innupta autem manere poteſt abſque reditu ad virum, ſi propter ejus fornicationem ab eo digreſſa fuerit: ſic enim agens utitur jure ſuo: Poterit tamen, imò debebit, charitate ſuadente, operam dare ut viro ſuo reſipiſcenti reconcilietur; ſi vel ſua, quod ſentiat ſe non poſſe continere, vel viri ſalus alioqui in diſcrimen

vocanda poſtulet ita fieri. *Et vir uxorem non dimittat*, niſi ob fornicationem : nam hæc Chriſti lex eſt. Et ſeparari ſive diſcedere æquè viro tribuit ac mulieri : ex *Eſtio*.

℣. 12. *Nam ceteris ego dico, non dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimitat illam.*

Ceteris, id eſt, Chriſtianis habentibus conjuges infideles; quibus ſcilicet ante fidem Chriſti ſuſceptam fuerant conjuncti : *ego* ſuadeo, hortor, moneo, non enim habeo præceptum Domini, quod iis annunciem : ita *Aug. lib. 1. de ſerm. Dom. cap.* 16. *S. Thom.* & *Sedul.* Juxta quos non præceptum, ſed conſilium eſt, ne fidelis conjugem infidelem dimittat, ſi conſentiat ſecum habitare. At numquam in Eccleſia permiſſum fuit, ut fidelis conjugem infidelem, cui in paganiſmo conjunctus fuerat abſque religionis injuria commanere volentem, à ſe dimitteret : ne confuſionis ac turbationis domorumque everſionis cauſa à vulgo judicaretur Dei cultus, inquit *Oecum.* Propterea prohibet *Paulus* eos qui nacti ſunt infideles, ne à cohabitatione dividantur. Neque enim de his legem ſtatuit, qui nondum contraxerunt matrimonium; ſed de his qui ad conjugia jam pervenerunt. Siquidem non dixit: Si quis vult accipere infidelem, ſed, *ſi quis habet*. Contingebat enim ut in conjugio unus crederet : alter non crederet. Alii, *cæteris*, ad ſuperiora referunt. & intelligunt *non nuptos*; nam de conjugatis proximè egerat : ut ſit ſenſus. *Cæteris* id eſt, *non nuptis*, *ego dico*, ſuadeo, *non Dominus* præcepit : & ſic quod ſequitur de fratre uxorem habente infidelem diverſum argumentum eſt : eatenùs tamen cohærens illis,

quæ dixit de conjuge non dimittendo, quia continet peculiarem caſum, quo poſſit conjux dimitti non obſtante Domini præcepto. Et veriſimile eſt de eo à Corinthiis conſultum fuiſſe: *Frater*, id eſt, fidelis Chriſtianus: baptizatus. *Infidelis*, id eſt, non Chriſtianus, cui fuerat in infidelitate conjunctus, *conſentit* cohabitare, intellige ſalvo religionis honore, citra contumeliam creatoris, extensâ tamen hâc locutione ad quamvis notabilem & permanentem injuriam Chriſtianæ religionis, ubi & ſtudium pertrahendi conjugem ad damnabile peccatum comprehenditur. *Non dimittat illam.* Præceptum eſt, non conſilium, & eſt legis naturæ divinitùs propalatæ. *Gen.* 2. *Et adhærebit uxori ſuæ.*

℣. 13. *Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum:*

Græcè. Et mulier quæ habet virum infidelem, & is conſentit, intellige ſinè religionis injuria, *non dimittat virum*, non ſe ab eo ſeparet, ſive dimittendo, illum à ſe, ſive recedendo ab eo.

℣. 14. *Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.*

Apoſtolus repellit timorem, quem fideles de conjugio cum infideli concipere poſſent, aſſerendo, vinci impuritatem adveniente puritate: *infidelis* enim cohabitando per *fidelem* conjugem *ſanctificatur*, non quòd infidelis ſanctus fiat, neque enim ita dixit; ſed *ſanctificatus eſt* conſolando partem fidelem, & ſe ita diſponendo,

ad fidei amorem & deſiderium: nam eo ipſo, quo infidelis toleret, nec reſiliat ab habitatione cum fideli, vicinum quidpiam agit, quo animus applicetur ad pietatem; ex *Oecum.* Sanctificare eſt præparare vel deputare aliquid ſacrum, ùt *Iſa.* 13. *Zach.* 7. Sic *ſanctificatur* conjux infidelis, acquieſcens habitare cum conjuge fideli, quia candidatus eſt timoris, ſancti ſcilicet & caſti, ùt ait *Tertul. lib.* 2. *ad uxor.* cap. 2. & candidatus fidei, ait *Hieron. lib.* 1. *cont. Jovin.* cap. 5. Dum enim Chriſto non maledicit, dum pia conjugis exercitia non impedit, dum ſignum crucis, domui vel thalamo præfixum æquis aſpicit oculis, dum patitur etiam filios imbui fide Chriſti, per hæc, velut purificationes quaſdam, quaſi præparatur ad Chriſtum, ſpem bonam oſtendens, futurum ut Chriſtianam religionem ipſe quoque ſuſcipiat, præſertim accedente ſanctâ & pacificâ converſatione conjugis fidelis, ùt 1. *Pet.* 3. Sed dices, igitur idipſum conſiderantes de fideli poterimus dicere, quòd tendat ad impietatem. At non eſt ſimile. Nam fidelis infideli cohabitans, fidei præceptum legemque complet, ut hoc modo & fidei magis concilietur, & ab infidelitate magis diſſideat: infidelis autem amore ſaltem erga cohabitantem devinctus conjunctionem non ſolvit, ſuæ infidelitatis legem non perficiens, ſed amore proſequens cohabitantem, per eum manuducetur quandoque ad ipſam fidem. Ipſum namque amare religioſæ legiſlationis eſt, & non impietatis: atque hoc quoque amore vicinus eſt, ut religioſus efficiatur & ſanctificetur per cohabitationem fidelis: hæc *Oecum. Chryſ.* & *Theop.* Alii putant Apoſtolum loqui de ea ſanctificatione, quâ quis *ſanctificatur* ab immunditiis, quibus Gentiles turpiter & contra naturam inquinari ſo-

lent. Videns enim conjux ſanctam & caſtam converſationem conjugis fidelis abhorrentis non adulterium modò, ſed etiam fœdas cum conjuge commixtiones, quæ vel uſum naturalem immutant, vel in menſtruo cruore fiunt, vel aliter torum conjugalem deturpant: ipſe quoque ex eo exemplo diſcit & aſſueſcit a talibus abſtinere, ſicque quodammodò ſanctificatur, ut 1. *Theſ.* 4. *Alioqui filii veſtri immundi eſſent.* De filiis adultis loquitur, qui ſanctiùs & caſtiùs inſtituuntur à parentibus ſimul habitantibus, ſi alter eorum fidelis ſit, quàm ſi, digreſſo fideli, maneant apud parentem infidelem; idque etiamſi ipſi filii nondum fidem Chriſti receperint. *Nunc autem ſancti ſunt*, in ſyro, *mundi ſunt*, id eſt, caſtè inſtituti ſunt. Hinc eſt, quòd idem Apoſtolus vult Epiſcopi filios (qui fortè, parente adhuc infideli, nati fuerant) ſubditos eſſe cum omni caſtitate & alienos ab accuſatione luxuriæ, quo vitio potiſſimùm laborant infidelium filii. Vel *immundi eſſent*, id eſt, cenſerentur pro adulterinis; utpote de matrimonio, quod diſſolutum eſt, nati. *Nunc ſancti ſunt*, id eſt, legitimi. Vel *immundi*, id eſt, infideles fierent potiſſimùm ii qui parentem ſequerentur infidelem; periculum enim eſſet ne in odium divortii ſeducerentur ab infideli parente relicto. *Nunc ſancti*, id eſt fideles ſunt. Hinc malè colligunt Calviniani, filios parentum fidelium non opus habere baptiſmo quo ſanctificentur, non enim ſanctificatio rerum vel hominum ſemper eſt conjuncta cum remiſſione peccatorum: ex *Auguſt. lib.* 2. *de bap.* cap. 23. 26. & *lib.* 3. cap. 12. & *Hieron. epiſt.* 1. 3.

℣. 15. *Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror in hujuſmodi: in pace autem vocavit nos Deus.*

Hoc eſt, ſi *infidelis* jubet, ut cum eo communices in infidelitate, aut niſi hoc facias, quòd ſeparabitur, *diſcedat*, inquit, meliùs eſt enim conjugium diſſolvi, quàm pietatem. Sunt qui ad res, non ad perſonas referunt, ut ſenſus ſit. Chriſtianus & Chriſtiana cum infidelibus copulati in hujuſmodi rebus, ſeu caſibus, cujuſmodi ſermo præcedens comprehendit, non ſunt ſubjecti ſervituti, ut vel innupti manere, vel cum conjugibus remanere, eiſve digreſſis reconciliari debeant. *In pace autem vocavit nos Deus*, hoc eſt, ſi ſeditioſus eſt, nec tecum habitare conſentit, noli illum retinere nolentem, quinimò, & tu diſcede, alioqui futuræ ſunt inter vos rixæ & diſſentiones. Et Chriſtiana religio ad quam à Deo vocati ſumus, non cogit nos ad hanc ſervitutem, quâ pax Chriſtiana turbetur. Alii ſic exponunt: Quamvis permitti poſſit ut diſcedat, nec diſcedentem proſequi tenearis: tamen providendum quantum in te eſt, ne diſcedat. Nam Deus pacem noſtram amat, & averſatur diſſidia. At contrarium videtur innui *Matth.* 10. & *Luc.* 14. Sed hæc lucta cum vitiis carnis & affectibus ſecum admittit pacem in Deo & Chriſto Jeſu domeſticam, ùt notat *Gaig.*

℣. 16. *Unde enim ſcis mulier, ſi virum ſalvum facies? Aut unde ſcis vir, ſi mulierem ſalvam facies?*

Hæc referri poſſunt ad id, quod proximè dictum erat de dimittendo conjuge infideli, ſi nolit abſque Chriſti injuria cohabitare; ſimul

ad id, quod ſubjunxerat, *in pace vocavit nos Deus*; ut ſit ſenſus. Non eſt, quòd illum ſpe ejus convertendi, retinere ſtudeas cum tanto pacis diſpendio: res enim admodùm incerta eſt. Itaque potiùs tuâ libertate utere, ac ſine eum diſcedere: ne, dum tu niteris illum attrahere, ille te trahat. Alii ad ſuperiora, ubi docuit infidelem conjugem non eſſe dimittendum, ſi *conſentiat habitare*, ut ſit ſenſus. Si infidelis vult tecum permanere, nec pacem Chriſti turbat, fortè eum ad Chriſti fidem pertrahes, ſicque eum ſalutis, quæ eſt in Chriſto, participem facies, qui perſeverans illa, & pacifica cohabitatio bene ſperandi de eo materiam præbet, & ideò non debes eum dimittere. *Salvum facies*, id eſt, fidelem facies, quia per fidem juſtificamur & in via ſalutis conſtituimur.

℣. 17. *Niſi unicuique ſicut diviſit Dominus, unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet, & ſicut in omnibus Eccleſiis doceo.*

Pro *niſi*, *Oecumenius*, legit *An non*, ut hæreat cum præcedenti interrogatione. Ut ſit ſenſus. Aut qui noſti vir utrum uxorem ſalvam facies, an non? incertum eſt enim quid futurum ſit, cùmque incertum ſit, non oportet ſolvere conjugium. Etenim ſi ſalvam non feceris, nullum patieris detrimentum: ſi verò ſalvam feceris, & juvabis, & ipſe juvaberis: ita *Oecum.* Alii referunt ad diſcedentes. Et ſenſus erit. Unde *ſcis vir, ſi mulierem ſalvam facies*? niſi fortè Deus, prout variè ſua dona partitur, quempiam ſeu virum ſeu mulierem eâ gratiâ dignetur, ut conjugem infidelem, etſi religionis nomine ſibi moleſtum & gravem, ac divortium facere volentem, retineat, retentumque patientiâ, monitis, & obſequiis evincat, Chriſto-

que lucrifaciat, & ad ſalutem adducat. Hâc parte ſic intellectâ ſignificatur, fidelem præcepto non teneri ad dimittendum conjugem infidelem diſcedentem, ùt ſuprà, ſed retinere poſſe cum ſpe lucrifaciendi eum Chriſto. *Unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet*, id eſt, conditionem hominis baptiſmus aut fides non mutat. Si ſervum reperit, ſervitutem non excutit: ſi uxoratum, uxorem non rejicit, modò in pace, & ſinè Chriſti contumelia vivat: ne mutatio ſtatûs occaſione religionis factâ, pariat offenſionem, ipſamque religionem reddat odioſam. *Et ſicut in omnibus Eccleſiis doceo*. Græcè, *Et ſic in omnibus Eccleſiis ordino*, id eſt, ambulet in ſua vocatione, ut non ſolùm vobis, ſed omnibus Eccleſiis doceo ambulare: Chriſtianiſmum non cogere ad mutandum vitæ ſtatum: nec niſi magna ratio cogat mutandum eſſe: ex *Beda*.

℣. 18. *Circumciſus aliquis vocatus eſt? Non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus eſt? Non circumcidatur.*

Id eſt. Quiſpiam priùs *circumciſus*, utpotè Judæus aut proſelytus, *vocatus eſt* ad fidem? ne ſibi curet attrahi præputium. Erant enim Judæi, quos ob Gentes præfectæ pelliculæ puderet, atque ideò medicamentis eam ſibi ſarciendam curarent, ùt docet *Epiph.* Vult autem his verbis *Paulus*, nullum diſcrimen eſſe inter fideles, ſive ex circumciſione, ſive ex gentilitate vocati ſint ad fidem: ex *Gaig.*

℣. 19. *Circumciſio nihil eſt & præputium nihil eſt: ſed obſervatio mandatorum Dei.*

Id eſt. Illa nihil conferunt ad juſtitiam & ſalutem, ideò non ſunt affectanda. Sed *mandatorum obſervatio* aliquid confert ad juſtitiam & ſalutem, ùt *Matth.* 19.

℣. 20. *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.*

Id eſt. Nemo factus Chriſtianus prohibetur manere in ſtatu in quo erat, quando vocatus eſt ad fidem Chriſti: nec verò mutare eum debet niſi juſtâ ratione; & ita quidem ut non turbetur reſpublica, nec charitas proximorum lædatur.

℣. 21. *Servus vocatus es? Non ſit tibi curæ: ſed & ſi potes fieri liber, magis utere.*

Ne doleas te qui jam religione Chriſtianus es, adhuc conditione ſervum eſſe. Ne ſis de illa ſervitute excutienda anxius, quin etiam vel ſi eximi ab ea potes, *magis* eâ *utere*, id eſt, in uſum aliquem eam confer. Scilicet ad tuam exercitationem & domini tui ſalutem. Vel ſi potes fieri liber, potiùs utere libertate tanquam bono per ſe deſiderabili: ex *Syro*. Hos locos de ſervo & libero, circumciſo & incircumciſo, de nuptis & innuptis, ut ſervi & circumciſi ſint nupti: incircumciſi verò & liberi, innupti, interpretatur *Hieron.*

℣. 22. *Qui enim in domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt domini: ſimiliter, qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti.*

Docet ſervi & liberi parem eſſe conditionem in Chriſto, quia & ſervi liberti ſunt Chriſti, quia ab eo redempti. Libertus dicitur, qui à Domino manumiſſus & ex ſervo factus eſt liber: quales Chriſtiani, qui ex ſervitute peccati & diaboli in libertatem Dei & gratiæ ſunt aſſerti: ex *Chryſoſt.*

℣. 23. *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum.*

Magnum & inæſtimabile pretium ſignificat,

nempe pretio ſanguinis ejus unigeniti, emit vos Deus Pater; vel pretio ſanguinis ſui vos emit Chriſtus; & ſervos ſuos fecit: igitur *nolite fieri ſervi hominum*: id eſt, ne vos ita ſubjicite hominibus, ut Chriſto Domino debitum ſubtrahatis obſequium & ſervitium. Sunt qui partem hanc ad ſolos liberos referunt, ut ſit ſenſus. Ne libertatem veſtram commutetis in ſervitutem, quantum per vos fieri poteſt: ſed manete in bono libertatis, quod habetis: ex *Chryſ.*

℣. 24. *Unuſquiſque in quo vocatus eſt, fratres, in hoc permaneat apud Deum.*

Repetit jam tertiò ſuam propoſitionem, concludens unicuique in ordine, ſtatu, conditione, quâ ad fidem Chriſti vocatus eſt, manendum eſſe; verùm id ſalvâ fide & obſequio, quod Deo debetur.

℣. 25. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis.*

Redit ad doctrinam de virginibus intermiſſam, ℣. 12.; & quoniam hæc ſtrictior videatur, timens illam purè nudiſque verbis jubere, caſum veritus eorum qui aggrederentur, idcircò non tanquam *præceptum*, ſed quaſi *conſilium* tradidit illam. Oſtendit hic locus non omnia bona quæ facimus eſſe præcepti, ut contendunt hæretici: ſed quædam eſſe conſilii, ad quæ nimirùm fideles abſolutè non teneantur, ex aliquo Dei præcepto. *Miſericordiam conſecutus*, id eſt, gratiam Apoſtolici muneris in Gentes conſecutus ſum à Domino, ut fideliter illis conſulam, ſeu ut ſim fidelis præco, ſeu concionator, datorque conſilii. Vel hoc dicit, ut conſilium non alienum exiſtimemus à Domino, ut ait *Beda*.

℣. 26. *Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.*

Bonum, eximium, præclarum, pulchrum, Bonum honeſtum propter puritatem, delectabile propter libertatem, utile propter mercedem, quia ei debetur fructus centeſimus. *Propter inſtantem neceſſitatem*, vel moriendi; vel propter perſecutiones, quas faciliùs ferunt & expeditiùs fugiunt, qui conjugem & liberos non habent. *Matth.* 24.; vel moleſtias & incommoda hujus ſæculi, quæ plurima fert ſtatus conjugalis; quas vocat tribulationes carnis. *Neceſſitatem*, ſubintelligitur evitandam ùt impedimentum, quo minùs quis liberè & expeditè poſſit Deo ſervire: talia enim ſunt incommoda ſtatus conjugalis. Hoc verò, quod dicit *bonum eſſe homini*, tam mari quàm fœminæ, eſt *ſic eſſe*, ſic permanere, ſcilicet ut ſint ſinè conjugio in virginitate. Duplex bonum eſt & ſollicitudinibus mundi carere, & virginitatis præmium expectare, ait *Hieron.*

℣. 27. *Alligatus es uxori? Noli quærere ſolutionem. Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem.*

Ut qui *alligatus eſt*, non debet *quærere ſolutionem*, ita is qui ſolutus eſt, vel quia nondum ligatus fuit; vel quia ſolutus eſt à vinculo quo ligatus erat, non debet iterato vinculo uxoris colligari. Quòd ſi à conjugio liber es ne quæras uxorem, id eſt, non te hortor ad conjugium, ſed magis hortor, & conſulo ut ſic permaneas: hoc enim bonum eſt. Sed quia non omnes capiunt verbum hoc, iis qui non capiunt conſulendo dicitur, ſi non ſe continent, nubant, ùt 1. *Tim.* 5. Ita vult ſolutos

non ligari, quomodo nec ſolvi diſſidio ligatos admittit, ait *Hier.*

℣. 28. *Si autem acceperis uxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi. Ego autem vobis parco.*

Corrigit & explanat, quod dictum eſt, veritus auditorum imbecillitatem, ùt qui non capiebant virginitatem. Vel conjungenda ſunt hæc cum ſuperioribus, *bonum eſt homini ſic eſſe.* Attamen *ſi duxeris uxorem, non peccaſti.* Virginem hoc loco appellat, non eam quæ Deo conſecrata eſt, ſed innuptam puellam. Nam quæ Deo conſecrata eſt, *ſi nupſerit*, Chriſto reddit adulterum eum cui nubit: ex *Hieron. Chryſoſt.* & *Oecum. Hujuſmodi*, id eſt, virgines, & in univerſum cœlibes, ſi conjugio ſe jungant multas ſecundùm carnem moleſtias habebunt. Scilicet parturientum dolores, liberorum educandorum ſollicitudines, à quibus liberi ſunt cœlibes: ex *Chryſoſt.* & *Gaig.* Cùm dico non peccare eos, qui matrimonium contrahunt, id dico parcens veſtræ infirmitati: Vel *vobis parco*, id eſt, veſtri miſereor tanquam filiorum, nolens ſi fieri poſſet, in has vos moleſtias indicere. Vel nolo pluribus referre conjugii incommoda, ne etiam incontinentes cum periculo ſuæ ſalutis abſterreantur à conjugio. Vel *vobis parco* virginibus, ut minori labore majorem poſſitis implere juſtitiam, ait *Hieron.*

℣. 29. *Hoc itaque dico, fratres: tempus breve eſt: reliquum eſt, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes ſint:*

Quoniam dixit, *tribulationem* tamen *carnis habebunt:* ne quis dicat, atqui etiam volup-

tatem habebunt, vult ut ſi quâ eſſet voluptas in hujus mundi rebus, non multùm afficiantur propter temporis brevitatem: vel cogitent quàm citò tranſeat hoc ſæculum; ita fiet, ut de uxore ducenda, deque rebus hujus ſæculi curandis, quibus animus à Deo avocetur, cogitare minùs libeat. Quo pacto fiet, ut ſint *tanquam non habeant*: in hoc quod non obſequantur ad ſtultas mundi concupiſcentias: aut quod intendit etiam *Paulus*, ut circa commixtionem abſtinentes ſint, ut magis ſuadeat non nubere, ait *Hieron.*

℣. 30. *Et qui flent, tamquam non flentes, & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non poſſidentes:*

Ob temporis brevitatem (inquit) omnia quæ nonnullis in magna ſunt cura, debemus ducere tanquam non eſſent. Et ita habere uxorem & gaudere ac lugere, & rebus emptis non ita diſtineri, quaſi illas perpetuò poſſeſſuri.

℣. 31. *Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.*

Græcè, *tanquam non abutentes*: Nam uſum vitioſum ſignificat, ut ſenſus ſit. *Qui* rebus mundi *utuntur*, non immoderatè, nec perversè utantur, quod eſſet abuti, ex *Theod.* Vel utantur obiter, ac velut in tranſitu, quantum fert neceſſitas, eoque modo ſint quaſi non utentes. Totus enim hujus mundi habitus, ſpecies, ac ſtatus, ſecundùm quod venit in uſus noſtros, tranſitorius & fugax eſt & labilis: Vel *præterit*, abit ex Græco, ùt *Pſ.* 128. & 143. *Matth.* 20. *Joan.* 9. non rerum ſubſtantia, ſed qualitas & figura, ùt *Matth.* 24. 1. *Pet.* 3. *Vel decepit*, fallit blanda ſpecies rerum hujus mundi; ex *Beda.*

℣. 32. *Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodò placeat Deo.*

Per curæ differentiam ad virginitatem adhortatur: nam curare ea, *quæ Domini ſunt*, non eſt ſollicitum eſſe, ſed eſt ſalus, unde ſuperiùs dicit, *Cupio autem vos abſque ſollicitudine eſſe*, ait *Oecum.*

℣. 33. *Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.*

Qui cum uxore eſt, implicatur, velit, nolit, curis hujus mundi, quas ſecum trahit matrimonii ſtatus; & eſt diſtractus curis quaſi contrariis, dum hinc nititur curare, *quæ Domini ſunt*, quatenùs Chriſtianus eſt: inde cogitur curare, *quæ ſunt mundi*, quatenùs eſt conjugatus. Et fit *diviſus*, quia duorum quaſi dominorum ſervus, Chriſti & uxoris, ad diverſa vocantium: ex *Eſtio.*

℣. 34. *Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini ſunt: ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.*

Sic diviſæ ſunt ac differentes inter ſe ſtudiis & curis *nupta* mulier & *virgo*, ſeu mulier innupta: nam *mulier innupta*, ſpecialiter, *virgo*, quòd à curis conjugalibus libera ſit, tota ſinè impedimento vacare poteſt ad ea quæ ſunt Chriſti. *Ut ſit ſancta corpore*, id eſt, ut corpus habeat & conſervet mundum à fœditate libidinis, ſinè qua non eſt actus conjugalis. *Sancta ſpiritu*, ut ad munditiem corporalem etiam animi puritas accedat, quâ mulier hujuſmodi Deo propinquior, & ad ea cogitanda quæ

Domini ſunt aptior redditur, & eminentior ſanctitas commendatur: ut quæ prorsùs aliena ſit ab opere & voluptate carnali: ex *Aug. l. de bono viduit.* c. 5. & 6. & *de bon. conjug.* c. 12.

℣. 35. *Porrò hoc ad utilitatem veſtram dico: non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.*

Senſus eſt. Quòd tantoperè virginitatem vobis commendo, *ad utilitatem veſtram* facio, *non ut laqueum*, id eſt, neceſſitatem vobis imponere velim continendi, ſed ùt ſuperiùs declaravi, ut vos adhorter ad *id quod honeſtum eſt*, ſeu decorum eſt, &c. Græcis quoque aliquid ſupplendum eſt, quorum ad verbum ſenſus eſſe poteſt. Sed ut vos invitem, ſubintellige, ad honeſtatem & indivulſam immobilemque Domini aſſidentiam; id eſt, ut vos adhorter honeſtè vivere, & in Domini obſequio *ſinè impedimento*, id eſt, *ſine diſtractione* aſſiduos eſſe: ſic *Gaig.* quomodo non ſinè myſterio hujus rei ſignificandæ Domino aſſidebat Maria Marthæ ſoror, *Luc.* 10.; ideò magis placet lectio, *Dominum obſervandi.* Nam qui Dominum obſervat, aſſiduus ei eſt & adhærens & pendens ab ore vel præcipientis, vel docentis. Non commixtio mala eſt, ſed ad ſapientiam impedimentum, ait *Chryſ.* quatenùs ſcilicet affectus & curæ conjugales multiplicem adferunt diſtractionem.

℣. 36. *Si quis autem turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quòd ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, ſi nubat.*

Quia dixerat, ſe hortari ad id quod honeſtum eſt: ne quis dicat, inhoneſtum ſeu indecorum

haberi, quòd virgo jam adúlta non detur nuptui; ad id reſpondet de patre ſeu de cuſtode virginis loquens; *Si quis* indecorum putat virginem ſuam eſſe plus æquo nubilem, tradat eam viro: neque enim ſic peccat ſi eo authore nubat filia. Et cùm ait, *non peccat*, ſignificat non eſſe magnum bonum nubere, ut à quo tantùm peccatum removeat; ex *Eſtio*.

℣. 37. *Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo, ſervare virginem ſuam, benè facit.*

Id eſt. *Qui* certò apud ſe *ſtatuit* non collocare nuptui filiam, cùm pro arbitrio id poſſit nullâ neceſſitate ad eam ſecum retinendam adactus, bene ac laudabiliter facit. Nota in voluntate patris etiam intelligi voluntatem filiæ, ſinè qua conſtare non poſſet ejus matrimonium, cùm tamen iſta libertas à voluntate filiæ dependeat: & prudentes eſſe oportet parentes, ut hac in re nihil ſtatuant, niſi bene perſpectâ voluntate & propenſione filiæ.

℣ 38. *Igitur & qui matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit: & qui non jungit, meliùs facit.*

Rem bonam facit pater, qui filiam ſuam elocat in matrimonium, dum conſulit pudicitiæ filiæ ſuæ, ac ſuæ famæ: & quia matrimonium res ſecundùm ſe bona eſt, inſtitutionem habens à Deo. Et qui non elocat nuptui, facit rem meliorem & præſtantiorem ſuo genere, & vim habet conſilii. Quòd dicit, *meliùs facit*: id intellige pari ratione de ipſa filia nubente vel non nubente, & de viris & fœminis contrahentibus matrimonium, vel ab eo

abſtinentibus. Et ex hoc deſtruitur error Hæreticorum, qui matrimonium æquant virginitati: ex *Eſtio.*

℣. 39. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit. Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat: tantùm in Domino.*

Ligata eſt lege matrimonii, ut diſcedere à ſuo viro & alii nubere non poſſit, ùt. *Rom.* 7. Hinc docent Theologi inſolubile eſſe matrimonium utroque conjuge vivente: ex *Chryſ. ſerm. de libel. repudii. Quod ſi dormierit*, id eſt, ſi mortuus fuerit, libera eſt ad nubendum cui voluerit: Hinc ſecundæ & ulteriores nuptiæ non improbantur contra *Cataphry.* & *Navar.* & *Tertul.* Rectè etiam ex verbis, *ſi dormierit*, non teneri mulierem ad recipiendum virum à morte reſuſcitatum, ait *S. Thom. Tantùm in Domino*, id eſt, ſecundùm legem Dei, quæ præcipit, ut cum temperantiæ & ſuſcipiendæ prolis ſtudio matrimonium contrahatur; non ex impetu libidinis. Vel intelligitur, aut Chriſtiana permanens, id eſt, Chriſti religionem occaſione novi conjugii non deſerens, aut Chriſtiano nubens, non infideli. Hinc docent Theologi, illicitas eſſe ac lege divinâ ſeu apoſtolicâ prohibitas nuptias fidelium cum infidelibus, ùt 2. *Cor.* 6. Quòd ajunt de S. Monica, & de Clothilde regina, id factum vel ignorantiâ legis, vel legis interpretatione certis caſibus non obligantis: ex *Eſtio.*

℣. 40. *Beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium: puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam.*

Sic, id eſt, ſinè viro. *Beatior* non ob præſentis vitæ commoditatem, quia moleſtiis con-

jugii careat, ùt ait *Eraſmus*; ſed beatitudine ſpirituali inchoatâ, & promovente ad illam, quæ in futuro ſæculo perficienda ſperatur. *Beatior* ergò vidua ſi ſic maneat, quia non cogitat, quæ mundi ſunt, quomodo placeat viro. *Secundùm meum conſilium*, id eſt, ego cenſeo, & conſulo, & jam ante conſului, beatiùs & meliùs eſſe innuptis, ut ſinè viro permaneant. Hinc conſtat vidualem caſtitatem anteponendam conjugali. *Puto* me quoque, ùt alios Chriſti Apoſtolos, *ſpiritum* Dei habere, quo poſſim bona conſilia fidelibus dare. Vel ne mea conſilia tanquam humana contemnatis, ait *Hier.*

CAPUT VIII.

Arguit promiſcuè cum fratrum offendiculo in idolorum menſa veſcentes.

℣. 1. *De iis autem, quæ idolis ſacrificantur, ſcimus quia omnes ſcientiam habemus. Scientia inflat, charitas verò ædificat.*

ERant Corinthii nonnulli perſuaſi à pſeudoapoſtolis, qui exiſtimarent nefas eſſe veſci carne idolis immolatâ, quam ideò idolothytum vocant. Erant contrà perfectiores, qui nihil exiſtimabant ulli cibo propter idolum accedere vel decedere, & ideò templa idolorum ingredientes cum illorum ſacrificiis edebant: quod cùm à præſtantioribus fieri viderent, infirmiores illorum cœnis aderant, veſcentes quoque de idolothyto, ſed nonnihil numinis in eo eſſe credentes. Carpit ergo perfectiores *Paulus*, quòd cùm gloriarentur, ſe ſcire nullam in cibis fore diſ-

cretionem, interim puſillis ſcandalo eſſent, oſtendens parum prodeſſe illis hujuſmodi ſcientiam (de ea enim loquitur) niſi charitas eos à proximorum ſcandalo avertat: ita *Gaig.* Vel generaliter de ſcientia loquitur. Sed eam conſiderat ſolam & ſinè charitate: ſic enim *inflat*, quomodo & litera occidit: & lex auget prævaricationem ſinè gratia, *Rom.* 5. Itaque cùm charitate non munitur, vertitur in ſtultitiam & arrogantiam, ait *Chryſoſt.* & *Beda.* *Charitas verò ædificat.* Hoc eſt: charitas facit, ut homo non contentus ſuo bono, ſtudeat bono communi, id eſt, proximorum etiam ſaluti.

℣. 2. *Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum ſcire.*

Rurſùm alio modo ipſos carpit. Non ſolùm, inquit, communis ſcientia inflat, quæ eſt ſinè charitate: ſed neque perfecta eſt, quemadmodum eſſe oportet, ac ſi diceret. Nondum quidquam perfectè noſtis, etſi noſſe videamini, quare ergo tantùm extollimini? Non tantùm de his, quæ propoſita ſunt, ſed neque de ulla re nunc perfecta eſt notitia.

℣. 3. *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo.*

Hoc eſt. *Si quis* habet charitatem, quâ Deum diligat, & conſequenter proximum, ſtudens ſcientiam ſuam & cæteras dotes divinitùs acceptas ad Dei gloriam conferre & fratrum utilitatem; *hic* demum aut dumtaxat *cognitus eſt* a Deo, id eſt, à Deo dilectus, ac Deo placens, cùm prior ille in ſua ſcientia ſibi, non Deo placeat. Significatur enim notitia approbationis, ut cap. 13. & *Gal.* 4. Sic enim & hoc loco ſentit eum, qui ſcientiæ ſuæ charitatem conjungit, non ſolùm cognoſcere Deum, ſed etiam

cog-

cognitum eſſe à Deo, cùm is, qui ſcientiam habet ſinè charitate, Deum quidem & res divinas cognoſcat, non tamen viciſſim à Deo cognoſcatur, aut cognitus ſit, ſed cum malis prophetis & miraculariis auditurus ſit à Domino; *Nunquam novi vos*, *Matth.* 7. Nota *Paulum* non dicere, cognoſcitur à Deo, ſicut dixerat, *diligit Deum:* ſed *cognitus eſt*, utique ad commendandam gratiam Dei prævenientem, & ipſam prædeſtinationem æternam; quæ cauſa eſt, ut homo Deum diligat in tempore; ac ſic dicat: *Si quis Deum diligit*, ideò diligit, quia *cognitus eſt* à Deo, id eſt, ad hoc præcognitus, prædilectus, prædeſtinatus; ex *Eſtio.*

℣. 4. ***De eſcis autem, quæ idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idolum in mundo, & quòd nullus eſt Deus, niſi unus.***

Redit ad declarandam ſcientiam, quam Doctores habebant de idolothytis. q. d. Ut quid inflati eſtis? non veſtra eſt hujuſmodi cognitio, quòd ne ſint quidem idola, hoc eſt, *nihil* ſint, nullius ſint momenti: quid enim eſſent ligna & lapides? Omnes hoc novimus, & non vos ſoli. *In mundo idolum nihil eſt*, hoc eſt, nihil eorum, quæ ſunt in mundo, eſt idolum. Sed vani effecti inventio eſt, & imaginatio: ideò in ſolis hominum mentibus idolorum ſubſtantia ſedem habet, cùm in nullo alio poſſint habere exiſtentiam. Quia quamvis idolum, ſi ſpectes materiam, figuram, colores, ſit aliquid, non tamen formaliter, quatenùs idolum: quia nihil eſt in genere ſigni relati ad rem ſignificatam: quippe cùm res quæ per idolum ſignificatur, nulla ſit. Nam etſi exiſtant ſol, luna, vitulus, & hujuſmodi plurima, quæ ſtulta Gentilitas coluit pro Diis: etſi quoque

fuerint olim homines, Saturnus, Jupiter, atque alii, quos ethnici in Deos retulerunt: non tamen illi reverà Dii ſunt, aut fuerunt umquam. Jam ex eo quod ſcitur idolum nihil eſſe in mundo, relinquit intelligendum Apoſtolus, illud etiam ſcire, quod affirmat infrà *cap.* 10. idolothytum nihil eſſe, quatenùs ſcilicet idolo conſecratum, aut immolatum eſt, ut ab eo poſſit immutationem aliquam ſuſcipere, vel in melius, vel in deterius, quare ut ſanctificare edentem non poterat, ita nec contaminare. Atque hæc erat ſcientia, quâ inflati quidam idolothyta liberè edebant, etiam coram infirmis. Porrò ſicut idolum nihil eſt, ita & omne illud quod pro Deo colitur, & non eſt Deus, pari ratione nihil eſt. Et illud ſcimus nullum alium eſſe Deum, præter unum verum Deum. Et ſi unus tantùm eſt Deus, igitur idolum nihil eſt, utpote ad hoc effectum, ut alium Deum repræſentet: ex *Chryſ.*

℣. 5. *Nam etſi ſunt qui dicantur dii ſive in cælo, ſive in terra (ſiquidem ſunt dii multi, & domini multi:)*

Cùm unitati Dei, quam aſſeruit, obſtare videretur multitudo Deorum ubique receptâ, timendum erat, ne doctrina de unitate Dei, ſi nimis apertè, ùt communi opinioni contraria, proponeretur, græcos omnes ſtatim offenderet; ideò Apoſtolus hoc verſu præoccupat ipſorum animos, dicens: *Nam etſi ſunt, qui dicantur dii*, ſcilicet ab hominibus à veri Dei notitia alienis; id eſt, Dii nomine & appellatione, non veritate. Nam aut ſunt *in cælo*, puta ſol & luna: aut *in terra*, quales apud eos ſunt Heroës. Quanquam igitur in cælo & in terra græci *multos* habeant *Deos ac Dominos*: nobis tamen *unus eſt Deus*. *Cyril.* dicit Angelos ſecundùm

gratiam deos vocatos eſſe; & ùt dicti ſunt principatus & poteſtates, ita & dii. Quomodo ſunt dii multi à communi ſenſu, repete, *qui dicuntur*. Nam ſunt (inquit) apud Græcos *qui dicantur dii ac domini*, nobis tamen unus eſt Deus & unus Dominus: ex *Chryſ.*

℣. 6. *Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.*

Nobis, id eſt, fidelibus, qui de Deo rectè per fidem inſtituti ſumus, ideòque & ſecundùm veritatem, unus tantùm *eſt Deus*, ſcilicet *Pater*, *ex quo*, vel à quo tanquam à primo authore, ſeu principio ſunt *omnia*, id eſt, res omnes adeò diverſæ, nimirùm per creationem. Non enim filium intendit hâc voce, *omnia*, comprehendere, nihilò magis quàm in eo quod ſtatim poſt dicit, *per quem omnia*. Et tria tangit; eſſentiam, quia *unus Deus*: perſonam, quia *Pater*: potentiam, *ex quo omnia*: clementiam, quia & nos in illo, ùt notat *S. Thom.* *Nos in illum*, quatenus ad Deum, ùt finem ultimum conditi ſumus. Vel *nos ad illum*, tanquam ſalvificum noſtrum principium, ex quo pendemus, adducti ſumus per fidem ad verum ejus cultum. Sicut dixit unum Deum, ita nunc unum Dominum, jure redemptionis in cruce factæ. *Per quem* quidem, ùt Verbum patris *omnia ſunt*: ùt *Joan.* 1. & *Rom.* 11. Sed *per quem*, ùt hominem factum peculiari ratione nos ſumus, quia per ejus meritum redempti ſumus, & ſalvamur.

℣. 7. *Sed non in omnibus eſt ſcientia. Quidam autem cum conſcientia uſque nunc idoli, quaſi idolothytum manducant: & conſcientia ipſorum cùm ſit infirma, polluitur.*

Quanquam noſtis, nihil religionis aut maculæ cuiquam cibo accedere propter idolum, non tamen paſſim *idolothyto* veſci oportet; *non* enim *in omnibus eſt* hæc *ſcientia*, id eſt, non enim omnes hæc norunt, quinimò multi veſtro exemplo *idolothytum manducantes* exiſtimant aliquid in idolo eſſe numinis, atque ita polluuntur: non quia veſcuntur, ſed quia *cum* hujuſmodi *conſcientia* veſcuntur. Græci explicant non in omnibus eſt ſcientia, id eſt, non omnes ſciunt, quòd nihil eſt idolum in mundo: ſed cùm vos ad menſas idolorum vident accedere, putant in iis eſſe aliquid numinis: ex *Gaig.*

℣. 8. *Eſca autem nos non commendat Deo. Neque enim ſi manducaverimus, abundabimus: neque ſi non manducaverimus, deficiemus.*

Id eſt, uſus ciborum per ſe nihil facit ad pietatem, quâ Deo placetur, ideòque non debemus nos firmiores quaſi pietatis obtentu paſſim & indiſcretè velle quibuſlibet cibis uti. Non enim, ſi quid indifferenter comederimus, idcircò meliores erimus coram Deo. *Neque deficiemus*, id eſt, peccabimus, abſtinentes. Sunt qui hæc accipiunt, ùt verbum pſeudoapoſtolorum obloquentium, quòd edere, & non edere res ſit indifferens: ideòque liberè & inoffensè utrumque agi poſſe; quæ verba *Paulus* ſibi deinceps refutanda ſumit dicendo: *Videte autem*, &c. Nota contra hæreticos, non dici abſtinentiam *nos non commendare Deo*, ſed cibum: ex *Eſtio.*

℣. 9. *Videte autem ne fortè hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis.*

Timentis ſermo eſt, ne quomodo *licentia* ſeu poteſtas *hæc*, non dixit ſcientia, aut perfectio, ſed *licentia*, quòd immodeſtiæ eſt & arrogantiæ; *offendiculo fiat*, hoc eſt offenſioni, & everſioni. Dicens autem iis *qui infirmi ſunt*: carpit ipſos, quòd ne *infirmis* quidem parcerent fratribus, quibus oportebat etiam manum porrigere: ex *Chryſ.*

℣. 10. *Si enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam, in idolio recumbentem: nonne conſcientia ejus, cùm ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?*

Idolium, eſt vel ſacellum idolo dicatum, cujuſmodi erant in viis publicis conſtructa: vel atrium templi idolorum: vel epulum ſimulacrorum ſive idolorum: vel menſa, in qua carnes idolo conſecratæ proponebantur, quam *Paulus* infrà vocat menſam dæmoniorum: vel locus deſtinatus hujuſmodi epulo, quod inſtruebatur ex carnibus immolatitiis, ut ſit ſenſus. *Si enim quiſpiam frater* infirmus *viderit* te qui de idolis veram habes ſcientiam, ideòque ab idolothytis non abhorres accumbere in loco ubi appoſita ſunt idolothyta, iiſque veſci: *Nonne* frater ille hoc videns tuo exemplo provocabitur & inducetur ad comedendum immolatitia, non cum ea ſcientia quâ tu id facis; ſed ùt ſuprà dictum eſt, cum conſcientia idoli, videlicet exiſtimans pro ſua infirmitate idolum & idolis immolatum eſſe aliquid? ex *Eſtio.*

℣. 11. *Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt?*

Peribit in tua ſcientia, id eſt, ob hujuſmodi

ſcientiam, quâ, dum tu malè uteris, præſtas peccandi occaſionem infirmo & fratri, eumque perdis, quem *Chriſtus* in tantum dilexit, ut pro ejus ſalute mortem oppetere non dubitarit: ex *Chryſ.*

℣. 12. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis.*

Quomodo *in Chriſtum* labimur, cùm in fratres peccamus? ℟. Quia tanquam ſua Dominus ducit, quæ ſervorum ſunt, ſibique vendicat, & quia ad corpus ejus cenſentur, qui percutiuntur: Et quòd ille ſuâ morte provexit, hoc tu per eſcam diſſolvis, quid autem abſurdius? ex *Oecumenio.*

℣. 13. *Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.*

Id optimi præceptoris eſt à propriis operibus inſtruere. Vos, inquit, ne ab his quidem temperatis, quæ idolis immolata ſunt: ego verò, non ſolùm idolis immolata *non manducabo*, ſed ne quidem aliam ullo modo *carnem* attingam, ſi quiſpiam ex hoc ſumit offendiculum; & hæc mea obſervatio erit ſempiterna, nequaquam, inquit, veſcar *in æternum.* Et quia dixerat, ſi eſca offendiculo eſt fratri meo, nequaquam veſcar carnibus in æternum: ne quis exiſtimaret hanc gloriam tantùm eſſe verborum, & quòd hæc nullo modo opere compleret, ad hoc conſequenter adigitur, ut oſtendat quomodo ab his quoque abſtineret quæ permiſſa erant, ne aliquibus eſſet offendiculo: hæc *Oecum.* Non, inquit, ne perdam fratrem, ſed ſimpliciter, ùt non *ſcandalizem*, ut notat *Chryſ.*

CAPUT IX.

Quamvis pro libertate ſumptus exigere poſſet, ſe tamen abſtinuiſſe oſtendit, ne quod Evangelio offendiculum daret.

℣. 1. *Non ſum liber? Non ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino?*

Declarat ſe à multis licitis abſtinuiſſe cauſâ promovendæ ſalutis aliorum: ac nominatim ab accipiendis vitæ neceſſariis, quæ ſibi tanquam Apoſtolo ab iis, quibus Evangelium annunciabat, ex Chriſti inſtitutione debebantur: ut ſuo exemplo doceat, cavenda non ſolùm infirmorum ſcandala, in re præſertim non neceſſaria, qualis erat eſus idolothytorum: verùm in genere, quantùm cuique curæ eſſe debet proximorum ſalus & profectus. Et juſtè ſeipſum commendat, ut doctrinam, quam de ſcandalo vitando dederat, ab exemplo ſuo confirmet. Et occaſionem arripit exponendi Corinthiis qui ditiores erant quàm largiores, quid jurè deberent iis, qui prædicarent Evangelium. Et omninò liberum ſe ait, non ab alieno ſumptu, ſed à præcepto vetante, ne ex Evangelio vivat, & ſumptum accipiat Apoſtolorum more. Vel ſe liberum ait veſcendi quibuſlibet, vel nulli legi aut præcepto ſpecialiter obnoxium, ùt illi ſunt qui conditione aut pacto aliis obligantur. Apoſtolum verò ſe dicit, qui Apoſtolatu functus eſt apud

Corinthios, quos in Chriſto genuit, ùt, qui tanquam Apoſtolus uti poſſit jure Apoſtolorum, quod eſt ex Evangelio vivere, ùt 1. *Theſſ.* 2. ex *Chryſoſt.*

℣. 2. *Et ſi aliis non ſum Apoſtolus, ſed tamen vobis ſum: nam ſignaculum Apoſtolatûs mei vos eſtis in Domino.*

q. d. Eſto aliis *non ſim Apoſtolus*: at negari non poteſt, veſtrum Apoſtolum me eſſe: mea defenſio *vos* eſtis, vos oſtento; *vos*, inquam, *ſignaculum Apoſtolatûs mei*, ſi quis ſcire velit, an ſim Apoſtolus. Etenim ſigna oſtendi, & oratione docui, & pericula perpeſſus ſum, & vitam exhibui irreprehenſibilem: ex *Chryſ.*

℣. 3. *Mea defenſio apud eos, qui me interrogant, hæc eſt.*

Si qui meum Apoſtolatum in dubium vocant, & inquirunt, quo argumento doceam Apoſtolum me eſſe: reſpondeo in vobis exiſtere certa & evidentia mei Apoſtolatûs indicia: atque hæc *mea* apud illos ſeu adversùs illos *defenſio*: ex *Chryſ.*

℣. 4. *Numquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi?*

An non habebam *poteſtatem edendi ac bibendi* ab his, qui docebantur? nam hoc Chriſtus *Luc.* 10. juſſit; ſed tamen eâ re abſtinui, ne vobis ullum præberetur offendiculum.

℣. 5. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi ſicut & ceteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?*

Perversè quidam hunc locum, explicant de uxoribus Apoſtolorum, cùm nulli, ùt inquit *Hieronymus*, uxores habuiſſe legantur præter

unum *Petrum*; idque ante converſionem. Certè *Chryſoſt.* & *Theod.* interpretantur, de mulieribus Apoſtolis miniſtrantibus (quales Chriſtum ſecutas eſſe legimus, *Luc.* 8. & illi miniſtraſſe) & in neceſſarios illorum uſus ſuppeditantibus, ut illi deinceps abjectâ de hoc ſeculo ſollicitudine, ſoli vacarent prædicationi. *Baron. anno Dom.* 57. putat hunc locum accipi poſſe de ſorore *Pauli* ſecundùm carnem, cujus mentio fit *Act.* 23. Alii ex hoc loco ſuſpicati ſunt, *Paulum* habuiſſe uxorem, idque adhuc eo tempore, quo hæc ſcripſit. Nam γυναῖκα mulierem & uxorem ſignificat, quam tamen non uxoris, ſed ſororis loco haberet. Senſus autem *Pauli* eſt. An non ego & *Barnabas* ſocius *habemus poteſtatem* adducendi nobiſcum, quoties Evangelii causâ terras obimus, aliquam mulierem Chriſtianam, quæ ſuis ſumptibus, aut alienis (ùt vult *Cajet.*) miniſtret nobis ea, quæ ſunt humanæ neceſſitatis? Nominat autem mulierem potiùs quàm virum, quia ſic erat apud Judeos conſuetudo, proptereà quòd ad hujuſmodi miniſteria, vel aptiores, vel promptiores ac magis officioſæ ſoleant eſſe mulieres. Verùm quia factum hujuſmodi poterat offendere Gentiles, apud quos inopinabile erat mulierem paſſim circumducere & non tangere; proptereà *Paulus* Gentium Apoſtolus, ne quod obſtaculum poneret Evangelio, prudenter admodùm exiſtimavit, ab eo ſibi abſtinendum. Quòd ait, *ſicut & cæteri*, non ad id ſolùm refertur, quod proximè præceſſit de muliere circumducenda, ſed ſimul ad illud. *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi?* Quare quòd de muliere circumducenda dixit, non eſt neceſſe intelligi, factum ab omnibus Apoſtolis cæteris, & à fratribus Domini, & ab ipſo Cepha, id eſt, *Petro*: ſed ab aliqui-

bus iſtorum. Quòd addit *& fratres Domini, & Cephas*: cum auxeſi dicitur, q.d. An *non habemus poteſtatem* prædictorum, quam habent, & quâ utuntur cæteri Apoſtoli, etiam, qui inter eos præcipui, id eſt, *fratres Domini*, adeòque ipſe *Petrus* princeps & caput Apoſtolorum? nam *Petrum* ultimo loco nominat, tanquam cæteris majorem: ex *Oecum. Fratres* autem *Domini* ſunt cognati & carne propinqui, ùt diximus in *Matth.* 12. *Marc.* 3. *Luc.* 8. & *Joan.* 19.

℣. 6. *Aut ego ſolus, & Barnabas, non habemus poteſtatem hoc operandi?*

Operandi, id eſt, faciendi, quod cæteri faciunt, vivendi ex Evangelio & mulierem circumducendi. In quo notandus candor *Pauli*, qui laudem hanc abſtinentiæ non ſibi ſoli vendicat, ſed *Barnabam* ejus participem facit. In Græco & Syriaco, legitur *non operandi*, ut ſit ſenſus. Alii Apoſtoli non operantur manibus, ſed vivunt ex Evangelio, utentes poteſtate ſibi datâ à Chriſto. *An ſolus ego, & Barnabas poteſtatem non operandi* manibus *non habemus*, ut & nobis liceat ex Evangelio vivere? Conſtat autem *Paulum* manibus operatum fuiſſe Corinthi, ex c. 4.

℣. 7. *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?*

Significant hæ percontationes, non tam quid fiat, quàm quid jure fieri poſſit. Ex quibus vult intelligi, quòd ei, qui Chriſto militat in Evangelii prædicatione, debeatur ſtipendium ex quo vivat: quòd plantanti vineam Chriſti, ſicut ſe feciſſe ait c. 3. debeatur fructus ex vinea plantata: quòdque paſcenti gregem ovium Chriſti debeatur lac & lana ex ipſo grege: ex *Chryſ.*

℣. 8. *Numquid ſecundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit?*

Et ſenſus eſt. An ſolùm ex rebus humanis mihi ſuppetunt argumenta ad probandum, quod dico, ſcilicet me & Barnabam habere poteſtatem ex Evangelio vivendi? Vel nunquid hæc dico ex humano affectu, tanquam mihi & meis commodis conſulens? Nonne & lex dicit? Sub allegoria ſcilicet Evangelii miniſtros habere poteſtatem ex Evangelio vivendi: ex *Chryſoſt.*

℣. 9. *Scriptum eſt enim in lege Moyſi: non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura eſt Deo?*

Ne quis dicat: Et quorsùm *Deut.* 25. adductum eſt, quod de *bobus* dictum eſt, ait: Num boves curæ ſunt Deo? Curam utique gerit ipſe etiam de brutis: at non ita ut propter ipſa legem quoque poſuiſſet: ſed per hoc vult nos inſtruere, quòd laborantes non fruſtrà laboremus, ſed ex laboribus alendi ſimus. Itaque & ego qui laboravi, dignus ſum qui à vobis alar: ex *Chryſ.*

℣. 10. *An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt. Quoniam debet in ſpe qui arat, arare: & qui triturat, in ſpe fructûs percipiendi.*

An potiùs exiſtimandum eſt; omninò ſeu principaliter hoc Deum præcepiſſe *propter nos*, Evangelii miniſtros: *in ſpe*, id eſt, cum ſpe fructûs, nempe utendi frumento à palea ſeparato, neque ab ea ſpe prohibendus eſt.

℣. 11. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?*

Argumentatur ab inæqualitate dati & accep-

ti, idque ſub metaphora ſeminantis & metentis, qui multò plus expectat à terra, quàm in eam jecit. Hìc verò contrarium accidit: quia *ſpiritualia*, quæ ſeminantur, ſunt meliora *carnalibus*, quæ metuntur. Unde nihil magnum nobis præſtatur, nec vobis oneroſum videri debet, ſi nos vobis ſpiritualia ſubminiſtrantes viciſſim carnalia recipiamus, & jure & poteſtate hâc utamur. *Spiritualia* doctrinam Evangelicam & Sacramenta, quibus anima paſcitur: *Carnalia* verò vocat ſubſidia corporis ab iiſque datum cibum: ex *Chryſ.*

℣. 12. *Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potiùs nos? Sed non uſi ſumus hâc poteſtate: ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti.*

Id eſt. Si ii qui non ſunt vobis Doctores, neque Apoſtoli, utuntur poteſtate à vobis conceſsâ, ut à vobis ſumptus exigant, *quare non potiùs nos* exigamus? ſi facultatum veſtrarum participes illi facti ſunt, cur non & nos? *Sed omnia ſuſtinemus*; nempe famem, ſitim, frigus, nuditatem, manuum laborem, *ne offendiculum*, græcè, interruptionem & moram injiciamus Evangelio, quo minùs celeriter ac feliciter currat ac fructificet: ne ſumptu gravati vel ſuſpicantes nos quæſtûs causâ evangelizare, reddantur alieniores. Cæterùm cùm apud quoſcumque offendiculi periculum erat, tenebantur Apoſtoli abſtinere ab uſu ſuæ poteſtatis ad vitandum ſcandalum infirmorum, ùt *cap.* 8.

℣. 13. *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant?*

Qui in templo permanent, & quæ in eo fiunt

miniſteria, exequuntur; nempe ſacerdotes & levitæ; quibus pars ſacrificii contingebat in edulium *Deut.* 18. *Qui* aſſiſtunt *altari*, ſive ipſi ſacrificia offerentes, ſive offerentibus miniſtrantes ſuas accipiunt partes ex oblatis: ex *Chryſoſt.*

℣. 14. *Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.*

Ita, inquit, nihil novum, ſed vetera ſequuntur, nihil novi molitus ſum. Conſidera verò, quòd poſtremò poſuerit, quod maximum erat, *de Evangelio vivere:* ſicut ibi non dixerat ex his quæ obtulerunt, ſed ex templo & ex altari; ita & hic non dixit ex diſcipulis, ſed ex Evangelio. Et benè ait, *vivere*, oſtendens quòd nihil aliud liceat accipere præter alimentum & veſtitum: ex *Chryſ.*

℣. 15. *Ego autem nullo horum uſus ſum. Non autem ſcripſi hæc ut ita fiant in me: bonum eſt enim mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet.*

Horum exemplorum, ſcilicet quæ dixi, legis & ordinationum Chriſti: quòd oporteat accipere præceptores & vivere ex iis, qui docentur. Et ne opinentur, hæc eum propterea ſcripſiſſe, quaſi jam velit inpoſterùm accipere, corrigit hoc. *Non ſcripſi*, inquit, *hæc ut ita fiant in me*, puta, ſicut exempla requirunt, ſicut Domini juſſa diſponunt, nempe ut accipiam. Sed ut oſtendam jus & poteſtatem habere vivendi ex Evangelio. *Melius enim eſt mihi mori*, nempe fame, quàm inanis & vana fiat gloriatio, quæ de hac re eſt, nempe quâ gloriabatur adversùs pſeudoapoſtolos, qui Corinthiis graves erant & ſumptuoſi: adversùs

hos enim gloriam ſibi pepererat, gratis evangelizando: quam & omni ſtudio conſervare volebat, adeò ut potiùs eligat mori, quàm ut patiatur à quodam Corinthiorum volente ſibi victum ſuppeditare, *gloriam* illam *evacuari*: id eſt, inanem & caſſam reddi: quòd contingeret hâc ereptâ ſibi gloriandi materiâ: ex *Auguſt. lib.* 2. *de ſerm. Dom.* c. 16. Hinc contra Hæreticos notanda gloria apud Deum, quam conſequuntur, qui opera faciunt ſupererogationis atque conſilii, id eſt, ea quæ ſic commendantur, ut tamen de iis abſolutè non ſint tradita præcepta: ex *Eſtio*.

℣. 16. *Nam ſi evangelizavero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero.*

Quid eſt ergo in quo glorieris? poſſetquiſpiam ipſi dicere; ſubjungit ℣. 18., ut id efficiam, quo Evangelium *ſinè ſumptu* ſit. Quid ergo? an hoc majus eſt, quàm Evangelium prædicare? nequaquam; ſed definitum eſt, ut miniſter ex Evangelii prædicatione alere ſe poſſet: quòd autem ſinè ſumptu hoc faciam, opus eſt meæ liberalitatis. *Nam ſi evangelizavero* ſimpliciter, *non eſt mihi gloria*. Gloriationem enim dicit, ut ipſe ex propria liberalitate præſtet. Nam quòd Domini præceptum tanquam fidelis ſervus exequatur, non putat ad ſuum præclarum facinus pertinere: ut qui non ſuo merito, ſed Dei gratiâ ſit vocatus, cuique injunctum ſit: & quòd audivit id Dominum dicentem, *Luc.* 17. *Servi inutiles ſumus*. Quæ ergo gloriatio ſi factum eſt, quod fieri oportuit? *Neceſſitas enim mihi incumbit*: ex Chriſti præcepto. *Matth.* 28. *Marc.* 16. *Act.* 1. & 22. *Væ autem mihi eſt, ni ſi Evangelium prædicavero*, tranſgredior enim Domini præcepta.

℣. 17. *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt.*

Id eſt. *Si gratis*, vel ſi libenter evangelizem, ſtudens gloriam Chriſti promovere: *mercedem habeo*, repoſitam apud Deum, bonis doctoribus promiſſam c. 3. & *Dan.* c. 12. *Si invitus*, id eſt, juſtus, & ex mandato id perago, nihil eſt quòd inde glorier. *Diſpenſatio* enim & Evangelii adminiſtratio *mihi credita eſt* & commiſſa. Quaſi diceret. Servus inutilis ſum, quòd jubeor & debeo facere, facio: vel *ſi invitus*, id eſt, ſi non ex animo & promptâ voluntate ſerviendi gloriæ Chriſti id facio: ſed coactus timore pœnæ; quia alioqui, *væ mihi* eſſet: vel in eo munere privata ſpectans commoda, tamen Evangelii *diſpenſatio* mihi commiſſa eſt, ſaltem ùt ſervo, quaſi dicat. Etiam ſic per me diſpenſatur Evangelium Chriſti, licèt non ad meam, ſed aliorum tantùm utilitatem: cujus alioqui prædicandi moleſtiam nollet ſuſtinere. Meminit autem diſpenſationis concreditæ, ne quis contemnendum putet Evangelium, quo prædicatur per ſervum malum & ſua quærentem. Non enim quod ſuum eſt aununciat, ſed quod Domini, diſpenſat: ex *Auguſt.*

℣. 18. *Quæ eſt ergo merces mea? Ut Evangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Evangelium, ut non abutar poteſtate meâ in Evangelio.*

Id eſt. Ita demùm mercedem boni Doctoris à Deo expectabo, ſi *prædicans Evangelium* Chriſti, ſumptum ab iis, quibus prædico, non accipiam; hoc eſt enim *ponere* ſeu facere *Evangelium ſinè fructu*, græcè, inſumptuoſum & gratuitum. Significat autem ſe eatenùs teneri

ad ponendum Evangelium *ſinè ſumptu*: ne *in Evangelio* prædicando *poteſtate* ſuâ quâ ſumptus accipere poterat, *abutatur*. Hoc autem faceret, ſi paſſim, & indifferenter apud quoſcumque prædicaret, ſumptus acciperet. Græci per mercedem intelligunt majorem & excellentiorem, ùt antè; abuſum verò per uſum interpretantes, nempe utcumque accipere: & quod reverâ aliis peccatum non inducit, exiſtimat ſibi nocivum eſſe, non quòd nocivum ſit, ſed quia ſeipſum diligenter explorat. Addit autem, ex Evangelio nempe qui laborat debere accipere, non qui otioſus eſt: ex *Oecum.*

℣. 19. *Nam cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem.*

Plus eſt, quod dicit. Non ſolùm, inquit, non accepi cùm poteſtatem haberem, verùm etiam, *cùm liber eſſem*, nullique ſubjectus, volens ac ultraneus *me* ipſum *ſervum feci*, ut multos ſalvos facerem. Vides dilectionem: proprium lucrum ducit aliorum ſalutem; inquit *Eſtius*.

℣. 20 *Et factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer.*

Conſequenter modos dicit ſervitutis. Non dicit Judæus factus ſum, erat enim & ex tribu Benjamin, ſed *quaſi Judæus*, ut oſtendat, quòd diſpenſationis opus erat. Quando autem factus eſt quaſi Judæus? Quando Timotheum circumcidit: quando purificatus templum ingreſſus eſt cum his qui habebant votum, & tondens ſibi caput cum voto ſecundùm legem: item abſtinens à cibis ſecundùm legem immundis ac vetitis: ut per hæc & hujus generis alia, ſeſe Judæis aſſimilans, faciliùs eos ad

Chriſtum attraheret. *Act.* 16. 18. 21. & 24. Neque verò, ſicut opinati ſunt quidam, ſimulata erat illa legis obſervatio: verè enim *Paulus* in talibus legem ſervabat: dicente ad eum Jacobo, *Ambulas & ipſe cuſtodiens legem*, *Act.* 21.

℣. 21. *Iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem (cùm ipſe non eſſem ſub lege) ut eos, qui ſub lege erant, lucrifacerem. Iis, qui ſinè lege erant, tamquam ſinè lege eſſem (cùm ſinè lege Dei non eſſem: ſed in lege eſſem Chriſti) ut lucrifacerem eos, qui ſinè lege erant.*

Senſus eſt. *Judæis*, qui legem Moyſi tanquam adhuc neceſſariam ſervant, aut ſervare ſe profitentur, ideoque legis ſervitute premuntur, à Chriſti gratia adhuc alieni: *ſimilis factus* obſervans ea, quæ legis ſunt. Erant ergo Judæi *ſub lege*, quanquam abolitâ, & adhuc hodie *ſub lege* ſunt, non per legis vigorem, ſed per conſcientiam errantem, dum falsò credunt legem adhuc vigere, ſibique neceſſariò obſervandam. *Chryſoſtomus* eos qui *ſub lege ſunt*, interpretatur proſelitos, aut certè eos, qui ex Judæis Chriſti religioni jam acceſſerant, & adhuc tamen lege detinebantur. *Iis* quibus lex ſcripta non eſt data à Deo, id eſt, Gentibus, factus ſum ſimilis in eo, quòd legem ſcriptam apud eos ſervavi: idque ne meo exemplo viderer inducere eos ad ſubeundum jugum legis Moſaïcæ: tum ne legis obſervatione eos alienarem à Chriſto, ùt ad *Galat.* 2. *Cùm tamen non ſim*, nec vivam *ſinè lege Dei*: ſed obſervem legem Chriſti, cui ſum obnoxius. Hinc nota contra Hæreticos Chriſtum nobis datum eſſe, ùt legiſlatorem. ex *Eſtio*.

℣. 22. *Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.*

Id eſt. Omnium moribus & affectibus, quantùm licet, me accommodo, partim commiſerando, partim illis ſimilia agendo (nec enim cum ebrioſis erat ebrius, aut aliud tale fecit) ut ex omnibus ſaltem aliquos, etſi paucos ad ſalutem perducerem: ex *Chryſ.*

℣. 23. *Omnia autem facio propter Evangelium: ut particeps ejus efficiar.*

Apoſtolus per *Evangelium* hìc intelligit fideles, qui per Evangelium ſalvi fiunt; ſicut ℣. 14. dixit, *de Evangelio vivere*, intelligens vivere de diſcipulis, qui Evangelio crediderunt: *ut* poſſim, inquit, cum ipſis *particeps* fieri repoſitorum ipſis bonorum, omnia feci & facio. Vides modeſtiæ, & charitatis magnitudinem, vides ſapientiam, ait *Chryſ.*

℣. 24. *Neſcitis quod ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis.*

Hortatur eos ad ſupernæ vocationis *bravium* & præmium contendere, exemplo pugilum & antagoniſtarum, qui, marceſſibilis coronæ gratiâ, ſe continent ab omnibus, quæ ab ea conſequenda avertunt, ut expeditiùs currant; quantò magis nos, qui ad immarceſſibilem coronam contendimus, properare oportet & ab omni præpediente peccato abſtinere? *Bravium* ſeu brabæum eſt ſtatutum præmium victoribus in quocumque certamine.

℣. 25. *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam.*

Docet modum, quo poſſit quiſpiam *comprehendere*. Nam omnis qui certat publico aliquo certamine, ſive curſu, ſive pugilatu, per omnia temperans eſt & abſtinens; ſolent enim athletæ temperatiſſimâ victûs ratione ſervatâ ad certamina ſe præparare, & cunctarum virtutum & præceptorum obſervantes eſſe, & ab *omnibus* contrariis *abſtinere*. Quo exemplo tam ſeipſum, quàm alios fideles excitat Apoſtolus, ut ſimiliter faciant in ſuſcepto certamine curſûs hujus pugilatûs Evangelici, tantòque magis, quantò glorioſior ex hoc certamine corona ſperatur; abſtinentes ab omnibus, quæ curſum noſtrum remorantur, vel pugnam impediunt.

℣. 26. *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans:*

℣. 27. *Sed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne fortè cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.*

Ego, inquit, more bonorum athletarum, *ſic curro* in hoc evangelico miniſterio, *non quaſi in incertum*, id eſt, non temerè, & quamlibet in partem: quo modo ſi quis currat, nihil aſſequetur præmii, ſed recto curſu, totoque niſu tendens ad metam deſtinatam: nec *aërem verberans*, id eſt, inaniter laborans, ut qui irrito conatu verbera intentat adverſario, quæ facilè eludit. Adverſarium in hac pugna ſe habere corpus ſignificat ratione carnalis concu-

piſcentiæ; de qua *Gal.* 5., ideòque perpetuam & nos cum carne pugnam habeamus. Pro *caſtigo*, ſubigo, quòd domini eſt, non hoſtis, ait *Chryſ. Thren. lib.* 4. c. 72. lividum facio corpus. Siccum & ſqualidum reddo ex Græco, ùt ſervum ago, ac ſubjectum mihi teneo, ne abjiciar tanquam ſalute indignus, eo quòd ſecundùm carnem vixerim, vel quia non ſecundùm Evangelium vixerit, vel perſeveraverit, quæ damnatio eſt effectus divinæ reprobationis: non enim ex electo fit reprobus. Si *Paulus* hoc timuit cùm talis eſſet præceptor, & poſt prædicationem & orbis terrarum ſuſceptum patrimonium formidavit, quidnam nos dicemus? Nolite enim putare, inquit, ſolam ſidem ad ſalutem veſtram ſatis eſſe. Nam ſi prædicare, docere, innumeros ad ſalutem adducere mihi non ſufficit ad ſalutem, niſi me irreprehenſibilem exhibeam: longè minùs vobis, ùt notat *Chryſ.*

CAPUT. X.

Ab idololatria, & fornicatione, & murmuratione, veterum Judæorum exemplo, eos deterret, & ab idolorum menſa.

℣. 1. *Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt,*

℣. 2. *Et omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari:*

ADmonet hoc capite Corinthios. quæ vitia fugere debeant, ne excidant à ſtatu juſtitiæ, in quo per Chriſti fidem & baptiſmi ſacramentum erant conſtituti, ne de donis à Deo perceptis efferantur. Futurum enim ut per elatio-

nem hanc & alia peccata, his donis excidant, & à Chriſto ejiciantur, idque exemplo Judæorum: quos, licèt in figura ſimilibus tamen affectos ab eo donis, probat; ſed hinc tamen ob ſua delicta excidiſſe. Sicut enim in Spiritu ſancto & aquâ baptizati, veri Pharaönis ſervitutem excuſſerunt, Chriſti carne paſti & ejus ſanguine potati ſunt: ita *patres* Judæi excuſsâ Pharaönis ſervitute, & tranſgreſſo mari rubro, quodammodo in mari & nube baptizati ſunt, viſis tantis miraculis, purgati ab ignorantia & & peccatis per fidem, ait *S. Thom.*, ſimilitudinariè ſcilicet. Quòd autem illis nubes protegens, conducens ac refrigerans: id nobis ſpiritus ſanctus actionum noſtrarum dux & protector, libidinumque moderator & extinctor: quòd illis mare, hoc Corinthiis & Chriſtianis omnibus aqua baptiſmatis. Corinthii Chriſti carnem manducabant, illi figuram ejus manna; quam *ſpiritualem* vocat eſcam, quòd miraculosè deſcenderit. Corinthii ſanguinem Domini bibebant, Judæi *ſpiritualem potum*, quem miraculosè petra fudit, biberunt: neque tamen tot affecti beneficiis, præter duos tantùm, in terram promiſſionis pervenerunt: ſed in deſerto proſtrati ſunt ac mortui, qua in re *figura noſtri* fuere, ut ſcilicet à vitiis eorum abſtineamus, alioqui in deſerto perpetuæ vaſtitudinis perituri, neque veram promiſſionis terram ingreſſuri: hæc *Gaig.*

℣. 3. *Et omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt,*

℣. 4. *Et omnes eundem potum ſpiritalem biberunt: (bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos, petra: petra autem erat Chriſtus)*

Aug. tract. 26. in Joan. ait tam *eſcam*, quàm

potum eundem, non inter ſe, ſed nobiſcum, videlicet *ſpiritualem*, ùt ait Apoſtolus, etſi corporalem eſcam potumque diverſum: nam illi manna, & aquam de petra, nos aliud: ſpiritualem verò eſcam & potum illorum nobiſcum interpretatur *eundem*, id eſt, Chriſtum, quem olim & manna ſignificavit, de cœlo deſcendens, & petra fundens aquas: & quem apud nos ſignificat altare Dei. Alii intelligunt patres illos *eandem* inter ſeipſos eſcam ediſſe, *eundemque potum* bibiſſe, ut totius loci ſenſus ſit: Et ſi patribus noſtris omnibus communia fuerint beneficia hæc, nubis protectio, & baptiſmus ſub nube & mari, item manna & aqua de petra; ùt & alia multa: non omnes tamen in terram promiſſionis introducti fuerunt, quia, ùt infrà dicitur, *non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo*. Sic igitur & nos, etſi omnes eundem cibum & potum myſticum de menſa Domini ſumamus, ùt & omnes uno Chriſti baptiſmo ſimus abluti, non tamen impunitatem ſperare debemus, ſi peccaverimus. *Bibebant autem* de aqua, quam præbebat *petra* ſpiritualis, id eſt, *Chriſtus*, qui per divinitatem tunc erat, & nuſquam aberat: quique toto itinere, varia beneficia præſtando, eos comitabatur, repræſentatus per angelum populi ductorem, vel petra materialis intelligitur, ex qua fundente aquas bibebant, ùt vinum ex dolio. Hæc autem petra comitata dicitur Iſraëlitas, eo quod aquæ, quas petra copiosè fundebat pro commoditate populi in rivos diviſæ, longo ſpatio profluerent, donec venirent ad locum, ubi eſſet aquarum copia, ùt *Pſalm*. 77. & 104.; fabuloſum enim eſt, quòd illa petra tam parva fuerit, ut geſtaretur in ſinu à Maria ſorore Moyſi. *Spiritualis* autem vocatur eadem petra, quomodo manna &

aquas è petra fluentes dictum eſt, vocari eſcam & potum ſpiritualem, videlicet propter ſignificationem. Nam Chriſtum ſignificabat, de cujus percuſſo latere in paſſione ſanguis & aqua defluxit, unde refecti & potati ſumus : ex *Chryſ.*

℣. 5. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto.*

Plurimi eorum non placuerunt *Deo*, quia ex ſexcentis millibus altero egreſſionis anno relatis, duo tantùm Caleb & Joſue, poſt annum quadrageſimum, terrâ promiſſâ potiti ſunt : cæteri omnes per annos 40. variis plagis ac mortibus extincti. Ex his intelligi vult, etiam nihil nobis profuturum, quòd per Chriſtum è dæmonum ſervitute liberati & baptiſmo mundati & cæteris ſacramentis refecti ſumus, ſi Iſraëlitas peccando imitati fuerimus : ex *Chryſ.*

℣. 6. *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt.*

Quemadmodùm enim baptiſmus & cibus ac potus figuræ *noſtri* erant, ita & perditio *figura noſtri* erat, ne æqualia perpetrantes ſimilia patiamur : ex *Oecum.*, qui in Corinthiis notat concupiſcentiam gulæ, quâ titillante, miſcebant ſe epulis ſacrorum Gentilium. *Concupierunt*, non res, aut naturâ malas aut prohibitas, ſed bonas & licitas, malè & inordinatè, velut carnes, piſces, pepones, cucumeres, porros, allia, cæpas : non contenti cibo, quem illis Deus tanto miraculo cœlitùs mittebat; futurum ut & nos ſimilia patiamur, ſi ſimiliter ùt iſti, *malorum concupiſcentes* fuerimus : ex *Oecum.*

℣. 7. *Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis: quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.*

Id eſt. Ad idolorum & falſorum deorum cultum ne redeatis per apoſtaſiam, vel per communionem cum infidelibus falſos deos ex animo colentibus. *Sicut quidam ex ipſis* facti ſunt idololatræ, vitulum aureum pro Deo ſuo colentes: *Exod.* 32. *Nehem.* 9. Nam ederunt & biberunt epulo conſtructo ex hoſtiis pacificis, quas aureo vituli ſimulacro obtulerant; ſimul hâc parte Corinthios, qui in menſa talibus inſtructa dapibus accumbebant, perſtringit Apoſtolus, tanquam idololatriæ participes. Luſum interpretantur idoli cultum *Aug.* & *S. Thom.* ex *Exod.* 32. ℣. 6.

℣. 8. *Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt unâ die viginti tria millia.*

Aliud rursùm dixit peccatum, quod à gaſtrimargia gignitur, ùt *Num.* 25. & 31. *Pſalm.* 105. Quidam veterum ſcriptorum poſuerunt interfectorum *viginti quatuor millia* ex *Num.* 31. vel dici poteſt, quòd *Moyſes* non propoſuerit numerum exactè reddere: vel quòd Moyſes ulteriorem, *Paulus* certiorem ſcripſerit.

℣. 9. *Neque tentemus Chriſtum: ſicut quidam eorum tentaverunt, & à ſerpentibus perierunt.*

Chriſtum tentare & ſigna requirere, judaïcum erat; *Judæi*, inquit ſuprà c. 1. *Signa petunt:* ùt fecerunt *Joan.* 6. ℣. 30. ſed & ſcribæ & phariſæi Chriſtum tentaſſe leguntur, ſignum de cœlo quærentes ab eo, *Matth.* 12. & *Luc.* 11.

Aliqui

Aliqui hunc locum ſic exponunt: *Ne tentemus Chriſtum*, diffidentes ejus promiſſis, ſigna petentes; quales Apoſtolus *Petrus* 2. *Epiſt.* c. 3. ℣. 4. præmonet venturos; quales & veroſimile eſt, inter Corinthios fuiſſe, velut eos qui fidem reſurrectionis mortuorum vertebant in dubium, ut infrà c. 15., vel eos, de quibus agit 2. *Cor.* 13. ℣. 3. Mihi magis videtur (ait *Eſtius*) illud ad rem præſentem pertinere, quod dicit *infrà* ℣. 22. *An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo ſumus?* Hoc enim erat Chriſtum tentare, & potentiæ ejus periculum facere. Non *eorum*, ſed *eum* Græci legunt, id eſt, Deum vel Chriſtum: ſic *S. Thom.* Favet hic locus opinioni à veteribus Theologis traditæ de Angelo, qui duxit Iſraëlitas per deſertum in terram promiſſionis: quòd nempe Chriſti perſonam in carne venturi præfiguraverit: ut propterea quæ ab illo vel adverſùs illum geſta aut facta fuerunt, ad Chriſtum referant, tanquam ab eo vel adverſùs eum geſta, aut facta. Eſtque eadem traditio de Angelo, qui patribus antiquis apparuit, *Gen.* 18. & 28. *Exod.* 3. & 24. & *Act.* 7. *Joſ.* 5. *Dan.* 3. Nam unum & eundem Angelum fuiſſe apparentem in ea ſpecie, in qua Dei filius aliquando erat aſſumptâ carne conſpiciendus, cenſent dicti theologi. Hinc Nabuchodonoſor dicebat, ſe videre ſpeciem Angeli ſimilis filio Dei. *Dan.* 3. Et *Joan.* cap. 12. affirmat, illud *Iſaïæ* 6. *vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum* dictum eſſe de Chriſto, dum ℣. 41. dicit, *hæc dixit Iſaïas, quando vidit gloriam ejus & locutus eſt de eo.* Dicuntur autem Dominum, & Chriſtum & Dei filium vidiſſe, quia propriam carnis ejus ſpeciem, angelico miniſterio ſuis oculis oblatam, viderunt, quomodo qui in ſpeculo videt expreſſam alicujus hominis imaginem, ipſum hominem videre dicitur: ita

Juſt in Triph. Iren. lib. 3.*cont.hær.* c.6. &*lib.* 4. c.23. *Euſ.lib.* 5. *Dem. Ev.* c. 9. *Atha. in Apol. Tert. Cypr lib.* 2. *Hil. lib.* 5. *de Trin. Amb. in Luc. Auguſt. conc. ad Catechum.* c. 15. Secundùm hæc igitur tentaverunt Iſraëlitæ Chriſtum in illo Angelo ductore ſuo Chriſti perſonam eo, quo dictum eſt modo repræſentante. Et ſæpe populus ille Dominum tentavit, ùt *Exod.* 17.19. *Num.* 11. *Pſalm.* 77. Verùm hoc loco reſpicit Apoſtolus ad hiſtoriam *Num.* 21., ubi populus pertæſus itineris ac laboris locutus eſt contra Dominum: tunc enim illos ſecuta eſt ultio divina, & ab ignitis & urentibus ſerpentibus interfecti ſunt, quos Græci vocant dypſades, eo quòd morſu ardentiſſimam ſitim inducant: nec ſanabantur donec ſerpens æneus erectus eſt, *Joan.* 3.

℣. 10. *Neque murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.*

Incertum eſt, an de murmure contra Deum, an contra Moyſen loquatur. Ex pœna colligitur loqui de eo, quod fuit contra Moyſen & Aaron, *Num.* 16., non de eo, quod habetur *Num.* 11.vel 14. aut *Exod.*16.& 17.; eo quòd nulla punitio legitur ſubſecuta. *Ab exterminatore*, id eſt, ab igne egreſſo à Domino: vel ab Angelo percuſſore, ſeu potentiâ quâdam ultrice, ùt *Gen.* 19. 3.*Reg. ult.* 4.*Reg.* 19. *Act.* 12. & *Judith.* 8. & *Sap.* 18. *Exterminator* eſt, non quia percuſſit extra terminos terræ promiſſæ, ſed quia penitùs vaſtat ac perdit: nam reſpicit ad eam plagam, quam populo immiſſam compeſcuit Aaron ſacerdos, quando ſtans inter mortuos & viventes, atque incenſum offerens pro populo deprecatus eſt, *Sap.* 18. Aſcribitur autem exterminatori, id eſt, perdenti

Angelo, quia modus plagæ, fuerint ea per ignem, an per ſerpentes, an aliter facta, non fuit à Moyſe expreſſus: aut certè quia genus plagæ inſolitum fuit, & extraordinariâ quâdam operatione virtutis angelicæ inflictum, ùt 4. *Reg.* 19. Et quidem à malo Angelo vel bono, ùt *Gen.* 32. eo quòd Chriſtus appellatus ſit, & incredulorum exterminator fuerit, & Michaël, ex *Epiſt. Judæ.*

℣. 11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt.*

Hæc omnia, quæ illis antiquis contigiſſe memoravi, fuerunt typi ſeu figuræ eorum, quæ in Eccleſia Chriſti contigerunt, & oſtendunt hos magis puniendos, ùt enim in donis veritas major eſt figura, ita omninò & in ſuppliciis. Et ex imminente ipſis fine & ex futuris ſuppliciis æternis magis eos terret: nam ait. Jam *fines ſæculorum* occurrerunt, & dies certa ſupplicii; id eſt, appropinquaverunt ultima ætas, noviſſima hora, conſummatio ſæculorum, *Hebr.* 9.; aut finis vitæ cujuſque noſtrûm properat & modicum tempus ſupereſt ad bene agendum, ideòque ſtudeat quiſque bonis operibus: ita *Gaig.*

℣. 12. *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.*

Alieno ſcilicet cautus exemplo. Et clam illos objurgat, qui de ſcientia gloriabantur. Nam ipſum confidere, quòd firmi ſtant, ne ſtare quidem eſt: quòd ſi etiam ſtant, facilis eſt ex arrogantia lapſus, ait *Oecum.* Sic *qui ſe* firmum eſſe in fide & perfectum putat, *videat ne cadat.* Quibus verbis Apoſtolus notat eos, qui, ſcientiæ nomine ſibi placentes, cum deſtructione

proximorum & idololatriæ periculo, charitate deſtituti cibos idolis immolatos comedebant. Hinc colligitur, certos nos non eſſe infallibiliter, quòd ſtemus, id eſt, juſti ſimus: nec eum qui juſtus eſt, certum eſſe, quòd ſit perſeveraturus: ſed timendum illi eſſe, ne à juſtitia cadat in peccatum, & peccati merito pereat: *Chryſ.*

℣. 13. *Tentatio vos non apprehendat. niſi humana: fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum ut poſſit ſuſtinere.*

Ex Græco ſenſus eſt. Ne ſinite vos *apprehendi*, & vinci ab ulla *tentatione*, niſi humana; id eſt, facili, quæ, velit nolit, homini ſe ingerit. Vel εἴληφε, id eſt, *apprehendit*, & tunc ſenſus eſt. Qui ſe exiſtimat perfectum, videat & caveat ne præceps ruat: neque enim vos ulla huc uſque *tentatio apprehendit*, niſi *humana*, & facilis; quaſi dicat. Nondum inſurrexere adversùm vos fortes & vehementes tentationes, nondum quòd Hebræis cap. 12. ait. *ad ſanguinem reſtitiſtis*, ùt ob hujuſmodi ſuperatas tentationes, perfectos vos gloriari poſſitis. Et nomine tentationis ea intelligitur, quæ in oratione Dominica, quâ quis ſollicitatur ad peccatum, ſive diabolo, ſive mundo, ſeu carne incitante: licèt forte Apoſtolus reſpiciat ad ea, quæ ſunt à mundo, id eſt, à malis hominibus bonos perſequentibus, uſque ad bonorum direptionem, & mortem ipſam. Et has tamen etiam ſuperare ſe poſſe, ne diffidant, oſtendit, à quo victoriam ſperare debeant, dum ait, *fidelis Deus*, &c. quia nullum ſupra vires tentari permittat, idque pertineat ad fidem promiſſorum Dei, quia nihil præcipit impoſ-

ſibile, & quia ad implenda præcepta ſuum auxilium promiſit. Eſt autem præceptum, ut tentationibus reſiſtamus: ex *Cypr.* cap. 91. *l.* 3. *teſtim.* & *Aug. in Pſalm.* 56. *de paſtor.* Sunt qui vel ad fideles, vel ad juſtos, vel ad electos *Paulum*, reſpicere aiunt, ùt c. 1. & 1. *Theſſ.* 5. & 2. *Theſſ.* 3. Is autem, qui vos permittit tentari, faciet ut bonum exitum habeat tentatio, hoc eſt, ut eam ſuperetis, quòd ſolis datur electis, finaliter.

℣. 14. *Propter quod chariſſimi mihi, fugite ab idolorum cultura:*

Poſtquam in multis Corinthios objurgaverat, mitiùs cum illis agere incipit, vocando eos *chariſſimos* &c. Et ut hos magis à menſis idolorum retrahat, præter ſcandalum fratrum infirmorum, de quo poſteà ſermonem repetit, etiam in comeſtione idolothytorum idololatriam quamdam ineſſe, demonſtrat. Unde non dicit, ne colatis idola, ſed *fugite ab idolorum cultura*, ſive ùt in græco, *ab idololatria.* ex *Eſtio.*

℣. 15. *Ut prudentibus loquor, vos ipſi judicate quod dico.*

Quoniam idolothytorum eſum abſtulit, idololatriam appellans rem ipſam, propter quam ipſos objurgavit: nititur deinceps curare ſermonis aſperitatem, & ait; *vos* prudentes eſtis, *judicate* rem ipſam, & invenire poteritis ipſam eſſe idololatriam. Hæc autem faciens, eos etiam qui rei ſunt, judices facit; oſtendens quòd vehementer de ſuis ſermonibus confidat, tanquam veris. Eſt autem ſermo de judicio non poteſtatis, ſed diſcretionis; quod ad unumquemque prudentem ſpectat. Et poſteà probat, idololatras eſſe ac idolorum participes, eos qui edunt idolothyta: ex *Eſtio.*

℣. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?*

Paulus hoc & ſequenti de ſacrificio Judæorum exemplo vult abducere Corinthios à menſa idolorum, quam frequentebant Corinthii, ibi ſe ingurgitantes, & excuſationem è doctrina ſumentes, in qua nullus cibus eſt immundus. His ergo *Paulus* dicit, *Calix benedictionis, cui benedicimus,* id eſt, quem cum gratiarum actione ſumimus, *nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt,* id eſt, nonne calicem Chriſti ſumentes, ac ſanguinem illius bibentes, cum illo communicamus, & cum illo commercium nobis eſſe declaramus? Vel quem benedicimus ex *Iren. lib.* 3. c. 20. Nam benedictionem, alii conſecrationem, alii gratiarum actionem interpretantur, alii de benedictione, de qua *Matth.* & *Marc.* in deſcriptione cœnæ Domini noviſſimæ, *Paulum* loqui putant: & conſecrationem non fuiſſe, quia prolationem verborum, quibus fit conſecratio præceſſit, & eſſe eandem rationem de pane, ut dicere potuerit, panis benedictionis quem benedicimus, ùt & benedictionem retulit ad panes & piſces, *Luc.* 9. & ad ſeptem panes, *Matth. Marc.* & *Luc.* 9. & parvulos quos benedixit *Marc.* 10. Et in ſacro Canone Miſſæ, tam ante panis conſecrationem, quàm vini, idipſum clarè expreſſum habemus. Senſum enim eſſe, eum pani benè precatum eſſe, nimirùm oratione ſuper eum fuſâ ad Deum patrem; oculis elevatis, quâ ipſe ùt homo & ſacerdos peteret illius creaturæ, quam manibus tenebat, ſanctificationem, utique mox futuram per mirabilem ejus in ſuum corpus tranſmutationem: quam idem ipſe ùt Deus

omnipotens ſuâ virtute ſimul cum Patre & Spiritu ſancto eſſet effecturus. Denique ut intelligas hæc tria, gratiarum actionem, benedictionem & conſecrationem eſſe inter ſe diverſa: reſpice ad id, quod ab Eccleſia Chriſtum imitante agitur in ſacrificio Miſſæ. Nam ùt ille gratias egit, benedixit, conſecravit: ſic & illa per ſacerdotem hæc eadem agit eodem ordine. Primùm namque totâ Canonis præfatione gratias agit Deo cum laude: deinde dona propoſita benedicit, tum initio Canonis, tum rurſùs, & potiſſimùm illis verbis. *Quam oblationem*, &c. Poſt hæc conſecrat eadem dona verbis Chriſti. Sic ergo *Pauli* verba poſſunt exponi: Calix qui vocatur *Calix benedictionis*, quia in myſteriis preces ſuper eo fundimus, hoc eſt enim, quod addit, *cui* vel *quem benedicimus*, eſt calix ſanguinis Chriſti, quem unum & eundem omnes ſumimus: Vel ſic: Id quod eſt in calice benedictionis, ſanguis Chriſti eſt, quem unum, &c. Cùm benedictionem dico, Euchariſtiam dico: & dicendo Euchariſtiam, omnem benignitatis Dei theſaurum aperio, ait *Chryſ.* Calix ponitur pro liquore contento. *Benedicimus* dicit, vel in perſona presbyterorum qui ſoli myſteriorum ſunt adminiſtri: vel generaliter in perſona fidelium, qui myſteriis interſunt, qui quidem omnes calici benedicunt, eo modo quo cum ſacerdote offerre dicuntur, videlicet animi conſenſu ac devotione, cum deſiderio fructûs ex ſacrificio percipiendi. *Et panis quem frangimus*, id eſt, corpus Chriſti, quod ſub ſpeciebus panis ſumimus, *nonne participatio*, Græcè, communicatio *corporis Domini* eſt? id eſt, nonne declarat nos partem habere, cum corpore Domini, & in illud conſentire? Quinimò, inquit, quotquot menſam Domini adeuntes de uno pane edimus, & de

uno calice bibimus, unus panis & unum corpus myſticum in eo ſumus, quando per ipſius ſumptionem, illius corpori incorporamur. Panem Apoſtolus vocat, tum quia ex pane factum eſt, tum quia ſpeciem panis, totamque ejus operationem retinet. Fractionem intelligit eam, quâ panis ille, id eſt, corpus Domini, ſecundùm externam atque viſibilem ſpeciem frangitur, ut in multos diſtribuatur, ut *Act.* 1. & 10., prima fiebat in primitiva Eccleſia à presbyteris & diaconis, deinde à cæteris fidelibus quibus dabatur in manus, ut eam ipſi porrò vel in ipſo cœtu inter ſe, vel domi inter ſuos diſtribuerent: quod indicatur, *Act.* 2. Quòd autem in conventu idipſum fieret, patet, *Act.* 20. Et ſic diſcipulos in ultima cœna feciſſe, non improbabile putat *Eſtius* ex *Luc.* 22.

℣. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane participamus.*

Dixit *communicatio corporis Domini eſt:* videtur autem id, quod communicat, aliud eſſe ab eo cui communicat: ideò nunc oſtendit quòd non communicamus tantùm, ſed ipſum Chriſti *corpus* omnes *ſumus.* Quemadmodùm in corpore, reliquum à capite dicitur corpus. Sicut enim in pane, inquit, ex multis granis fit unus panis: ita & nos cùm multi ſumus, unum Chriſti corpus efficimur: ita *Oecumen. Multi*, id eſt, cœtus fidelium, Eccleſia tam particularis quælibet, quàm univerſalis: ex *Aug. tract.* 26. *in Joan.* Et notat duplicem unitatem: primam incorporationis, quâ in Chriſtum transformamur, cùm dicit *unus panis:* alteram vitæ & ſensûs, quam à Chriſto capite accipimus, cùm addit *unum corpus:* ex *S. Thom.* *De uno pane participamus*, id eſt, de ipſo corpore Domini.

℣. 18. *Videte Iſraël ſecundùm carnem: nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?*

℣. 19. *Quid ergo? Dico quod idolis immolatum ſit aliquid? Aut quòd idolum ſit aliquid?*

℣. 20. *Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum:*

℣. 21. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.*

Id eſt. Conſiderate illum carnale ſacrificium immolantem. Nonne levitæ & ſacerdotes qui edunt hoſtias, *participes ſunt altaris*? Id eſt, conſentiunt in ſacrificia? Nonne verum eſt? (*Vos* enim, anteà dixit, *ipſi judicate*) unumquemque in illud ſacrificium conſentire de quo edit, ſive illud ſit de corpore Chriſti chriſtianum ſacrificium, ſive carnale Judæorum? Indubiè ſubjuncturus erat *Paulus*: & vos quoque qui idolothytis veſcimini, idolorum participes eſtis. Sed ne illos offenderet, ſermonem temperavit; oſtendens ſe non hæc dicere quaſi aut idolo aut idolothyto aliqua virtus inſit, ſed quia *nolo*, inquit, *vos fieri ſocios dæmoniorum*: quibus verbis latenter innuit, eos dum idolothytis veſcuntur, in idola conſentire: aut certè hanc de ſe opinionem infirmis in fide generare: à quibus ut eos avertat, concludit, eos non poſſe *menſæ Domini* in Euchariſtia, ſimulque *dæmoniorum* in idolothyto *participes eſſe*. ita *Gaig*.

℣. 22. *An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo ſumus? Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.*

℣. 23. *Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.*

℣. 24. *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.*

An æmulamur, Græcè, exſtimulamus, irritamus: Oſtendens Dominum à Corinthiis irritari, dum paſſim idolothytis veſcerentur, ſed fruſtrà irritari, quippe qui fortior eſt, & ulciſcendi vim habet. *Non omnia*; inquit, *expediunt*, quæ licent, quando ſcilicet non *ædificant*; quaſi diceret: etſi in ſe idolothytum manducare non eſt illicitum, paſſim tamen id, ùt facitis, edere cum offendiculo proximi, malum eſt: nos autem non tam jus noſtrum tueri oportet, quàm infirmitati alterius conſulere: hoc enim ait, dicens, *nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius*, id eſt, bonum proximi, quem debes diligere ſicut teipſum: vel *nemo* tantùm *quod ſuum eſt, quærat, ſed* etiam *quod alterius*: etſi meliùs abſolutè dictum, charitas non quærit, quæ ſua ſunt.

℣. 25. *Omne, quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.*

Quia longum de idolothytis protendit ſermonem, timebat, ne fortè deinceps etiam illa, quæ *in macello*, id eſt, in foro venalia erant, territi devitarent, tanquam idolis fortaſſe immolata, ideò jam eos abducit ab hujuſmodi timore. Vel ne quis dicat, quid ergo? an abſtinere quoque nos oportet à carnibus, quæ in foro venales exponuntur? aut neceſſe nobis erit circuire fora, & interrogare ac diſcutere

ne quando idolothytum ſit? an in hujuſmodi vitam noſtram concludemus? Ne quis ergo talia poſſit objicere, præveniens ipſe diſſolvit ea, & ait, nec eſſe neceſſe, quæ in foro ſunt rejicere, nec diſcutere aut interrogare utrùm idolothytum ſit, an non: ſed ab illis solùm oportet abſtinere, de quibus aliquis priùs ſuggeſſit eſſe idolothyta. Hinc patet nihil concludere contra Eccleſiaſticam carnium abſtinentiam certis diebus præſcriptam: ex *Eſtio.*

℣. 26. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus.*

Terra ipſa, quidquid terra gignit, ac nutrit, Deum habet authorem: ex quo colligit, ea omnia bona eſſe & munda; & ſi *Domini* Dei ſunt omnia, nihil ergo dæmonum eſt, ut ab illis tanquam Dominis immutari poſſit, & ut nos propterea de cibis, an de ſacrificio veniant, interrogare debeamus.

℣. 27. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.*

Nunc docet, quâ libertate & cautelâ fidelibus utendum ſit in menſis privatis infidelium; quod per ſe non eſt illicitum: ſed an, & quatenus expediret, ex circumſtantiis dijudicandum eſt. *Nihil diſcutientes propter conſcientiam.* Hoc eſt nihil ipſius cauſâ interrogantes, aut ſcrutantes. Oportet enim eos, qui edunt, habere illam puram, & non vacillantem, nec opus habere aliâ mentis certitudine, quæ à diſcuſſione proveniat.

℣. 28. *Si quis autem dixerit: hoc immolatum eſt idolis: nolite manducare propter illum, qui indicavit, & propter conſcientiam:*

Ex hoc loco & præcedente oſtendit, ſe idolothytum non inhibere, niſi quatenùs ſuſpicionem affert venerati idoli: quando extra ſacrificia idolorum, ac ſinè conſcientia idoli apponatur, non interdicit: ex *Gaig. Propter conſcientiam*, nempe fratris, ſive fidelis ille ſit, ſive infidelis: uterque enim ex facto tuo ſcandalizari poterit: fidelis quidem infirmus exemplo tuo contra conſcientiam ſuam de idolothyto comeſturus, aut certè judicaturus te velut malè agentem: infidelis autem, quia putabit, te præ metu aut pudore non audere religionem tuam, quæ omne idolum execratur, liberè confiteri, aut certè per intemperantiam gulæ prodere ſinceritatem tuæ religionis; & per hoc minùs bene de Chriſtianis ſentiet, atque iis etiam inſultabit non ſinè Chriſti injuria: tantùm aberit, ut eum Chriſto ſis lucrifacturus; cujus causâ potiſſimùm ad menſam hominis infidelis accedere debueras.

℣. 29. *Conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius. Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conſcientia?*

Græcè, *condemnatur ob alienam conſcientiam.* Id eſt. Etſi per Chriſtum libertatem habeo veſcendi idolothyto, non tamen hâc ſemper uti poſſum, ne ob conſcientiam alterius læſam, (id eſt, fratris infirmam habentis conſcientiam, vel Græci ſive Gentilis nondum ad fidem converſi: ex *Theoph.* & *Theod.*) hæc mea libertas vitio mihi vertatur & damnabilis fiat *ab infideli conſcientia?* ex *Hier. Epiſt. ad Ager.* Vel à fratre infirmo, qui tibi judicavit hoc immolatitium eſſe, erroneâ conſcientiâ.

℣. 30. *Si ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo quòd gratias ago?*

Si comedo per gratiam & beneficentiam Dei, cujus eſt terra & plenitudo ejus. Vel ſi comedo per gratiam mihi à Deo conceſſam, quâ ſcio & credo idolum nihil eſſe, & ideó nihil mihi metuendum ab idolothyto. Vel ſi comedo cum gratiarum actione, ſciens *nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur* 1. *Tim*.4. committere non debeo ut alius mihi maledicat aut malè de me loquatur, propter id pro quo *ego Deo gratias ago*; id eſt, propter cibum: ſed potiùs abſtinebo, quamvis alioqui cum gratia participaturus. *Blaſphemor* ab infideli: nam infidelium mos eſt blaſphemare Chriſtianos: vel à fratre infirmo offenſo libertate meâ, qui quòd cibis utor lege vetitis vel ſacrificatis, malè de me loquitur tanquam de homine guloſo, qui per intemperantiam aut immundum ſe facit, aut idololatriæ participem. Unde liquet, eſum idolothytorum extra certos caſus Chriſtianis licitum fuiſſe: nam & *cap*. 8. *Paulus* rem iſtam facit adiaphoram, nec aliter prohibet, quàm ſi frater infirmus eo facto ſit paſſurus ſcandalum. Et inter ea cenſet, de quibus dicit, omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt; & libertatem Chriſtiani extendit ad hujuſmodi eſum: ex *Eſtio*.

℣. 31. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.*

Ita inquit, omnia facite ut occaſionem glorificandi Deum præbeatis, quod utique non faciunt qui cum Dei injuria aut fratrum ſcandalo quippiam agunt, ſed magis eo facto gloriam Dei imminuunt: Hoc autem præceptum

eſſe, ait *S. Thomas*, & hanc relationem operum ad Dei gloriam dicit intelligendam vel *in actu*, vel *in aptitudine* referendi. Et ſic opera moraliter bona infidelium, quatenùs apta ſunt referri ad gloriam Dei, non erunt peccata. Verùm ipſe S. Doctor (ait *Eſtius*) alibi clariùs de ſenſu hujus præcepti mentem ſuam aperit; præcipuè *quæſt. de charitate, art.* 11. ad 3. dicit *virtualiter omnia referre in Deum, cadit ſub præcepto charitatis.* Ex quo, aliiſque locis clarum eſt, *S. Thomam* per terminos *in aptitudine, habitualiter* &c. quos in aliquibus locis opponit terminis *in actu*, *actualiter*, intelligere idem, quod *virtualiter.* Quo magis autem hujuſmodi intentio *virtute* maneat in actionibus noſtris quotidianis, frequenter *actu* renovanda eſt: nam hoc præceptum pertinet non ad omnes homines, ſed ſolùm ad fideles: hactenùs author, qui eſt in eadem ſententia cum *Eſtio*, quòd hoc Apoſtoli præceptum reſpiciat ſolos fideles: attamen, quamvis dici poſſit, quòd in verbis Apoſtoli ad *Col.* 3. aliquid poſitivi contineatur, nempe ut *omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti* fiant (quod ad infideles non pertinet, quibus Chriſtus non eſt annunciatus) tamen in hoc loco agitur de relatione operum *in gloriam Dei*, de qua (teſte *Steyaertio* in Append. ad 1. part. controv. 1. q. 1.) non eſt ſpecies apparentiæ, quòd Apoſtolus vel Chriſtus aliquod novum præceptum promulgaverit.

℣. 32. *Sinè offenſione eſtote Judæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei:*

Tales vos gerite, ut nullum præbeatis offendiculum neque *Judæis*, neque *Gentilibus*, neque omninò fratribus: nam hi ſunt in Eccleſia Dei, illi foris.

℣. 33. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis: ut ſalvi fiant.*

Omnibus omnia factus, ut omninò aliquos ſalvos faciam, multorum commodum magis quæro, quàm meum. Sic me exhibeo, ut *omnibus* placeam ad profectum: ex *Hier.*

CAPUT XI.

Viros aperto capite, mulieres autem operto orare jubet. Arguit quod Dominicam cœnam tumultuosè celebrarent.

℣. 1 *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.*

INvitat ad ſui imitationem, quia decet diſcipulos imitari magiſtrum; & filios patrem. Chriſtus nihil propter ſe fecit aut paſſus eſt, ſed ſalutis causâ multorum, ùt ait *Hier.* & *Chryſ.*

℣. 2. *Laudo autem vos fratres quòd per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.*

Hoc capite duo reprehendit & corrigit. Alterum, quòd mulieres ſinerent orare non velatas: alterum, quòd uſum cœnæ Dominicæ perverterent cum indigna tractatione myſteriorum. Incipit autem à laude, quòd præcepta ab illo tradita tenerent. Sunt, qui ironicè dictum putant iſtud *laudo vos*: ùt *Theod.* & *Amb.* *Omnia* verò, intellige doctrinam, *præcepta*, traditiones: *ten tis* vel ex Græco, *ten te.* Ut ſit ſenſus. Non ſolâ memoriâ tenetis, quæ vobis ſervanda tradidi & præcepi, id eſt, traditiones, inſtituta, præcepta; verùm ipſo ope-

re ea præſtatis. Quare hic locus palàm facit pro traditionibus non ſcriptis, iiſque neceſſariò tenendis: ex *Eſtio*.

℣. 3. *Volo autem vos ſcire quòd omnis viri caput, Chriſtus eſt: caput autem mulieris, vir: caput verò Chriſti, Deus.*

Quia virilia ſibi officia vendicabant mulieres, ita ut in Eccleſia docendi munus uſurparent, & aperto capite prophetarent atque orarent, oſtendit *Paulus* id non decere quoniam cùm *vir caput* ſit *mulieris*, id eſt, Dominus; & ipſius *Chriſtus*, *Chriſti* autem *Deus*: non decet ergo mulierem aperto capite orare aut prophetare: prophetabant enim eâ ætate mulieres, ſicut *in Actis* c. 21. de filiis Philippi legimus. *Omnis viri*. Græci interpretes limitant ad ſolum fidelem, non infideles, qui non ſunt ejus membra: ſed hoc non obſtat, nam & Angelorum *caput* eſt Chriſtus, *Col*. 2., quos tamen membra Chriſti non vocamus. *Chriſtus* quidem etiam caput mulieris, ſed viro mediante, ad quem ſpectat mulieris gubernatio, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus; quod extenditur etiam ad Virgines, unde neceſſe eſt & Virginum monaſteria à viris gubernari. Caput verò *Chriſti Deus*, ſicut Pater major ipſo eſt, *Joan*. 14., ùt homo eſt, & ùt futurus eſt ſubjectus ei, *qui ſubjecit ipſi omnia*, *c*. 15. Porrò *caput Chriſti Deus*, quòd ex Deo Chriſtus genitus ſit, ideòque Deum habeat authorem, principium & cauſam, ùt Græci loquuntur & *Ambr*. Ferè omnes intelligunt de Chriſto ùt homine: nam durè ſonat in divinis patrem dici caput: ſic etiam aliqui Latini Patres.

℣. 4. *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum.*

Deturpat, id eſt, ignominiâ afficit: *Caput*

autem vel Chriſtum intellige, dum, qui immediatè ſubjacet Chriſto, profitetur per velamen uxori ſe ſubeſſe. Nam velamen, ùt omnes hìc exponunt Græci & Latini, ſubjectionem indicat. Vel *caput ſuum*, id eſt, ſemet ignominiâ afficit muliebre uſurpans officium, atque uxori ſeſe ſubmittens. Notandum illo tempore, quo *Paulus* hæc ſcripſit, nondum in Eccleſia introductum eum orandi & pſallendi morem qui nunc eſt, ut ſcilicet alternatim id fiat, idque per multos invicem è regione ſpectantes: ſed unus pro omnibus orationem aut pſalmum recitabat publicâ voce, cæteris tacentibus & auſcultantibus; quod & fieri præcipit Apoſtolus c. 14. Itaque de viro aliter orante, non autem de cæteris, Apoſtolum loqui putant aliqui: quamquam aliis magis placet generalis intellectus, tam in hac ſententia, quàm in ſequenti; quia & Apoſtoli rationes generales ſunt. *Prophetans* dicitur qui prophetias olim revelatas vel alias ſcripturas in conventu pronunciat. Vel qui ſcripturas exponit ac reſerat. Vel qui pſalmis & hymnis Deum laudat. Sed c. 12. 13. & 14. prophetiam recenſet inter cætera Spiritûs ſancti dona: ideò *prophetans* dicitur, qui futura annunciat ex Dei revelatione: vel qui divino ſpiritu afflatus occulta quædam profert auditoribus, ſive ſint res futuræ, ſive reconditi ſenſus ſcripturarum præſertim propheticum, ſive latens quodcumque myſterium, ùt *Rom.* 12. 1. *Theſſ.* 5.

℣. 5. *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum: unum enim eſt ac ſi decalvetur.*

Mulier orans aperto *capite* ignominiâ afficit *caput ſuum*, ſcilicet vel virum dum rejecto ve-

lamine (quod eam viro ſignificat ſubditam) ſubjectionem viri excutit; vel ſemetipſam, vel caput quoque ſuum: quia *unum* perinde *eſt ac ſi decalvetur* aut tondeatur: Id eſt, tam indecorum eſt, mulieres aperto capite orare, quàm tonſam aut decalvatam incedere: Id enim mulieri peplum, quod naturale velamen capillorum. Propterea verò naturali velamini quodam impulſu naturæ etiam aliud ſuperaddit, ut oſtendat ſe voluntate facere, quod natura docet faciendum, id eſt, ut viri gubernationi ſe ſubmittat. Itaque dum capiti non adhibet velamen, quantum in ſe eſt, ait *Oecum.*, etiam naturale tegumentum excutit, puta capillos. Oſtendit autem hic locus, eas prophetaſſe etiam in publico conventu, ùt *Act.* 2. ℣. 17. & *Luc.* 2. & infrà *cap.* 14. At quomodo non pugnat cum ipſius Apoſtoli lege, qui ibi vetat mulierem loqui in Eccleſia, & 1. *Timot.* 2. Dicunt, ordinariam quidem loquendi functionem fuiſſe prohibitam mulieribus: Si tamen interdum à ſpiritu Domini moverentur, non eis interdictum fuiſſe, quominùs aliquid loquerentur: exemplo Annæ *Luc.* 2. Alii putant *Paulum* reſpicere ad privatos cœtus virginum aut matronarum. Alii dicunt *Paulum* id reprehendere ex duplici cauſa, & quia prophetabat in Eccleſia, & prætereà quòd id faceret *capite non velato*. Verùm hoc quidem loco tantùm ex profeſſo reprehendit Apoſtolus, quòd non velata mulier vel oraret vel prophetaret in Eccleſia: nam de velando capite præſentem inſtituit ſermonem: non abſolutè de eo, quod eſt prophetare aut loqui in Eccleſia; de hac re agit *cap.* 14., ubi ſimpliciter ſtatuit mulieri non eſſe loquendum, ne quidem ſi promptum ſit ei prophetare: ex *Eſtio*.

℣. 6. *Nam ſi non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe eſt mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput ſuum.*

Hoc adjungens ſignificavit, quòd non in precatione tantùm & prophetiâ oporteat ipſam eſſe velatam, ſed ſemper: nam ut raſam eſſe in precatione non tantùm & prophetia indecorum eſſet, ſed & ſemper; ita quoque intectam eſſe. Oppugnant ex his verbis Hæretici morem Eccleſiæ, in qua virgines monaſticam religionem profitentes raduntur capite. At ſic deponunt omnem ornatum ſæculi. Et cùm in ſignum ſubjectionis dati ſint eis capilli; Chriſto jam deſponſatæ & in libertatem vindicatæ nihil ampliùs viris debent, quoad ſubjectionem conjugalem. Sic raſo capite manu mittebatur ſervus Romanus.

℣. 7. *Vir quidem non debet velare caput ſuum: quoniam imago & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt.*

Theodoretus aſſerit, virum non dici imaginem Dei ratione corporis & animæ tantùm, eſt enim hoc modo mulier, etſi imperfectiùs & tanquam imago imaginis Dei, *imago & gloria Dei*, ex *Oecum.*; ſed ratione principatûs, qui homini creditus eſt in omnia animantia. Eſt ergo *imago Dei* vir & ſimilitudo ejus, principatum habens in omnia animantia & viventia, ſicut in hominem & alias creaturas habet Deus. Non debet ergo velare caput, quia velamen ſubjectionis eſt argumentum, & quia gloria Dei non eſt occultanda ſed revelanda. Velanda ergo mulier, quæ *gloria viri* eſt, non vir, qui gloria Dei; ex *S. Thom.*

℣. 8. *Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro.*

Viri prærogativas oſtendit, propter quas ipſi

datum eſt dominari. Et quia in prima rerum conditione *mulier ex viro* facta, ideò debet eſſe ſub viri poteſtate, cujus rei ſignum eſt velamen capiti ejus ſuperpoſitum. Vel *mulier ex viro* formata eſt, non contrà; & proinde mulier eſt gloria viri. Quòd ſi id, quod ex aliquo eſt, gloria illius eſt ex quo eſt, multò magis ſi imago ſit, ait *Chryſ.*

℣. 9. *Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum.*

Alia eſt prærogativa viri ſupra mulierem ex cauſa finali: nam conſtat virum non *propter mulierem* creatum eſſe, ſed mulierem *propter virum. Gen.* 2. Ergo debet vir mulierem regere, non mulier virum. Vel mulier eſt propter virum, non contrà: Et ideò vir in muliere propter ſe formata gloriari poteſt.

℣. 10. *Ideò debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos.*

Græci habent *poteſtatem*, licèt id interpretentur *velamen*, quo ſe mulier ſub poteſtate viri eſſe agnoſcit: mulier ergo velamen debet habere & propter virum, cui ſe ſubditam agnoſcat, oportet; & quia velamen jugum illarum eſt, ex *Tert. de vel.* c. 7., & *propter Angelos*, quos teſtes habet obedientiæ ſuæ aut inobedientiæ, ex *Chryſ.* Vel propter ſanctos & probos viros, quos vocat Angelos, ob quos vult mulieres velatas incedere, ne ad fornicationem eos incitent: ex *Clem. lib. 2. hypot.* Vel propter Eccleſiæ præfectos, ùt *Apoc.* 1. 2. & 3. & alios miniſtros altaris: ita *Sedulius* & *Ambr.*

℣. 11. *Verumtamen neque vir ſinè muliere, neque mulier ſinè viro, in Domino.*

Quia multùm depreſſit mulierem, dicens, quòd *de viro* eſt & *propter ipſum* facta eſt &

ſub illius poteſtatem redacta; nunc moderatur illud: Ne mihi, inquit, ea quæ in prima creatione facta ſunt referas, ſed ad ea quæ nunc ſunt, accede. Nam, ſi præſentia requiras, quiſque altero eget, ut in eſſe permaneat. Deinde ſubjungit in Chriſto, *in Domino*, hoc eſt propter Dominum, quia ipſe eos creavit, ut ſibi mutuo cauſæ eſſent: primum namque principium fuit ipſe Dominus: ex *Hier.*

℣. 12. *Nam ſicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo.*

Non dixit ex muliere, nempe quòd ejus rei, ut *vir* ſit *per mulierem*, cauſa ſit ipſe vir, tanquam originale principium. Poſtquam ergo dixit, ipſos eſſe ſui effectores, conſolatus paululùm mulierem; ſubjungit: *Omnia verò ex Deo.* Nam Deus architypus, primumque principium: ex *Oecum.*

℣. 13. *Vos ipſi judicate: decet mulierem non velatam orare Deum?*

Num, inquit, decorum eſt, mulierem capite non coöperto Deum orare? quaſi dicat, minimè. Siquidem vulgo reputatur id indecorum. Non addit nunc prophetare, ſed ſolùm orare: quia nec ſi velata ſit mulier, prophetare ei licet in Eccleſia, *cap.* 14.

℣. 14. *Nec ipſa natura docet vos, quòd vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi:*

Itaque ipſi quoque naturæ, inquit, repugnat qui non obtemperat. Non damnat ſi vir capillos aliquantulùm alat valetudinis cauſâ, ne frigus noceat capiti, ùt fit in frigidis regionibus: verùm ſi comam alat intonſam, quod fœminarum eſt, ùt Abſalon 2. *Reg.* 18. vel ſi ſanctitatis ſpeciem aucupetur.

℣. 15. *Mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi: quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.*

Quoniam ergo ex natura habet velamen capillorum, debet & ipſa velari, ne naturalia pervertat jura. *Dati ſunt*, hoc eſt à natura habeantur in ſignum ſubjectionis.

℣. 16. *Si quis autem videtur contentioſus eſſe: nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.*

Si quis, inquit, ad ea quæ dicta ſunt, non pudefiat, non acquieſcat, ſed pro ſua contraria opinione, quâ negat, oportere velari feminas in Eccleſia, certare pergat, *Nos conſuetudinem non habemus* contendendi, ſed magiſtrorum præceptis abſque contradictione obtemperandi: ſic *Chryſ.* Vel *nos eam conſuetudinem non habemus*, ut mulieres orent in eccleſia capite non velato: ſic *Theoph.*

℣. 17. *Hoc autem præcipio: non laudans quòd non in melius, ſed in deterius convenitis.*

Hoc refert *Gaig.* ad præcedentia, ſcilicet mulierem velato capite orare, virum aperto. Ex quo ſtatim ad aliud tranſeat, nec tamen interim laudo, quòd *non in melius, ſed in deterius convenitis.* Græci hìc habent, *hoc autem præcipiens non laudo:* & ad ſequentia referunt, ut ſenſus ſit: illud de quo nunc vobiſcum agere inſtitui, & præcepta dare, tale eſt quod laudare non poſſum, imò vehementer improbo; quòd non ad utilitatem & ſpiritualem profectum, ſicut oportebat, *convenitis* ad Eccleſiam; ſed magis ad ſpirituale detrimentum. Ita conventum agitis Eccleſiaſticum, ut ex eo non fructum pietatis, ſed diſpendium referatis.

Loquitur autem non de quocumque conventu, ſed de eo, qui fiebat ad celebrandam Dominicam cœnam.

℣. 18. *Primùm quidem convenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo.*

Neceſſe eſt hoc loco conſuetudinem Corinthiorum repetere ex *Chryſ.*; ſtatutis diebus conveniebant in Eccleſiam (inquit) fideles, atque ibi poſt myſteriorum ſcilicet corporis & ſanguinis Domini communicationem, communia omnibus ex æquo fiebant convivia pauperibus & divitibus, quæ à communi invicem charitate ἀγάπαι, id eſt, charitates vocabant: ibi, communiter omnes diſcumbebant in hymnis, gratiarumque actionibus convivia illa tranſigentes. *Auguſtinus* tamen ait, quòd more Chriſti, qui agnum paſchalem primùm diſcipulis dedit, deinde ſuum corpus & ſanguinem, primùm in Eccleſia Chriſtiani convivia communia faciebant, deinde ad menſam Domini accedebant: Verùm ſive ante, ſive poſt; jam ab illo more honeſtorum conviviorum deſciverant, ſed particularia convivia faciebant, ubi ſe ingurgitabant. Quin etiam, ùt Græcis quibuſdam viſum eſt, non in communi menſa Chriſti corpus & ſanguinem, ſed privatim prout variæ erant illorum ſectæ ſumebant, atque à menſa Domini, & à ſuis illis conviviis pauperes arcebant: quos ideò arguit *Paulus*, *audio*, ait, ſic *vobis convenientibus ſciſſuras* & ſectas eſſe *inter vos*. Sunt qui *ſciſſuras* intelligunt vel de loco recumbendi, vel de tempore cœnæ inchoandæ; vel de cibis ipſis ac potibus, aliiſve hujuſmodi diſceptatum illic fuiſſe: maximè inter divites & pauperes. *Et ex parte*, græcè, *partem aliquam credo*, ſcilicet vel par-

tem aliquam illorum, quæ ipſi narrata eſſent; vel partem aliquam, id eſt, de aliquibus eorum *credo* ea, quæ narrata ſunt: ex *Eſtio*.

℣. 19. *Nam oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt; manifeſti fiant in vobis.*

Græci hoc loco, ùt *Chryſ.* non falſas opinionum ſectas, ſed ſchiſmata diſſentionum interpretantur, quia jam non communiter poſt vel ànte cœnam Dominicam veſcerentur, ſed neglectis pauperibus diviſim per ſectas. *Oportet ergo*, inquit, *hæreſes*, id eſt, diſſenſiones eſſe, *& in vobis*, quaſi dicat. Veſtra Eccleſia non magis exempta eſt ab hoc malo, quàm aliæ. Latini verò ſimpliciter hæreſes intelligunt in doctrina, q. d. *Oportet* etiam *hæreſes* ſuboriri; non igitur incredibile eſt, diſſenſiones, quæ ad mores & ambitionem pertinent, excitatas èſſe inter vos. *Ut qui probati ſunt*, id eſt, viri probi *manifeſti fiant* in Eccleſia, dum ſectis non ſe jungunt, nec ab unitate recedunt, quamvis tentati multorum exemplis; ſed fidei ſinceritatem cum charitatè retinent. Quæ quidem manifeſtatio non ſolùm eis honorifica eſt, ſed etiam plurimùm valet, ad confirmandos in fide infirmos. *Tertullianus* probatos ſeu *probabiles* interpretatur electos, *de præſcript.* cap. 39., dicens ut electi manifeſtentur, ut reprobi detegantur. Nam abſolutè & uſque in finem, probàti ſoli ſunt electi.

℣. 20. *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non eſt Dominicam cœnam manducare.*

Sic ergo *vobis in unum*, id eſt, in unam Eccleſiam *convenientibus*, non eſt *Dominicam cœnam manducare*, id eſt, dum ſic particularia con-

convivia facientes in Eccleſia convenitis, non poteſtis ut par eſt, & quâ dignitate decet, cœnam Domini manducare, ſive antecedenter ſic ingurgitamini, ùt putat *Auguſt.*, ſive conſequenter, ùt *Chryſ.* Spirituale convivium & corporale paſchalis agni commune fuit diſcipulis omnibus. Dominus enim in eadem menſa accubuit, nec ipſum proditorem ſuum à communi menſa repulit. Vos autem fratres veſtros, eo quòd pauperes ſint, excluditis & communi charitate neglectâ, ſeorsùm veſcimini. *Cœnam Dominicam* intellexit *Aug. Epiſt.* 118. epulum ſacrum, in quo ſumuntur corpus & ſanguis Chriſti: At ex hac menſa aliqui ita ingurgitari non poterant, ut ebrii dicerentur; nam certa ac determinata ſacri liquoris portio ſemel ſumenda ſingulis dabatur. Alii meliùs convivium commune fidelium dici, in quo omnes tam pauperes, quàm divites reficiebantur; videlicet inſtitutum ac ſolemni more celebrari ſolitum, ad exemplum & quandam repræſentationem illius cœnæ, quam Chriſtus Dominus ultimam habuit cum diſcipulis, priuſquam corporis & ſanguinis ſui myſterium inſtitueret: Nam ad repræſentandam illam Domini cœnam etiam ad veſperam celebrabatur à fidelibus hoc convivium, idque præmiſſo jejunio, ùt conſtat ex fine hujus capitis ℣. 34.: & ad alendam inter fideles mutuam charitatem, præſertim inter divites & pauperes (cujus veſtigium cernitur apud quoſdam monachos & canonicos cœnam Dominicam agentes ipsâ feriâ quintâ cœnæ Domini) unde ἀγάπαι, id eſt, charitates dicebantur, velut quædam fraternæ dilectionis ſymbola, ùt diximus. Porrò *Chryſoſtomus* putat tam oblationem quàm perceptionem Euchariſtiæ fuiſſe convivio priorem. At notavimus in Manuali in *Matth.* 26.

& ex *Auguſtin. epiſtol. ad Januarium*, morem fuiſſe, ut priùs haberetur convivium illud commune, poſteà fieret oblatio & participatio ſacræ Euchariſtiæ, & patet ex iis, quæ ſubjiciuntur mox de indigna ſumptione corporis & ſanguinis, deque probatione ante ſumptionem neceſſaria: nam hæc locum non haberent ſi convivium, & quæ in eo peccata erant, facta fuiſſent poſt ſumptam Euchariſtiam: Neque enim quis judicatur indignè ſumpſiſſe propter peccata poſteà commiſſa. Hoc ipſum ſignificant *Luc.* 22. & *Paulus* hoc cap., cùm dicunt, Dominum calicem diſcipulis porrexiſſe, *poſtquam cœnavit*: quod idem de pane intelligendum eſt. Non enim diviſum fuit hoc myſterium, ut una pars inſtitueretur ac ſumeretur in cœna, pars altera poſt cœnam: ſed actione continuatâ poſt cœnam utraque pars, id eſt, totum ſacramentum inſtitutum fuit. Et confirmat mos uſque ad *Auguſtini* tempora, ut in anniverſario die cœnæ Domini myſteria à non jejunis ſumerentur, videlicet ad imitationem & commemorationem ejus, quod in illa cœna factum fuerat: ex *Carthag. Conc. can.* 29., cui interfuit *S. Auguſt. ex epiſt.* 233. Cæterùm mos ſumendæ Euchariſtiæ poſt cœnam, cibumve communem; exceptâ feriâ quintâ cœnæ Domini, poſtmodùm mutatus eſt ab ipſis, ùt credibile eſt, Apoſtolis; ex *eadem epiſt. Aug.* c. 6.

℣. 21. *Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit: alius autem ebrius eſt.*

Præſumit, id eſt, præoccupat & anticipat *cœnam ſuam ad manducandum*: Græcè, in comedendo. Divites enim non vocatis aut expectatis pauperibus contra Eccleſiæ conſuetu-

ſinem & Dominicæ cœnæ imitationem rejiciebant à ſuis conviviis pauperes, in quo eos arguit, atque etiam, quia ſe ingurgitarent; ideò dicit in fine capitis, *cum convenitis ad manducandum, invicem expectate.* Nam edulia domi præparata atque in Eccleſiam allata, quia debebant in commune conferre, ſibi ſolis vendicabant, aliis excluſis aut non expectatis: vel ante comedebant, quàm venirent in Eccleſiam. Malè hinc Hæretici calumniantur Miſſas privatas, quia de menſa myſtica non loquitur Apoſtolus, ſed de convivio, ùt diximus & de eo ex quo pauperes excluduntur. At Miſſæ privatæ non excludunt alios communicare volentes, imò invitant: ex *Conc. Trid.*

℣. 22. *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.*

Id eſt. Si ſe ingurgitare viſum fuerat, nonne privatìm domi id faciendum erat, & non neglectui habenda ac hiſce comeſſationibus polluenda Eccleſia? *An non*, inquit, *confunditis eos qui non habent?* Scilicet pauperes, id eſt, an ad eorum ignominiam illos non admittitis & rejicitis? Græci per Eccleſiam intelligunt domum materialem: Alii cœtum Chriſtianorum, qui vocatur Eccleſia Dei, quia convocata à Deo, quam deſpiciebant qui vacabant ebrietati. Vel pauperes contemnebant, qui erant bona pars Eccleſiæ, de quibus *Jac.* c. 2. agit. Dicit autem *Paulus* non Eccleſiam ſimpliciter, ſed *Eccleſiam Dei*: ut oſtendat factum hujuſmodi in Dei injuriam cedere, ſub cujus nomine conventus habebatur. Etſi in aliis laudare vos poſſim, & jam ante laudaverim, ta-

men in hoc facto laudare, inquit, non poſſum. Vel ùt alii legunt, *laudo vos in hoc? Non laudo.*

℣. 23. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem,*

Accepi à Domino, immediatè ſcilicet per revelationem, ùt ad *Galat.* 1., didici *à Domino quod & tradidi vobis*, id eſt, quod vos docui, modum ſcilicet conſecrandi & manducandi corporis Dominici. Facit autem hoc loco mentionem inſtituti ſacramenti: ut quemadmodum neminem ſuorum à ſacroſancta menſa Chriſtus abjecit: ita nec à ſuis conviviis, quæ Dominicam cœnam repreſentabant, arcere eos pauperes doceret. Et quia Corinthii cœnam Dominicam ita agebant, ut contra dignitatem ac reverentiam ſacrorum myſteriorum, quorum celebratio cœnam illam continuò ſequebatur, graviſſimè peccarent: ùt, qui ad ea participanda indignè venirent poſt epulas, crapulam & ebrietatem, poſt pauperum injuriam, & contemptum Eccleſiæ Dei. Id oſtendere volens & tam grande ſcelus corrigere, refert inſtitutionem ſacramenti. Ex qua intelligatur magnitudo myſteriorum, & peccati gravitas eorum; à quibus illa indignè tractata fuiſſent. Monens fideles, quid inter myſteria agere & qualiter præparati ad ea accedere debeant. Repetit autem ſcripto eam traditionem, quam verbo tradiderat: quod utique non feciſſet, ſi contra eam traditionem à Corinthiis non fuiſſet peccatum. Ex quo manifeſtum eſt Apoſtolis non fuiſſe propoſitum, ut omnia ad fidem Chriſtianam pertinentia ſcripto mandarent: ſed ea ſola ab illis ſcripta fuiſſe, quæ pro rerum occaſione ſcribenda occurrebant: cætera remanſiſſe in traditionibus non ſcriptis. Verùm ut

non ſatis fuit teſtimonium illud Patris de Chriſto, *hic eſt filius meus dilectus, &c.*, à tribus Evangeliſtis ſcriptum eſſe, ſed etiam à *Petro* ſcribi voluit tanquam quarto Evangeliſta; videlicet propter excellentiam myſterii: ita nec ſatis ei fuit, à tribus Evangeliſtis commemorari inſtitutionem ſacroſanctæ Euchariſtiæ, ſed etiam à *Paulo* velut quarto Evangeliſta voluit eam deſcribi, quo magis tanti myſterii fides & veneratio fidelibus eſſet commendata, ùt notat *Eſtius*. Meminit *Paulus* proditionis Chriſti, tum ut ejus charitatem commendet, qui in proxima expectatione tantæ injuriæ, quam ab hominibus accepturus erat, ſymbola ſummi amoris hominibus tradiderit: tum ut indicet, quanti faciendum ſit hoc myſterium, quod Chriſtus ad paſſionem & mortem iturus in ſui memoriam nobis extremum reliquit. Panis quem accepit, azymus erat, ex *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. ùt notavimus in Manuali.

℣. 24. *Et gratias agens fregit, & dixit: accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.*

Græcè, *Et gratiis actis Deo patri, elevatis in cœlum oculis*, ùt *Matth.* 14. & *Joan.* 12., *fregit*, &c. Significatur enim gratiarum actionem præceſſiſſe panis fractionem, & verborum, quæ ſtatim recitantur, prolationem. *Egit* autem *gratias* Patri, tum generatim pro beneficiis ab eo vel in ſua perſona acceptis, vel in humanum genus collatis, tum ſpeciatim pro beneficio ſacramenti mox inſtituendi: quod beneficium etſi nondum reipsâ præſtitum eſſet; præordinatum tamen ſciebat & promiſſum à Patre, moxque exhibendum; quâ ratione materia erat gratiarum actionis. At nihilominùs conjunctam

habuit hæc gratiarum actio precationem, qua dicti beneficii exhibitionem, id eſt, panis in ſuum corpus tranſmutationem idem Dominus à Deo patre petebat. Quam bonam ſuper pane precationem Evangeliſtæ benedictionem vocant, in eo quod dicunt Chriſtum benedixiſſe, ut ad illud *cap.* 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus* &c. dictum eſt. Ab hac porrò gratiarum actione ſacramentum, cujus hìc inſtitutio refertur, Euchariſtia vocata eſt: ut ipſo nomine nos etiam ad agendas gratias excitaremur. *Et dixit* utique diſcipulis ſuis duodecim, quos omnes & ſolos habebat hujus epuli convivas: *Accipite & comedite*, non tam præcipientis, quàm invitantis verba ſunt: *Hoc eſt corpus meum.* Et hæc verba non ſimpliciter ac nudè enunciativa ſunt, ſed operatoria, quibus id, quod ſignificabat, effecit, id eſt, ex pane corpus ſuum, & hoc ipſum iiſdem verbis ſignificavit. Sed & nos ſi haberemus poteſtatem tranſmutandi rerum naturas, ſimili modo poſſemus convenienter loqui: velut accepto lapide dicere, hic eſt panis; & acceptâ aquâ, hoc eſt vinum. Itaque non major eſt difficultas de intellectu verborum Chriſti, quàm eſſet de intellectu ſimilium verborum à nobis prolatorum. Nam cùm operatoria fuerint & ſignificantia idipſum, quod operabantur, nempe tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti: non poterat pronomen *hoc*, monſtrare panem, quamvis ipsâ prolatione durante adhuc ibi exiſtentem: ſed monſtrabat id, quod per verba fiebat ex pane, quodque completâ verborum ſignificatione, ſcilicet in termino prolationis, ibi futurum erat, id eſt, *corpus Chriſti*, ut ſenſus loquentis hoc modo reddi poſſit: id quod ex hoc pane facere intendo, & facio, *eſt corpus meum.* Vel hæc res ſingularis, quam demonſtro completâ enun-

ciatione, *eſt corpus meum*. Ex his etiam patet verbum *eſt* in hac enunciatione & quavis ſimili retinere propriam & conſuetam ſignificationem, ſicut & in verbis quibus calix conſecratur. Nam ſic exponere, *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, ſignificat corpus meum, vel eſt typus ac figura corporis mei, eſt hæreticorum figmentum jam olim ab Eccleſia damnatum. Sic enim perverti poſſet illud Dei Patris de Chriſto teſtimonium, *Hic eſt filius meus*, dicendo hic eſt typus & imago quædam filii mei. *Quod pro vobis tradetur*, ſcilicet in mortem traditione non quâ Judas aut Judæi aut Pilatus tradiderunt Dominum; ſed quâ Dominus à ſe ipſo traditus eſt immenſâ ſuâ erga nos charitate, juxta *Iſaï*. 53. *Gal*. 2. *Eph*. 5. 1. *Petr*. 2. *Quod* ..... *tradetur* apud *Luc*. 22. legitur, *quod pro vobis datur*. Et græca exemplaria hic conſtanter legunt, κλώμενον, *frangitur* in præſenti; quibus Syra conſentiunt, & liturgia *Baſilii* &c. Citat & *Beda* hunc *Pauli* locum in commentario *Lucæ* 22. his verbis: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis confringitur*; ne mentione quidem alterius lectionis, quæ nunc codices occupavit, factâ. Putat *Cajetanus* in græco præſens poni pro futuro, & refert fractionem, de qua hic Apoſtolus, ad paſſionem Chriſti ſubſequentem. At minùs rectè; cùm enim hæc fractio non ſignificet animæ ſeparationem, & cùm in Chriſto patiente nulla fuerit oſſium vel aliarum partium fractio, teſte *Joan*. c. 19. juxta illud *Exod*. 12. *os non comminuetis ex eo*, & cùm hæc verba, *qui effunditur*, non reſpiciant effuſionem ſanguinis futuram in cruce, ſed ad eam, quâ ſub ſpecie vini fundebatur in cœna, ſcilicet è calice in ora diſcipulorum: ſimiliter hæc verba, *quod pro vobis frangitur*, ad eam fractionem, quæ

in cœna facta eſt, referri convenit: quia ſpecies panis ſub quibus continetur, franguntur, nimirùm eâ ratione, quâ, quæ circa ſpecies contingunt, fieri dicuntur circa corpus, vel in corpore Chriſti, quod ſpeciebus ſingulari quodam modo conjunctum eſt. Quoniam ergo propriè panis dicitur frangi, quando manibus dividitur, fit ut pane tranſmutato, fractio quæ fit in ſpeciebus, attribuatur corpori Chriſti, ſive ſub nomine panis ùt ſuperiori capite *panis quem frangimus*: & in *Actis Apoſtolorum*, ſive ſub nomine corporis Chriſti, ùt in confeſſione *Berengarii*, quâ dicitur Chriſti corpus *in veritate manibus ſacerdotum tractari*, & *frangi*, & *fidelium dentibus atteri*. Dicit autem Dominus, *quod pro vobis frangitur*, eo quòd fractio corporis in ſacramento myſtica quædam repreſentatio ſit paſſionis ejus, quam pro nobis ſuſtinuit in cruce: ut panis fractus intelligatur ille, qui in cruce *attritus eſt propter ſcelera* noſtra. *Iſa.* 53. Et hæc fractio eadem eſt cum illa, de qua *Paulus* ante, & tres Evangeliſtæ, quando commemorant, Chriſtum panem acceptum fregiſſe; nihil enim eſt in narratione vel in textu græco, quod diverſam eſſe, inſinuet: tametſi nonnulli duplicem faciunt fractionem: alteram conſecratione priorem, in partes majores; alteram poſteriorem in partes minores, ſed ſinè neceſſitate; nam verbum *fregit*, poteſt facilè referri ad tempus prolationis verborum, quibus dictum eſt, *quod pro vobis frangitur*: ut actionum Chriſti Domini fuerit hic ordo, conſecrare, frangere, diſtribuere: qui idem eſt earum actionum ordo, cùm fiunt à miniſtro ſacerdote, ùt notat *Eſtius*, & nos in *Manuali in cap.* 26. *Matth. Hoc facite in meam commemorationem*; id eſt, quòd nunc facio, quodque vos me jubente nunc facitis:

id ego deinceps à vobis & ſucceſſoribus veſtris, cæteriſque fidelibus fieri volo, idque *in mei commemorationem*, id eſt, recolentibus memoriam paſſionis & mortis meæ pro vobis. Illud tamen ſciendum, non omnes actiones præcepto quod dicitur, *Hoc facite*, comprehenſas pertinere ad omnes fideles, ſed alias quidem præcepi diſcipulis & eorum ſucceſſoribus, ut id faciant quod Chriſtus: id eſt, conſecrent, offerant & aliis diſtribuant corpus Domini; ſimul cum præcepto poteſtas datur hæc faciendi. Jam quòd eadem verba ſecundùm aliquas actiones etiam ad cæteros fideles pertineant, quatenùs ſcilicet in eis includitur præceptum accipiendi & edendi, idque in memoriam paſſionis Dominicæ, patet ex verbis: *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, &c.* Quibus explicans hæc Chriſti verba ad diſcipulos dicta: *Hoc facite in meam commemorationem*, ea refert ad totam, quam alloquitur Eccleſiam Corinthiorum. Nam & laïci ex canone Miſſæ offerunt ſuo modo, ſcilicet per miniſterium ſacerdotum pro ipſis offerentium, cui miniſterio conſenſum, fidem ac devotionem ſuam adjungunt: ex *Eſtio.*

℣. 25. ***Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.***

Similiter, Græcè, *ad eundem modum*, id eſt, ſimili ritu & ordine. *Poſtquam cænavit*, pro quo in canone Miſſæ legitur, *poſtquam cænatum eſt*: quod autem hic de calice dicitur accepto & conſecrato *poſt cænam*; idem & de pane ſubintelligendum admonuimus, cùm ℣. 20. de vocabulo *cænæ Dominicæ* ageremus. Et ſicuti diximus ℣. 24. hæc verba, *Hoc eſt corpus*

meum, non eſſe ſimpliciter enunciativa, ſed operatoria ejus, quod enunciant; ſic pariter de his verbis, *Hic calix* &c. dicendum eſt. Intendit enim per ea Dominus aliquid operari, id eſt, ex vino ſanguinem ſuum efficere, & hoc ipſum iiſdem verbis ſignificare ut ſit ſenſus: id quod hoc poculo continetur, eſt ſanguis meus, in quo, id eſt, per quem *novum teſtamentum* ſancitur & confirmatur. Nam ſicut *vetus teſtamentum* confirmatum fuit effuſione ſanguinis vitulorum, ejuſque in populum reſperſione, *Exod.* 24., ita *novum teſtamentum* Chriſtus velut novi teſtamenti mediator confirmavit ac ratum fecit effuſione ſui ſanguinis in populos ſacramentaliter diſtribuendi; quam diſtributionem ſignificavit ea, quæ primùm facta eſt in diſcipulos tanquam ſemina quædam populorum, qui poſteà credituri erant. Vocatur autem *novum teſtamentum* ea promiſſio, quâ Deus ſpiritualia bona, id eſt, fidem, ſpem, charitatem, veniam peccatorum, legis obedientiam, perſeverantiam & vitam æternam electis ſuis ſe daturum promiſit, quomodo *vetus teſtamentum* dicitur pactum Dei, quod iniit cum Iſraëlitis; ut, ſi legem à ſe datam ſervarent, temporalium bonorum abundantiam eis retribueret. De utroque teſtamento locus eſt apud *Jerem.*, repetitus à *Paulo ad Hebr.* c. 8., ubi Deus priori reprobato prædicit ac promittit novum, id eſt, effectus novi teſtamenti paſſim toto orbe multiplicandos: de quibus *B. Aug. l. de Spir.* & *litt.* c. 19. & *S q.* Quòd ad præcepti neceſſitatem attinet, tenetur unuſquiſque ſacerdos in conſecrando corpore & ſanguine Domini iis uti verbis, quæ ſibi ex traditione ſuæ Eccleſiæ præſcripta habet: eſtque eadem ratio de azymo pane & fermentato. Non dubium tamen, quin ad conſecra-

tionem calicis ea ſaltem verba ſufficiant, vel quæ apud *Paulum*, vel apud quemlibet Evangeliſtarum leguntur. *Hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem*, id eſt, ad recollendam memoriam paſſionis & mortis meæ: quæ quidem expreſſiùs repreſentatur per calicem ſanguinis ſeorſim à corpore conſecratum & acceptum, quàm per ſolam conſecrationem & ſumptionem corporis Chriſti. Cæterùm ex eo quòd hìc non abſolutè dictum eſt, *Hoc facite in meam commemorationem*, ſicut abſolutè dictum fuerat poſt conſecrationem corporis, ſed cum determinatione, *quotieſcumque bibetis*: non improbabile ſumunt argumentum Catholici ſcriptores, quo doceant uſum calicis non omnibus fidelibus eſſe neceſſarium: ex *Eſtio*.

℣.26. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis donec veniat.*

Donec veniat nempè glorioſus ad judicium. Hoc enim juge Euchariſtiæ ſacrificium duraturum eſt uſque ad adventum Domini, poſtquam in gloria non jam ſub ſpeciebus, ſed palàm excellentiore licèt nobis incognito modo, corpore illius fruemur: nec corpore modò, ſed & divinitate. Notandum in oblatione & participatione ſacrificii incruenti præcipuè quidem recolendam eſſe memoriam paſſionis Dominicæ, id eſt, cruenti ſacrificii: hoc enim propriè per incruentum ſacrificium repræſentatur, ex ipſa Chriſti inſtitutione. Prætereà *Paulus* non dicit, edendo & bibendo, id eſt, ipſo comedendi & bibendi actu, *mortem Domini annunciabitis*: ſed *quoties*, id eſt, quandocumque, *manducabitis & bibetis*. Fit autem hæc comeſtio & bibitio ſive à ſacerdote, ſive ab aliis fidelibus eo tem-

pore, quo ſacrificium offertur corporis & ſanguinis Domini: aut poſteà, velut ab infirmis, ad quos defertur hoſtia. Malè ex hoc colligunt Hæretici neceſſariam eſſe cunctis fidelibus utriusque ſpeciei communionem, ut annunciatio mortis Dominicæ, quam Dominus præcepit, ab iis fieri poſſit; cùm nec unius ſpeciei perceptio ad eam rem neceſſaria ſit, cùm ſatis ſit unà cum ſacerdote offerre, ùt notat *Eſtius*.

℣. 27. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & ſanguinis Domini.*

Id eſt. *Quicumque panem hunc*, aut *calicem indignè* ſumpſerit, obnoxius erit pœnæ, quam meretur is qui corpus & ſanguinem Domini malè & indignè tractavit; quomodo reus fuit Judas proditor, qui oſculum ori ejus impreſſit & eum tradidit: quomodo rei Judæi qui manibus injectis eum ligaverunt, in faciem ejus expuerunt, colaphis ceciderunt, palmas in faciem dederunt, denique ſanguinem ejus fundendum Pilato tradiderunt. Sic illum ignominiâ afficiunt, qui ſacratiſſimum ejus corpus manibus impuris attrectant, orique admovent execrabili; ita *Theodor.* & *Oecumen.* Nota 1. non de nudo ſigno dici reum corporis & ſanguinis Domini. 2. Corpus & ſanguinem etiam à malis ſumi. 3. Utrumque ſub una ſpecie ſumi, quia dixit *manducaverit vel biberit*.

℣. 28. *Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Quiſque *ſeipſum* examinet, ne tanti criminis reus ſit, conſcientiam ſuam examinet, nec ſiniſtrè de hoc myſterio ſentiat, ne carnale tantùm aliquid ſuſpicetur; tui ipſius arbiter eſto,

& eorum, quæ in vita geſſiſti judex non indiligens, ait *Theodoricus* ante expiata delicta, ante exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini & minantis. Quicumque ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini, *Cypr. lib. de lapſis.* Et certè conſtat plus requiri quàm ſolam fidem: Corripit enim Apoſtolus eos, qui in cœna Dominica ad ebrietatem uſque replebantur, & pauperes à ſuis menſis excludebant, quos idcircò dicit edere & bibere corpus & ſanguinem Domini indignè: hæc autem peccata propriè non fidei, ſed moribus adverſantur. Cùm autem ſeipſum probaverit & dignum repererit, tum demùm & non aliter, *de pane illo edat, & de calice illo bibat*: ex Græco.

℣. 29. *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit: non-dijudicans corpus Domini.*

Qui enim manducat & bibit indignè, vel alterum horum facit, qui vel edit vel bibit indignè, quod contingit ei, qui ſe non probaverit, *judicium ſibimet ipſi edit aut bibit*, id eſt, ſibi damnationem accerſit, qualem & quantam meretur is, qui corpus & ſanguinem Domini tractaverit indignè, pœnam ſcilicet æternam, quia non diſcernit *Corpus Domini* ab aliis cibis, id eſt, non æſtimat præ aliis ùt oportet; non attendit quantæ ſit dignitatis hoc quod accipit: ex *Eſtio.*

℣. 30. *Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.*

Oſtendit ex indignè ſumpto corpore Domini & ſanguine immaturas mortes evenire, cùm ait, *dormiunt multi:* ſimiliter & longos morbos, aliaque mala multa, ait *S. Thom.*

℣. 31. *Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Dijudicaremus, id eſt, examinaremus, & noſtra ipſi peccata condemnaremus. Modeſtiæ eſt, quâ ſe conjungit cum fratribus delinquentibus, ſciens nec ſe ſinè peccato vivere, nec paternæ correptionis eſſe immunem: ſimul ut innuat doctrinam ſe tradere generalem & ad omnes fideles pertinentem.

℣. 32. *Dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

Dum in hac vita plectimur, per morborum afflictiones tantùm *corripimur*: hujuſmodi enim animadverſio pro noſtris delictis quædam eſt benigna caſtigatio: ita *Gaig.* Sunt enim ea flagella filiorum à Chriſto Domino inflicta ad emendationem veſtram & ſalutem, quaſi dicat. Spem quam habetis in eo, non deponatis. *Cum mundo*, id eſt, cum infidelibus & peccatoribus. Oſtendit temporalia flagella valere ad evadenda æterna, ſi illis utamur ad emendationem ùt credibile eſt eos uſos fuiſſe, de quibus dixit, *& dormiunt multi.*

℣. 33. *Itaque fratres mei, cùm convenitis ad manducandum, invicem expectate.*

Præcipit Apoſtolus, ut ſe mutuò expectent *ad manducandum*; ne ſcilicet, cœnam ſuam præſumentes, indignè Dominicum corpus & ſanguinem participare probentur, ne indignè participando, rei effecti cædis corporis ipſius, judicium excipiant, ne in tale judicium incidentes, afflictionibus, cladibus ac morte conſummentur, & ne ſi tali pœnâ non fuerint puniti, in æternum ſupplicium cum infidelibus tradantur: ex *Oecum.*

AD eſurit, domi manducet: ✝. 34. Sic ut non in judicium conveniatis. Cetera autem, cùm venero, diſponam.

autem. *Si quis* non poteſt tam diu jejunus permanere in Eccleſia, donec omnes convenerint, priùs *Domi comedat*, aut certè prægustet aliquid, ne ſit ei moleſtum expectare communem cœnam. Ex quo liquet, conſuetudinem fidelium fuiſſe, ut jejunarent totâ die ad veſperam uſque, quâ cœna celebrabatur; nam alioqui non fuiſſet moleſta expectatio: vult autem Apoſtolus potiùs ſolvi jejunium, quàm ut quidquam committeretur illo convivio indignum, ne conventus ille inſtitutus ad fovendam charitatem & ad ſalutem ſuo vitio, illis cedat *ad judicium*, hoc eſt æternam damnationem. *Cætera*, intelligit ſpectantia ad dignam, honeſtam &, ordinatam myſteriorum celebrationem: quæ ſint illa, *cætera*, ſcriptum non habemus, Sed traditum: ùt de Euchariſtia à jejunis ſumenda. *Cùm venero, diſponam*. Incertum eſt, an *Paulus* adhuc ad eos venerit: potuit autem ſi non per ſe, per diſcipulos feciſſe, quod hìc promittit.

CAPUT XII.

De varietate donorum Spiritûs ſancti, eorumque diſpenſatione.

✝. 1. *De ſpiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres.*

DE donis divinis, quæ *ſpiritualia* vocat ab authore Spiritu ſancto & quibus Corinthios ditatos dixerat initio hujus Epiſtolæ, *nolo vos ignorare*, id eſt, inſtruere vos volo. Inſtructionem autem quam promittit, ex-

tendit per tria capita.
impulit: ad dandam hanc ... em, quæ Paulum quia apud Corinthios qui ... tionem fuit ſpiritualibus dotabantur; & hi quidem, donis loquebantur, alii verò prophetabant, linguis autem alia aſſequebantur: quæ dona ipſis facta fuerunt occaſio duplicis diſſenſionis, eo quòd inſipientes eſſent. Nam qui majus donum acceperat, efferebatur adversùs eos, qui minora habebant: qui verò minus acceperat, invidiâ accendebatur adversùs eum, qui majori donatus erat. Deinde etiam vates apud ipſos erant ac pſeudoprophetæ: nec manifeſtum eis erat, quis per Spiritum ſanctum prophetaret, quis verò per dæmonem vaticinaretur. Quia igitur hoc quoque illos turbabat in publicis Eccleſiæ conventibus, ſigna ponit vatis, ſeu divini, ac prophetæ; & reformat quòd inordinatè fiebat, nempè quod ſpectabat uſum donorum ſpiritualium: hæc *Oecum.*

℣.2. Scitis quoniam cùm Gentes eſſetis, ad ſimulacra muta prout ducebamini euntes.

Græcè, *ſcitis quando Gentes eratis*, vel quia *gentes eratis*, cultu ſcilicet & religione, idque majori parte; Nam inter Corinthios erant ex Judæis aliqui, *euntes* ſupple *eratis*; vel ibatis *ad ſimulacra* colenda non conſilio, ſed utcumque, id eſt qualitercumque, temerè, pro nutu ducentium, & huc illuc abducti faciles & ſequaces more pecudum, ducti ſive conſuetudine ſive principum ac ſacerdotum authoritate, & dæmonum fallaciâ. Quorſum autem hæc præfationis loco commemoret, non ſatis liquet; Græci putant, eum velle inſinuare diſcrimen inter vates idolorum & prophetas Chriſti: ac primum quidem ſignum, quo diſcernantur hâc parte ſignificari, nempè quòd

Illi vates à dæmoni arrepti velut inſani ſine mente proferrent, quæ ſuggererentur, nec haberent in poteſtate loqui aut non loqui. In prophetis autem Chriſtianis res haberet prorſus contrario modo: nam ùt cap. 14. dicitur, *Spiritus prophetarum prophetis ſubjecti ſunt.* Alterum ſignum, quòd illi Jeſum blaſphemarent: iſti non ſinè honore nominarent. Alii putant veterem idololatriam eis rememorare ut ex oppoſito declaret ac doceat, quibus donis per ſuſceptam religionem Chriſti ditati ſunt ac decorati, qui priùs *muta ſimulacra* colentes nihil hujuſmodi donorum habebant, ſed ad cultum ſtatuarum ducebantur velut pecora ratione carentia.

℣. 3. *Ideò notum vobis facio, quòd nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jeſu. Et nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto.*

Imprimis ſcire vos volo, *quòd* nullus per ſpiritum Dei loquens, ſpiritum Dei habens, *Jeſu* maledicit, interitum ei & exterminationem imprecatur. Nam *anathema*, Hebraïcè, dicebatur res execrabilis & exterminanda, ùt diximus *ad Rom.* 9. Removet autem hoc, quod eſt dicere *anathema Jeſum*, propter vates idolorum, ex Græcorum ſententia. Vel propter Judæos, qui de ſpiritu Dei glorIantes, Jeſu tamen maledicebant, atque eum non ſolùm Chriſtum negabant, ſed etiam dicebant anathema; nomen ejus penitùs extinguere laborantes. Id quod etiamnum hodie facere dicuntur in ſuis ſynagogis: videlicet imitatores patrum ſuorum, qui ſpiritu maligno pleni clamabant ad Pilatum de Jeſu, *Tolle, Tolle, crucifige eum*, *Joan.* 19. Ut negavit Apoſtolus

quemquam in ſpi[illegible] Jeſum anathema: ita negat q[illegible]ei dicere ſancto *Jeſum* dicere *Dom*[illegible]m niſi in Spiritu Jeſus Chriſtus ſit Dominus [illegible], id eſt, quòd ſcilicet redemptionis humanæ, *Matth.* 28. Nec tamen quicumque eo ſenſu prædicant aut [illegible]iteantur Jeſum eſſe Dominum, id faciunt in Sp[illegible]tu ſancto, ſed qui pio cordis affectu talem prædicant aut confitentur, cui bonitas appropriatur, & ea ſolent aſcribi, quæ ſpectant ad hominum ſanctificationem: ùt *Matth.* 7. ex *Hier.*

℣. 4. *Diviſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus:*

Id eſt, chariſmata ſeu dona ſpiritualia variè per Eccleſiam diſtributa ſunt: alia aliis donata, unus *idemque Spiritus* ſanctus eſt, qui ea omnia largitur; cujus & dona vocantur, non debita, ait *Cryſoſt.*

℣. 5. *Et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus:*

Miniſteria quoque, inquit, variè diſtributa ſunt per Eccleſiam, inter quæ inunctio baptizandi, & eleëmoſynas colligendi, cæteraque officia Eccleſiaſtica. *Idem autem Dominus.* Scilicet Jeſus Chriſtus, à quo ùt Deo, & per quem ùt hominem illa omnia conferuntur. Itaque ſi in munere eſt differentia, non tamen in datore, ait *Chryſoſt.*

℣. 6. *Et diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.*

Græcè *operationes* non quaſcumque, ſed potentes & efficaces, velut à divina voluntate profectas: ut ſenſus ſit, operandi facultates, & impetus multifariàm per Eccleſiam diſtributi ſunt. *Idem autem Deus* pater, qui eſt fons

deitatis, *qui operatur* hæc *omnia* in quibuſvis hominibus, dividens ſingulis prout vult. Vel generaliter accipiendo. Idem Deus eſt, qui prorsùs *omnia in omnibus operatur:* & proinde non dubitandum, quin & harum omnium operationum, de quibus hìc agitur, ipſe ſit author. Dicitur autem Deus in omnibus omnia operans, eo quòd intimè efficiat omnia & ſingula opera, tam naturalia quàm ſupernaturalia in omnibus operantibus, id eſt, in omnibus cauſis ſecundis: ex *S. Thoma*, ex *Iſa.* 26. Notant Patres inſinuatam à *Paulo* Trinitatem perſonarum in divinis: & chariſmata peculiariter attribui Spiritui ſancto tanquam ſpiritualium donorum largitori: miniſteria Filio tanquam Domino: Et operationes Patri, tanquam primo omnium principio. Sive tribus nominibus res eaſdem ſignificare voluerit Apoſtolus, ùt Græci putant: ſive diverſas ùt Latini meliùs ad mentem Apoſtoli explicant: nam non omnia chariſmata Spiritûs ſancti vocantur à *Paulo* miniſteria & operationes, ùt patet *ad Rom.* 12. & 1. *Pet.* 4. *Chariſmata* ergo ſunt quæcumque gratiæ gratis datæ ſeu donationes, *ad Rom.* 12. *Miniſteria*, vocat officia miniſtrandi Eccleſiæ in quocumque gradu & ordine. Cujuſmodi ſunt Apoſtolatus, Epiſcopatus, Diaconatus, &c. ùt *ad Rom.* 12. & 1. *Pet.* 4. Et ea miniſteria quæ in negotiis Eccleſiæ committebantur fœminis, ùt *Rom.* ult. *Operationes* autem vocat gratias curationum, ejiciendorum dæmonum & miraculorum edendorum.

℣. 7. *Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritûs ad utilitatem.*

Hoc eſt, *cuicumque datur* aliquod hujuſmodi donorum, per quod manifeſtatur eum accepiſſe Spiritum ſanctum, non ei datur ad

oſtentationem aut vanitatem, aut quæſtum, nec omninò fruſtrà, ſed ad *utilitatem* Eccleſiæ, id eſt, ad hoc datur, ut in communem uſum populi fidelis id quod accepit, conferat atque exerceat, ùt *Matth.* 25.

℣. 8. *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum:*

Oſtendit non omnibus omnia, nec diverſis eadem dari dona, ſed aliis alia tribui. Sic enim expedit toti corpori, ut dum membra mutuis egent officiis, mutuo inter ſe charitatis nexu contineantur. *Sermonem ſapientiæ* vocat gratiam de iis quæ ad doctrinam religionis ac pietatis ſpectant, diſſerendi ex rebus ſupremis: per quam in ſe divina cognoſcimus, ait *Auguſt.* ùt *cap.* 2. Hoc autem fit quando quis quaſi detegit ac revelat myſteria cœleſtis conſilii, velut de redemptione generis humani per humilitatem paſſionis Chriſti filii Dei, de vocatione Gentium & reprobatione Judæorum, &c. ùt *ad Rom.* 2. & cap. 3. *hujus Epiſt.* & *ad Hebr.* 5. *Sermo ſcientiæ* eſt gratia diſſerendi de rebus Chriſtianæ religionis, ex iis quæ ſunt humanæ ſcientiæ vel experientiæ. Quod fit dum ad explicandam fidei noſtræ doctrinam adhibetur philoſophia ſæcularis, item exempla, comparationes & qualiacumque argumenta à rebus humanis ad captum rudium & carnalium hominum accommodata, ùt cap. 3. ex *Auguſt. lib.* 13. *de Trin.* cap. 19. & *lib.* 14. c. 1.

℣. 9. *Alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia ſanitatum in uno Spiritu:*

Fides hìc non pro dono credendi; ſed pro conſtanti in Deum fiducia, quippe quæ montes transferre poſſit, ex *Gaig.* Vel pro ſermone fidei accipiunt, id eſt, pro gratia rectè & ſua-

ſtabiliter ea proponendi, quæ fidei ſunt: ex *S.Thom.* Vel pro certitudine fidei, quam quis excellenter habet, ùt *Matth.* 8. & 16. Vel pro conſtantia fidei profitendæ. Vel pro fide, non credendorum, ſed agendorum, id eſt, patrandorum miraculorum, ex *Cajet.*, quam Græci quoque fidem ſignorum & miraculorum vocant. Et hæc fides ſecundùm ſe, tantùm eſt gratia gratis data, hoc eſt ad aliorum utilitatem propriè conceſſa, ùt prophetia & diſcretio ſpirituum. Licèt ordinariè non exiſtat abſque perfecto quodam liberæ voluntatis aſſenſu ad ea quæ divinitùs ſunt revelata atque promiſſa, cap. 13. & *Marc.* 11. *Donum curationum*, ſeu ſanandi languores & ægritudines corporales, ſive id fiat impoſitione manuum, quæ eſt oratio ſuper hominem, ex *Aug.* 3. *de Bapt.* cap. 16. ùt *Marc.* 16. ſive re quâpiam corporali adhibitâ, ùt unctione olei, *Marc.* 16., ſive per ſolum ſignum crucis.

℣. 10. *Alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.*

Virtutum efficientia ſignificat donum edendarum virtutum, id eſt, miraculorum, quæ virtutes appellantur in Script., eo quòd ſingulari virtute Dei ſupra naturam efficiantur. Græci hanc partem à præcedenti ita diſtinguunt: quòd qui hoc dono præditi eſſent, etiam punire poſſent incredulos, aut inobedientes, ùt *Act.* 5. & 13. & 1. *Tim.* 1. & ſuprà c. 5. ad quæ facienda donum curationum non extendebatur. Sed diſtinctio quam Latini afferunt, præponderat, ut hâc parte ſignificentur miracula majora: per quæ nimirùm ea fiunt, quæ naturali virtute fieri nullo modo poſſunt.

ùt mortuos reſuſcitare, cæcos illuminare, claudis greſſum, ſurdis auditum, mutis loquelam reſtituere; dæmones è corporibus obſeſſis ejicere, &c Nam infirmorum curatio fit etiam arte humanâ, licèt non æquè citò. Miraculis majoribus etiam vim animadvertendi ſolo verbo in peccatores, annumerat *Chryſ. Alii* donum *prophetandi*, id eſt, futura prædicendi, vel ſcripturas præſertim propheticas explicandi, ſeu revelandi arcana. *Diſcretio ſpirituum*, quâ dignoſci poteſt, quo quis ſpiritu loquatur invidentiæ an charitatis: vel ad diſcernendum, quis verus propheta, quis falſus, ùt c. 14. & 1. *Theſſ*. 5. Eſtque donum præfectis Eccleſiæ in dijudicandis ſcripturarum ſenſibus, qui varii à variis afferuntur, ſummoperè neceſſarium. Et in ſomniorum dijudicatione. *Genera linguarum* eſt donum loquendi variis linguis, in Eccleſia primitiva fuit frequens, *Act*. 1. *Interpretatio ſermonum* eſt facultas peregrinas linguas interpretandi: nam diverſa erant dona loquendi linguis, & eas interpretandi. Erant enim qui linguis loquebantur, nec tamen ea quæ dicerent interpretari poterant: ſed tantùm in genere ſciebant ſe divina loqui, utpote motos à Spiritu ſancto ad loquendum. Erant autem & alii qui donum haberent interpretandi ea, quæ ab aliis peregrinâ linguâ dicebantur, ùt *cap*. 14. huic dono ſucceſſerunt linguarum profeſſores: ex *Eſtio*.

℣. 11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.*

Tacet reliquas in deitate perſonas & ſolùm nominat Spiritum ſanctum, qui in divinis amor eſt, cui proinde bonitas, & ex ea fluens diſtributio donorum bene appropriatur. Græcè,

dividens privatim unicuique ſicut vult. In græco, *ſicut vult*, referri quidem poteſt ad *unicuique*; ut ſit ſenſus; Spiritum ſanctum dividere unicuique homini, prout quiſque voluerit: ita *Orig. in enarr. Epiſt. ad Rom.* cap. 12. Sed iſte ſenſus manifeſtam continet falſitatem, quia hæc dona non dividuntur hominibus, prout illi volunt, ſed prout ille voluerit qui ea diſtribuit: ut quæ non dependeant ab hominum arbitrio, ſed à ſola voluntate, ac beneplacito Dei. Id igitur eſt, quod dicit Apoſtolus *prout vult*, ſcilicet ipſe ſpiritus, ut *Joan.* 3. & *Hebr.* 2. ne quis rationem in particulari quæreret hujuſmodi diſtributionis donorum, ſimul ut cohiberet improbum & inordinatum deſiderium eorum, qui cùm chariſmata, cujuſmodi jam enumerata ſunt, vel omninò non haberent; vel non ea quæ vellent, propter hoc dolebant, & habentibus invidebant, videlicet pluris æſtimantes hujus generis dona, quàm oporteret, cùm non eſſent de numero eorum, quæ hominem Deo commendant, gratumque faciunt.

℣. 12. ***Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus.***

Unum tamen corpus ſunt, id eſt, corpus unum naturaliter conſtituunt: *ita & Chriſtus* unum eſt corpus, multa habens membra, quæ multa cùm ſint, *unum tamen corpus ſunt*, non naturale, ſed analogicum; non politicum & ſæculare, ſed myſticum & ſpirituale.

℣. 13. *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi: & omnes in uno Spiritu potati ſumus.*

Docet quando & quomodo fideles facti ſunt

unum corpus: videlicet in baptiſmo, per quem inſiti ſunt Chriſto, & facti membra corporis illius. *Etenim* (inquit) per unum & eundem ſpiritum ſanctificationis noſtræ authorem, *nos omnes* fideles *baptizati ſumus in unum corpus* id eſt, ſuſcepto baptiſmi Sacramento incorporati ſumus Eccleſiæ, ac veluti membra corpori coagmentata, unum corpus effecti: licèt alioqui genere & conditione diverſi. *Omnes in uno ſpiritu potati ſumus*, id eſt, eundem ſpiritum accepimus, hauſimus potatione ſeu hauſtu donorum Spiritûs ſancti, *Iſa.* 12. *Ezech.* 47. *Joan.* 7. Videtur tamen Apoſtolus loqui de poculo menſæ Dominicæ, ex quo bibentes hauriunt gratiam Spiritûs ſancti, ſicut in priore parte meminit baptiſmi, per quem fideles ſpiritum ſanctificationis accipiunt: ut mens Apoſtoli ſit: omnes fideles velut unius corporis membra, ùt generationem habent communem per baptiſmum; ita nutritionem quoque communem habere per Euchariſtiæ Sacramentum. Ex altera autem ſpecie relinquit alteram intelligendam, id eſt, ex potu cibum: ut ſenſus ſit. Et omnes nos uno, eodemque ſanguinis Dominici poculo ad hauriendum eundem ſpiritum, animas noſtras ſanctificantem, potati atque rigati ſumus: ex *S. Thoma.*

℣. 14. *Nam & corpus non eſt unum membrum, ſed multa.*

Declarat ſimilitudinem ab humano corpore ſumptam; ut eam poſteà ſuo applicet inſtituto: nam (inquit) non eſſet corpus organicum, niſi diverſis conſtaret membris, cujus partes ſunt inſtrumenta diverſis uſibus attributa.

℣. 15. *Si dixerit pes : quoniam non ſum manus, non ſum de corpore : num ideò non eſt de corpore ?*

Quaſi dicat, minimè. Nam integritas corporis organici, non ſolùm requirit membra per quæ fiant opera, ùt ſunt manus ; ſed etiam quibus ipſum corpus loco moveatur, ùt ſunt pedes. Sic igitur in corpore myſtico, ſi quiſpiam inferiori miniſterio velut contemptibili deputatus tanquam pes in corpore, qui calcat terram, & pondus ſuſtinet totius corporis, conqueratur ſe non eſſe membrum corporis, id eſt, nullo loco eſſe in Eccleſia, propterea quòd non ſit manus, id eſt, honoratiori cuipiam officio deſtinatus ; iniqua & falſa erit hujuſmodi querimonia. Sicut enim pes æquè, ùt manus membrum eſt corporis, tametſi loco & officio impar : ita in corpore myſtico ſe res habet de membris ad imparia officia deputatis : ſiquidem & illius perfectio varietatem hanc membrorum exigit. Inſinuat Apoſtolus hujuſmodi querelas fuiſſe inter Corinthios propter donorum & miniſteriorum diſparitatem.

℣. 16. *Et ſi dixerit auris : quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore : num ideò non eſt de corpore ?*

Per aurem & oculum poſſunt intelligi, qui vacant actionibus vitæ contemplativæ : quo in genere Doctores ſunt ùt oculi, diſcipuli ùt aures, prælati ùt manus, ſubditi ùt pedes : ex *S. Thom.*

℣. 17. *Si totum corpus oculus : ubi auditus ? Si totum auditus : ubi odoratus ?*

Si totum auris, ubi nares ? ſic igitur & in corpore myſtico, ſi omnia membra ſupremas ac velut honorabiliores haberent functiones :

nulla eſſent quæ exercerentur in mediocribus aut minoribus; ut ſi omnes eſſent magiſtri, nulli eſſent diſcipuli: ſi omnes vacarent contemplationi, nulli eſſent, qui vacarent actioni.

℣. 18. *Nunc autem poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore ſicut voluit.*

At verò *Deus* humanum corpus ſic inſtituit, ut eſſet compoſitum ex variis membris ſitu & officio diſtinctis. Ubi nota omnia quæ vocantur naturæ opera, Deo opifici & authori adſcribi: ut in omnibus laudetur Deus, à quo eſt ipſa natura, totaque ejus operatio: ex *S.Thoma*, & ex cap. 15. *Sicut voluit*, ut doceat Deum non neceſſariò agere, ſicut agit natura. Et quòd de naturali, hoc de myſtico corpore intellige: ex *Chryſ.*

℣. 19. *Quòd ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus?*

Ubi corpus? ſcilicet organicum. Sic neque Eccleſia rationem corporis haberet, ſi omnium fidelium par eſſet dignitas, eademque functio: ex *Hieron.*

℣. 20. *Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.*

Sic & Eccleſia.

℣. 21. *Non poteſt autem oculus dicere manui: operâ tuâ non indigeo; aut iterum caput pedibus: non eſtis mihi neceſſarii.*

Quòd ſi etiam velit dicere: *non indigeo* te, non ita ſe habet rei natura. Ubi autem ſuperiùs ſuaſiſſet, ne graviter ferrent, qui minora haberent dona, ad modeſtiam nunc revocat faſtum eorum qui majora habebant. Quemad-

modùm enim oculus dicere non poteſt cæteris membris: non indigeo vobis; nam ſi unum deſit, totùm claudicat corpus: ita neque qui majora acceperunt dona, poſſunt extolli adversùs eos, qui minora habent dona. Habemus autem ex hoc loco contra hæreticos quoddam Eccleſiæ caput, quod non eſt Chriſtus, nec alius quàm Chriſti vicarius, qui hodie Urbanus VIII. eſt, qui pedibus, id eſt, ſubditis dicere non poſſit. *Non eſtis mihi neceſſarii.* Hoc enim Chriſtus dicere poſſet angelis & hominibus: ex *Eſtio.*

℣. 22. *Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt:*

Oſtendere vult, quòd fortaſſis magis neceſſarii ſint, qui ea acceperunt dona, quæ minora videntur. Bene autem dixit *quæ videntur*, oſtendens in ſola opinione eſſe inferioritatem, & nequaquam in veritate, ùt notat *Oecumeni.* Ad eorum conſolationem, qui imperfectiores erant, minoraque dona acceperant, ait, quòd membra corporis naturalis *quæ videntur infirmiora eſſe, magis ſunt neceſſaria*, qualis oculus quo nihil imbecillius, utpote qui nihil ſinè læſione admittat, & nihil magis neceſſarium.

℣. 23. *Et quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent.*

Ignobiliora, ùt pedes, &c. *his honorem abundantiorem* tribuimus ſollicitè tegendo. Sicut ergo in corpore membra quæ abjectiora & infirmiora videntur, ea natura aliis dotibus & abundantiori honore inſtruxit: ſic in corpore

myſtico, qui minora dona Spiritûs ſancti acceperunt viſibilia, eis plerùmque Deus majorem largitus eſt, ſed inviſibilem gratiam. Hâc parte poſſunt intelligi in Eccleſia ſervi & pauperes: qui etſi viles & contemptibiles habeantur: ſæpe tamen ſi cum divitibus & dominis conferantur, plus habent in ſe virtutis & gratiæ divinæ propter quod à fidelibus honorari debeant, ùt *Jac.*2. Per membra *inhoneſta* poſſunt intelligi in Eccleſia, vel homines conjugati, propter pudendam libidinem, ſinè qua non poteſt actus conjugalis exerceri, qui tamen non ideò contemnendi ſunt, ſed ſuo loco & ordine honorandi, tanquam à Deo conjuncti ad opus humano generi neceſſarium: vel qui propter crimen aliquod à ſe commiſſum infames ſunt, aut infamiâ digni: Nam cæteri fideles magis eſſe debent ſolliciti pro conſervando vel reintegrando talium honore, & tegendo vel abolendo dedecore, præſertim apud eos qui foris ſunt, ne malè audiat religio Chriſtiana: quàm pro ſanctis qui hujuſmodi ſollicitudine fratrum non egent. Unde ſequitur.

℣. 24 *Honeſta autem noſtra nullius egent: ſed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem,*

Græcè *non opus habent*, honeſtate forinſecùs adhibitâ per tegumentum, ùt facies, os, oculi, manus, quia nihil habent turpitudinis, propter quod abſcondi debeant & contegi. Obſerva tres membrorum differentias: primam firmorum & infirmorum: ſecundam nobilium & ignobilium: tertiam honeſtorum & inhoneſtorum. *Sed Deus temperavit*, græcè *contemperavit*, id eſt, ex tanta varietate membrorum unum fecit corpus velut temperaturâ quâdam, ut ſint

ſibi mutuo auxilio. Vel membris indignioribus addendo compenſationem quandam externi honoris : ex *Chryſoſt.*

℣. 25. *Ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro invicem ſollicita ſint membra.*

Ut non ſit ſchiſma, ſeu diſſidium, quod inter membra ſequeretur *in corpore*, ſi Deus non ita temperaſſet corpus, ut illa ſibi mutuo auxilio eſſent : ſic & in corpore myſtico *ſchiſma* evitatur, dum ſingulis membris ea, quæ ſunt ipſis neceſſaria, attribuuntur : vel dum aliorum membrorum ignobilitas & dedecus ab aliis honore quodam attributo tegitur, ſupplendo quod cuique deeſt; quod fit dum membra alia pro aliis ſollicitudinem gerunt. Cujus ſollicitudinis inſtinctum naturalem membris indidit Deus : ut non ſit in corpore ſchiſma, per quod unitate amiſsâ corpus eſſe deſinit : ex *Eſtio.*

℣. 26. *Et ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : ſive glorietur unum membrum, congaudent omnia membra.*

Ad hunc modum & in corpore myſtico ſingulorum membrorum paſſiones & infirmitates per affectum charitatis & miſericordiæ debent omnibus eſſe communes. *Gloriatur* autem unum membrum, dum ex ægro fit ſanum, ex imbecilli robuſtum, & congaudet delectatione quâdam naturali quatenùs vigor unius membri in adjumentum cedit aliorum membrorum. Sic in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, debet unumquodque membrum alteri cuique benè habenti congratulari & congaudere. *Rom.* 12. & *Luc.* 15.

℣. 27. *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.*

Vos, id eſt, fideles, Eccleſia in qua volo

omnia quæ de corpore naturali dixi, per ſimilitudinem intelligi & compleri. Omnes quidem ubicumque locorum ſint fideles, *ſunt corpus Chriſti*, *vos autem* Corinthii *membra de membro*, id eſt, ex parte: neque enim ſoli eſtis totum corpus, ſed membra eſtis, & neque omnia, ſed ex parte; vel ex parte, quia nondum omnes eſſent membra Chriſti. Vel *membra de membro*, id eſt, invicem connexa & dependentia, id eſt, ſinguli alter alterius membra, quaſi dicat commembres, & ideò mutuis inter vos officiis adjuvandi: *Gaig.* Vel *membra de membro* Chriſto, quia membra corporis, in quo Chriſtus caput eſt: ideòque membra de carne & oſſibus ejus: vel ex me Apoſtolo veſtro, qui membrum ſum ejuſdem corporis, dependentia.

℣. 28. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes; exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.*

Similitudinem corporis naturalis adaptat Eccleſiæ, ut diſtinctio miniſtrationum clarior fiat. Et in eo quod ait *Deus poſuit*, ſignificat unumquemque ſuo loco quem Deus aſſignavit & dono quod dedit, contentum eſſe debere. Ordinem dignitatis ſervans, recenſet 1. Apoſtolos; nam hi primi, ac duces ſunt fidei, qui prædicabant Evangelium apud infideles, & Eccleſias fundabant, ùt *ad Rom.* 1. *Epheſ.* 2. *Apoc.* 21. *Secundò Prophetas*: non qui ante tempus gratiæ ſed qui poſt gratiam fuerunt, qualis erat Agabus & quatuor filiæ Philippi, & Propheta Anthiochenæ Eccleſiæ & alii: de quibus *Act.* 11. 13. 15. 21. & infrà cap. 14.

Tertiò Doctores, id eſt, eos qui non quidem ex revelatione ſibi facta, ſed tamen peculiari dono adjuti traditam ab Apoſtolis & Prophetis fidei, morumque doctrinam fidelibus exponunt, ùt *Act.* 13. *Deinde virtutes*, ſeu poteſtates, id eſt, eos per quos fiunt operationes virtutum, ſeu miracula majora. *Exinde gratias curationum* poſuit Deus in quibuſdam: in quo à perſonis tranſit ad res, id eſt, ad dona perſonis impertita; & hoc donum poſtponit virtutibus; eſt enim minùs à natura remotum ſanare hominem per miraculum, quàm virtutes operari: & proinde minùs quàm illud utile erat Eccleſiæ ad infideles convertendos, & fidem Chriſti plantandam. *Opitulationes* Græci interpretantur gratiam, quâ infirmorum curam habebant, ùt *Act.* 20. *Luc.* 1. *Pſalm.* 3.; non quâ eos ſanarent, ſed curam illorum ſuſciperent: & ſimiliter interpretantur *gubernationes*, ùt *Chryſ.* Latini verò exponunt de iis, qui coöperantur & opitulantur Epiſcopis in inſtituenda ac regenda plebe fidelium: ùt Parochi, Decani, Archidiaconi: quos Epiſcoporum adminicularios quidam appellant. Vel de iis qui operibus miſericordiæ vacant. *Gubernationes* ſunt ſubſidia aut quid ſimile, vel parochiales præsbyteri, quibus gubernatio committitur particularium plebium. Vel meliùs miniſterium eorum, qui præſunt adminiſtationi ac diſpenſationi rerum temporalium, quæ à fidelibus oblatæ ſunt Eccleſiæ; ùt *Rom* 12. *Genera linguarum*: id eſt, donum loquendi diverſo genere linguæ. Hoc dono plurimùm efferebantur Corinthii, ideòque ad modeſtiam revocans faſtum ipſorum, poſtremo loco poſuit; & quia minorem utilitatem affert, ſi ſolum ſit, ùt c. 14. *Interpretationes ſermonum.* Hæc pars in Græco & Syriaco non habetur, & in multis codici-

bus tam ſcriptis, quàm impreſſis non legitur. Senſum repete ex verſu 10.: ita *Eſtius.*

℣. 29. *Numquid omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores?*

Deinde ne hoc ordine, & ex eo, quòd majora ac minora dona manifeſtaverit, omnibus mœrorem injiciat, qui minora habent, audi quid dicat: *Num omnes Apoſtoli* aut *Prophetæ*? Nam ſi omnes unum eſſent, nequaquam diverſa eſſent membra. Si omnes, inquit, eſſent prophetæ, ubi Apoſtoli? Si omnes Apoſtoli, ubi Doctores? Hic itaque ordo plurimùm confert oſtendens quòd quiſque proximo opus habet. Vel ſi omnes Apoſtoli, ubi erunt qui ab Apoſtolis doctrinam accipiant? Si omnes Doctores, ubi diſcipuli in Eccleſia?

℣. 30. *Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur?*

Virtutes vocat eos, per quos fiebant virtutes ſeu miracula majora. *Opitulationes & gubernationes* hoc loco brevitatis causâ prætermiſit, fortè quia hæc dona à Corinthiis non erant expetita. Nunquid omnes qui loquuntur linguis, poſſunt interpretari quod loquuntur?

℣. 31. *Æmulamini autem chariſmata meliora. Et adbuc excellentiorem viam vobis demonſtro.*

Æmulàmini, id eſt, ſectemini dona potiora, præſtantiora, quæ magis Eccleſiam juvare poſſint, quaſi dicat. Vos in cauſa eſtis, quòd magna non accipiatis dona propter veſtram ſocordiam. Vel per interrogationem, *Æmula-*

mini dona potiora? necdum vobis perſuaſimus ne graviter feratis, quòd acceperitis minora? Sed adhuc amatores ac æmulatores majorum eſtis: ego quoque jam ad ea quæ dicta ſunt compendium vobis ac viam demonſtro, per quam nulló horum maximorum donorum vobis opus ſit, ſed cæteris excellentes ac verè majores appareatis. Hoc autem nihil aliud eſt, niſi charitas & dilectio: qui enim hanc purus accepit, omnes præcellit: qui hanc non habet, omnibus excidit. Quòd ſi charitatem habeamus, neque de mutuis donis contendentes anxiè verba faciemus, neque aliud quidquam eorum quæ non conveniunt, nos attingit. *Et adhuc excellentiorem viam*, id eſt, viam excellenter meliorem; ſive ùt in græco, *ſecundum exceſſum:* & ſenſus eſt; ſi omninò (inquit) æmulatores eſtis potiorum donorum, oſtendo vobis excellenter melius donum, nempe charitatem. Non ait, oſtendo donum, ſed *viam*, ſignificans charitatem eſſe viam, quæ ad omnia dona deducat: & hanc aſſecutus per ipſam ad cætera gradietur. Vel interrogativè, omnes majora deſideratis dona? ſi omninò id deſideratis, ego vos promptè ad hæc deducam. *Et jam excell nter viam* ſupereminentem, ait *Aug. tract. 6. in Joan.* vobis oſtendo, hoc eſt ad ea quæ excellenter majora ſunt dona, viam oſtendo: ita *Oecum.* Vel ſenſus eſt: Quoniam *æmulamini chariſmata*, quòd non prohibeo, ſtudete conſequi meliora, id eſt, Eccleſiæ Dei utiliora. Et quod ſequitur, faciunt Græci initium capitis ſequentis. Vocat autem viam præ aliis excellentem, quia per charitatem certiſſimè tenditur ad Deum: non item per alia dona; charitatem dicens, quâ proximus diligitur: ex *Chryſ.*

CAPUT XIII.

Charitatem omnibus gratuitis præfert : virtutes & opera charitatis recenſet, ipſamque cæteris eo quòd ex parte ſint, ceſſantibus permanſuram oſtendit.

℣. 1. *Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.*

APoſtolus gratiarum gratis datarum diſtinctionem aſſignavit & miniſtrationum, in quibus membra Eccleſiæ diſtinguuntur: hic agit de charitate quæ inſeparabiliter comitatur gratiam gratum facientem. Et quia promiſerat, eis ſe demonſtraturum viam excellentiorem, oſtendit præeminentiam non ſolùm ſupra chariſmata de quibus jam egerat, ſed etiam ſupra fidem & ſpem. Et quoniam varia erant dona Spiritûs ſancti gratis conceſſa, ob quæ ſupra modum Corinthii efferentur, omnem illis inde gloriationem excludit, oſtendens nullum illis prodeſſe poſſe, ſi charitati negligentes fuerint. Et cùm de dono linguarum maximè gloriarentur, quia primum hoc Apoſtoli acceperant, *Act.* 2.; vel quia per ſe tale eſt, ut hominem faciat vulgo admirabilem, magis quàm ſcientiæ, quæ de rebus ſunt: ideò ab illis incipit. Si (inquit) dono linguarum ita polleam, ut *omnium* Gentium *linguis loquar*: imò & *An-*

griorum, hoc addit ut locutioni ſenſibili, quæ per linguas ſignificatur, adjungeret locutionem intellectualem, qualis eſt Angelorum: ut humanis linguis aliquid excellentius ſignificaret: ſunt qui linguas interpretantur angelicam, id eſt, eximiam quandam gratiam dicendi: ſicut vulgo elegantiſſimâ facie hominem Angelo comparamus: & ſicut *ad Philp.* c. 1., cùm dixit, *omne genuflectatur cæleſtium*, eminentem adorationem declaravit: ait *Chryſ.* Si ergo linguis his loquar ſinè charitate, *factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens*, quæ inanem & inutilem ſonum reddunt: ita ſinè charitate inutile eſt donum linguarum. Vel ùt Latini, quia aliis, non mihi proſunt; vel ùt Græci putant, quia nec mihi, nec aliis proſunt. Nam qui temerè & indiſcretè linguis loquitur, cùm non adſit qui interpretatur, non ædificat Eccleſiam, ſed in aëra loquitur, remque agit inutilem: quia æs quidem reſonat, ſed ſonitu ſuo nihil certi ſignificat: cymbalum autem tinnitu tantùm delectat, neutrum autem quidquam confert ad uſum vitæ humanæ: ex *Primaſio.* Tamen verius eſt aliis quidem prodeſſe, ſive in exibendis Eccleſiæ ſacramentis, ſive in prædicando verbo Dei, ſive in miraculis patrandis, ùt *Matth.* 7. & *Philip.* 1.

℣. 2. *Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.*

Prophetiam, id èſt, vel gratiam futura prædicendi, vel ſcripturas intelligendi: *myſteria* latinè ſacramenta ſeu arcana divina ac cæleſtia, quorum notitiam vocavit ſapientiam *cap. præced.* & *cap.* 2. Hinc diſce ſapientiam à cha-

ritate ſeparari poſſe, ùt *& ſcientiam* : ex *S.Th.* Dicit autem *omnem*, id eſt, omnium ſcientiam, eorum ſcilicet ad quæ donum ſcientiæ extenditur, docendo, & ſcribendo : ex *Hieron. in Epiſt. ad Gal.* 5. *Et omnem fidem*, quam ſuperiùs inter chariſmata recenſuit, id eſt, ſi fidem habeam adeò perfectam, ùt per eam miracula faciam etiam maxima, quale eſt hominum opinione montem loco dimovere, & aliò transferre, ùt *Marc.* 11. Perfectam autem dico non à charitate, quam formatam fidem vocant, ſed ab illuſtratione intellectûs circa ea, quæ creduntur & promiſſa ſunt, cum fiducia impetrandi quod petitur. Jam verò cùm iſtud fidei donum includat in ſe fidem Chriſtianam & Catholicam, oſtenditur ex hoc loco contra hæreticos fidem chriſtianam à charitate ſeparatam eſſe poſſe : ùt & illud gratiam miraculorum ſinè charitate conſiſtere, ſed non prodeſſe, ait *Auguſt. lib.* 15. *de Trinit. c.* 18. Unde ſubdit, *nihil ſum*; id eſt, nullius ſum pretii apud Deum, nihil iſtorum me Deo commendat, nihil mihi prodeſt.; ſcilicet ad amicitiam & participationem Dei, & ad ſalutem æternæ vitæ. Vel *nihil ſum* ſecundùm eſſe gratiæ, nihil ſum in eſſe divini conſortii : ex *S. Thom.*

℣. 3. *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Etſi diſtribuero in cibos pauperum, in græco, *Etſi erogavero*, ſubintelligendo ad alendos pauperes *Omnes facultates meas*, non partem ipſarum ; quod adduxit pro exemplo operis in ſpeciem valde præclari : quia magni ſolet hoc æſtimari ab hominibus. *Ut ardeam*, ex

Græco miſerrimum dicit mortis genus, quæ videlicet pro Deo toleratur. Sunt qui legunt *ut glorier*, id eſt, ut gloriam conſequar: ita *Hier. in Epiſt. ad Gal. 5.*; cui in hac re non aſſentimur, ait *Eſtius*: nam græci commentarii nobis favent; & in ſenſu *Hier.* ſermo Apoſtoli videtur imperfectus, quia non additur ad quid traditur corpus; an ad mortem an ad ignem &c. vel an ad mollitiem aut voluptates; ad quas à nonnullis traditur. Perfectior igitur ſermo eſt, ſi legitur, *ut ardeam*: quod tunc ex Apoſtoli ſententia fit, quando aliquis datâ optione, ut aut Chriſtum neget, aut ignem patiatur, eligit potiùs ignem pati & igne conſumi, quàm Chriſtum negare, etiamſi ipſe non ad hoc ſupplicii genus ſe offerat, ac multò minùs (quod olim Donatiſtæ faciebant) ipſe ſe in ignem mittat: ex *Aug. Epiſt.* 104. *contra Donat. Nihil mihi prodeſt.* Docet non ſolùm charismata, quæ propriè non ſunt virtutes, quibus homo bonus efficitur, ſed & opera virtutum quantumvis ſpecioſa, cujuſmodi ſunt opera miſericordiæ erga proximos, & eximiæ fortitudinis pro teſtimonio veritatis divinæ & ex ſuo genere ardua, nihil homini ad ſalutem prodeſſe, ſi deſit charitas illa, quæ præſtat ut Dei gloria quæratur, & ſalus proximorum. Nota quòd contemptus mundi martyrio comparetur contra eos qui illud ex Evangelio nituntur exolvere: ubi dicitur ad divitem: Omnia quæcumque habes, vende & da pauperibus *Luc. c.* 18. ℣. 22; ita *Hieron.*

℣. 4. Charitas patiens eſt, benigna eſt: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur,

Enarrat charitatis inſignia quibus dignoſci valeat, unde quantùm quis certò proprietates

ſtas in ſeipſo experitur & conſpicit; tantùm certus eſſe poteſt, ſe ipſam poſſidere charitatem: ſtatim autem patientiam, ſive longanimitatem poſuit, nempe totius Philoſophiæ chriſtianæ radicem. Græcè *magnanima eſt*, *benigna eſt*, *jucunda*, Græca vox comitatem & ſuavitatem morum ſignificat: vel commoda eſt; vel benefica eſt ùt *Tertull.* Veroſimile eſt illud *B. Paulum* ſignificare voluiſſe quod de ſe dixit cap. 9. *omnibus omnia factus ſum. Non æmulatur*, non invidet iis qui benè operantur; non eſt procax, non eſt arrogans, ùt 2. *Cor.* 12. *Gal.* 5 & *Jac.* 3. & 4. *Non agit perperam*, non perversè, non præpoſterè; *Chryſ.* exponit non præcipitanter, non inconſultè: alii non inconſtans eſt & varia; *Tert.* & *Oecum.* non inſolens, temeraria, proterva. *Theoph.* non levis, ſtolida, mentis inops, non turbas & motus excitat: ex *Syro.* Apparet autem Apoſtolum ex ſpecie genus indicaſſe, ut hâc parte omnem arrogantiam & oſtentationem à charitate remotam & alienam eſſe ſignificet. *Non inflatur*, non inſoleſcit ob propria bona opera: nihil temerè aut petulanter facit. Non pudeſit, non ſolùm inſoleſcit, ſed etiam licèt indigniſſima patiatur, non opinatur eam rem dedecus etiam eſſe propter eum quem diligit. Vel non acerbè reum agit illum, qui ſibi injurius eſt.

℣. 5. *Non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum,*

℣. 6. *Non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati:*

Non faſtidioſa, non honorum appetens, nec proximorum cauſâ vilia reſpuens. Non dehoneſtatur, ait *Auguſt. lib. de gratia cap.* 17.; non reputat ſe dehoneſtari fratribus ſubſerviendo;

quia non quærit propriam utilitatem, quia communia propriis, non propria communibus anteponit, ait *Auguſt. in regula. Non excandeſcit*, ſed tolerans eſt injuriarum. *Non cogitat malum* adversùs proximum, quamvis etiam injuriis laceſſita. *Non gaudet* ſi quis malum quid & injuſtum faciat: ſi quis afficiatur injuriâ. *Congaudet autem veritati*, id eſt bonis operibus, vel fidei veritatis, ait *Hieron.* Vel veritas pro juſtitia ponitur; ut ſenſus ſit, congaudet juſtitiæ, quam proximo fieri videt.

℣. 7. *Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.*

Tolerat tegendo ac diſſimulando vitia & infirmitates proximorum quantumvis moleſtas, quatenùs tamen eis ad ſalutem expediat. *Omnia credit*, non hominibus ſed Deo: non eſt tarda ad credendum omnia, quæ credenda divinitùs traduntur; *Rom.* 3. *Proverb.* 14. *Omnia ſperat* à Deo, non ab hominibus; omnia quæ Deus promiſit ac ſperanda propoſuit. *Omnia ſuſtinet*, patienter expectat promiſſa Dei, *Habac.* 2. *Jac.* 5. Latini iſta tria membra, ùt duodecim præcedentia, referunt ad charitatem proximi. Sic igitur exponunt, *charitas omnia credit* proximo, vel de proximo quem diligit: *omnia ſperat*, ſive ille bonus ſit, ſive malus, & adhuc à recto devius aſſiduè ſperat de illo meliora, de hoc bona, reſipiſcentiam, &c. *Omnia ſuſtinet* mala quæcumque à malis hominibus inferuntur: ùt maledicta, &c. mortem ipſam æquo fert animo, ùt 2. *Tim.* 2. ex *Hier.*

℣. 8. *Charitas numquam excidit: ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur.*

Numquam intermoritur, nec ceſſat: ſemper enim in aliquibus erit charitas, cætera do-

na in gloria ceſſabunt, ùt fides & ſpes : Deum namque diliget perfectiſſimâ dilectione, & proximum in Deo, tanquam ſeipſum : Et beati ex charitate, quâ nos diligunt pro nobis intercedunt; nam perpetuum charitatis officium eſt orare pro dilectis ſi indigeant. Cætera verò dona *ſive* ſint *prophetiæ*, *ſive linguæ*, *ſive ſcientia* aliquando *ceſſabunt*. Si enim & prophetiæ & linguæ ſunt propter fidei cognitionem, explicatâ ubique fide, tanquam ſuperflua ceſſabunt. Hoc autem & hoc tempore erit, & multò magis in futuro, ait *Oecum*. Et quia Deum clarè videbunt, nihil remotum erit à notitia eorum. Non dicit linguam ceſſaturam, ſed linguas. Nam poſt reſurrectionem non ceſſabit uſus linguæ corporeæ, id eſt, locutio ſenſibilis, ſed non erunt ibi genera linguarum. *Sive ſcientia*; fortaſſis ea quæ accommoda eſt ad docendum. Dilatato enim divino cultu ac pietate, otioſa erit doctrina; *deſtruetur*, eo quòd ex imperfecta qualis nunc eſt, perfecta fiet, & ex minore major accedente notitiâ multarum rerum quas nunc ignoramus: ex *Chryſ*.; ſed hoc pacto etiam charitas ceſſabit. Vel dicitur aboleri, quia habitus ſcientiæ acquiſitæ cum ſenſibus corporis pereunt in morte, tanquam ab illis neceſſariò dependens, cui poſteà (ex *Chryſ*.) ſuccedat alius habitus perfectior animæ divinitùs impreſſus. Sed & hoc refellitur à *S. Thoma*; quia ſcientia eſt in intellectu, non in ſenſu. Vel *deſtruetur* quantùm ad modum ſciendi, qui eſt per inſpectionem phantaſmatum, quâ anima ſeparata non indigebit, ait *S. Thomas*. Aliis hujus loci germanior expoſitio videtur, ſecundùm quam *ſcientia deſtruetur*, quia donum ſcientiæ non habebit uſum ad proximos & in futuro ſæculo. Ad hoc enim datum eſt, ut doctrina Chriſtiana per ea, quæ ſunt humana

cognitionis, aut experientiæ, vel perſuadeantur iis qui nondum credunt : vel ab iis qui jam credunt, tenaciùs & firmiùs retineatur : quale nihil agetur in futuro ſæculo, quando fide in ſpeciem conversâ, perfectè adimplebitur illud *Jerem.* 31. *Non docebit vir ultrà proximum ſuum.* Non dixit ſapientiam abolendam eſſe : cùm enim ſit ea notitia, quæ habetur ex cauſis ſupremis, in futuro autem ſæculo Deum qui eſt prima & ſuprema omnium cauſa, viſuri ſint : erit etiam illic quoad uſum cognoſcendi perfectiſſima omnium ſapientia : tamen quatenùs donum eſt ad aliorum utilitatem abolenda eſt : ex *Chryſoſt.* & *Hieron.*

℣. 9. *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus.*

Id eſt, imperfectè. Cauſa enim cur abolendæ ſint & ceſſaturæ, eſt quia imperfectæ ſunt, ait *Oecum.* Non abolebitur ſcientia quidem; ſed deſinet eſſe non perfecta, ait *Chryſ.* In illo corpore videbunt ſancti omnia non ſolùm ſi oculos claudant, verùm etiam unde ſunt corpore abſentes: Eliſæus in hac vita vidit ſervum ſuum munera accipientem ubi ipſe non erat, 4. *Reg.* 5. ùt notat *Beda poſt Auguſt. lib. de civit.* 22. Vel quia ſerviunt huic tantùm ſæculo, & dona quæ dantur, ſolùm ad utilitatem aliorum, imperfectionem & inopiam monſtrant, non eorum in quibus ſunt, ſed aliorum quibus erudiendis ſerviunt, ùt linguæ, ſcientia, prophetia: fides autem & ſpes, quas quiſque habet propter ſe, imperfectionem habent in ſemetipſis; ùt fides inevidentiam cognitionis : ſpes autem rei deſideratæ abſentiam : ex *Beda.*

℣. 10. *Cùm autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.*

Id eſt. Poſtquam advenerit fidelibus perfe-

cta notitia Dei & omnium myſteriorum; ſcilicet in futuro ſæculo: tunc abolebitur & ceſſabit non ſolùm quidquid donorum in ſe imperfectionem habet, ſed etiam quidquid eorum ideò datum eſt, ut proximorum imperfectioni ſerviat. Tunc enim nulli erunt, quibus dicatur, *cognoſce Dominum.*

℣. 11. *Cùm eſſem parvulus, loquebar ùt parvulus, ſapiebam ùt parvulus, cogitabam ùt parvulus. Quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli.*

Similitudine virilis ætatis oſtendit omnia ſpiritûs dona, quæ nonnihil habent imperfecti, per noſtram infirmitatem præter charitatem aliquando ceſſatura. Sicut enim vir factus puerilem linguam, puerileſque exuit cogitationes: ita & cùm evaſerimus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ceſſabit quidquid imperfectum habemus, ait *Gaig.*

℣. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.*

Rem eandem declarat aliâ ſimilitudine, nempe viſionis ſpecularis ſeu ocularia vitreæ & obſcuræ, collatæ cum viſione clara & directa. Videmus igitur nunc tanquam *per ſpeculum*, & tanquam *in ænigmate*: quia Deum ac res divinas in hoc ſæculo cognoſcimus admodùm imperfectè. Cùm enim res in ſpeculo repræſentata minùs perfectè videatur, quàm ſi eam directè & in ſeipſa contuemur; imperfectionem adhuc auget, quòd addit *in ænigmate.* Per hoc enim non ſolùm obſcuritas ſignificatur, ſed etiam cognoſcendi difficultas: vel vult hâc phraſi ſignificare, quod dicunt, aſpi-

cere per tranſennam : id eſt, non propè nec diſtinctè, ſed procul & ſummatim & confuſo modo ſpectare rem aliquam. Vel *per ſpeculum*, id eſt, non immediatè, ſed tantùm per aliud, nimirùm per viſibilia mundi præſentis, id eſt, per creaturas ſenſibus objectas, in quibus velut in ſpeculo quodam apparet atque in oculos mentis noſtræ reſultat imago bonitatis, ſapientiæ, potentiæ divinæ, Deum ipſum cognoſcimus : *Tunc autem facie ad faciem*, qui nunc ſubobſcurè cognoſcimus, lucidè eum intuebimur ac plenè illo dante cognoſcemus, ſicut ille plenè nos novit, ùt 2. *Joan.* 3. ; non in ſimilitudine, ſed facie ad faciem Deum ipſum, omnia myſteria, Chriſtum in aſſumpta humana natura. *Ex parte* autem ille ſe nunc cognoſcere ait, ſeu *parum ex multò*, ùt ait Syrus. *Tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*, à Deo ſcilicet : ſicut Deus (inquit) me cognoſcit & ab æterno cognovit clarè, & perfectè : ſic & ego Deum, reſque divinas in futuro ſæculo cognoſcam clarè & perfectè magnâ tamen cum inæqualitate. Nam Deus omnia novit perfectiſſimè, nos autem Deum cognoſcimus perfectè, quomodo creatura creatorem cognoſcere poteſt, nempe per eſſentiam omni remotâ obſcuritate. Unde non ſequitur, beatos Deum comprehendere, ſicut Deus illos & ſeipſum comprehendit. Nota hic, gratiam prævenientem inſinuari, quâ nos Deus longè aberrantes & à ſui notitia penitùs alienos prior cognovit notitiâ approbationis, requiſivit, atraxit ad ſe, ut nos eum cognoſceremus, quæreremus & amaremus: ſic & nos in futuro ſæculo cognoſcemus & ad eum accurremus, ſcilicet per amorem atque juſtitiam, priùs ab ipſo acceptam, in qua tunc conſpectui ejus apparebimus, *Gal.* 4. *Phil.* 3. ex *Chryſ.* & *Oecum.*

Vel hic ſenſus eſt. Tunc cùm imago ad exemplum ſuum acceſſerit : eo gradu perfectionis cognoſcemus ; ad quem ab æterno præcogniti ac prædeſtinati ſumus à Deo : ex *Hieron.*

℣. 13. *Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas : tria hæc. Major autem horum eſt charitas.*

Nunc; id eſt, in hac vita, ad differentiam chariſmatum, quæ nequidem hoc ſæculo durante permanent omninò, ùt notant Græci. Nam donum linguarum jam olim ceſſat : prophetia paucorum eſt ; miraculorum gratiâ pauciſſimi præditi ſunt : donum quoque ſcientiæ non omnibus eſt neceſſarium. At *tria* iſta, *fides*, *ſpes*, *charitas* hâc vitâ durante ſimpliciter manent, quia omnibus hominibus ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria ſunt : ex *Aug. lib.* 3. *de doct. c.* 39. Vel *manent*, id eſt, permanentibus ſunt : ex *Oecum.* Quidam dicunt iſta tria manſura etiam in altero ſæculo. Nam tunc clariùs ac perfectiùs delectari licebit in contemplatione ejus quem deſiderabant : ſic *Iren. adv. hær. lib.* 2. *c.* 47. & *Tert. de patien. c.* 12. & *Oecum. Major autem horum eſt charitas*, quia ſola reliquarum virtutum officia ſecum adducit, earumque perfectio eſt. Eadem ſola nunquam excidit, ſed permanet in patria : quando & *fides* in viſionem, & *ſpes* in apprehenſionem commutabuntur. Vel ideò major eſt omnibus, quia qui diligit, & credit & ſperat, ait *Hieron.*

CAPUT XIV.

Donum linguarum dono prophetiæ poſt-ponit. Ordinem præſcribit iis donis utendi in Eccleſia, in qua vult ut mulieres taceant.

ỷ.1. *Sectamini charitatem, æmulamini ſpiritualia, magis autem ut prophetetis.*

QUia charitas tam excellens eſt, eam *ſectamini*, & ſtudio incumbite ad Spiritûs ſancti dona & inter ea prophetiam, maximè *Spiritualia*; quæ, qualia in ſenſu Apoſtoli ſint, dictum eſt c. 12., quæ poſteà appellat chariſmata. Id autem fieri vult cum charitate & judicio, non excellendi ſtudio, ſed ædificandi. Unde ait, *ut prophetetis*, ut innuat dona non eſſe expetenda niſi propter uſum. Donum autem prophetiæ non in eo ſolùm conſiſtebat, ut quis futura prædiceret: ſed generaliter erat donum, quo quis ex inſpiratione divina cognoſceret ac proferret occulta quædam, ſive illa futura eſſent, quomodo prophetavit *Agabus Act.* 11., & rurſùs quando *Paulo* prædixit, quòd in Jeruſalem alligandus eſſet à Judæis, & tradendus in manus Gentium, *Act.* 21.; necnon eodem *cap.* diſcipuli quidam, qui *Paulo* dicebant per ſpiritum, ne aſcenderet Jeroſolymam: ſive eſſent ad ſcripturarum difficilium & obſcurarum, maximè propheticarum explanationem; ſive alia quæ-

dam ad Chriſtianam doctrinam illuſtrandam aut pietatem promovendam pertinentia, ùt *Act.* c. 13. ℣. 1. & c. 21. ℣. 9. & c. 8. ℣. 35. & 1. *Teſ.* c. 5. ℣. 20. & 2. *Pet.* c. 1. ℣. 20. & *Prov.* c. 29. ℣. 18. Et patet ex eo quod ſtatim dicit eum, qui prophetat, loqui *ædificationem*, *exhortationem*, *conſolationem*, ne quidem factâ mentione prædictionis futurorum; & ex eo quòd ait hoc cap. ℣. 31. *Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, ut omnes diſcant & omnes exhortentur.* Per hæc enim ſignificatur uſus prophetiæ conſiſtens in doctrina & exhortatione: & ex ℣. 24. *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus.* Quæ non contingunt infideli vel ideotæ, ſi non aliud, quàm futura loquantur illi prophetantes, quæ vera non cognoſcuntur, niſi comprobante eventu, *Jerem.* 28. Nec erat cur tantopere *Paulus* hortaretur Corinthios ad ſtudium hujus doni conſequendi, ſi prophetare non erat niſi futura prædicere, cùm id ſemper fuerit paucorum, ſed nec ædificaret propriè, niſi poſtquam res quæ prædicta erat eveniſſet. Quæres an ad hanc gratiam ſeu facultatem prophetandi, de qua *Paulus* agit, contulerit aliquid humanum ſtudium: dicendum eſt doctrinam ſacram labore & ſtudio quæſitam non tam fuiſſe partem aliquam hujus doni, quàm acceſſionem & ornamentum. Qui enim hoc dono divinitùs infuſo præditi erant, ùt Apoſtoli & horum diſcipuli, etiam ſtudio ſacrarum literarum incumbebant. Unde *Paulus* non ſolùm hortatur diſcipulum ſuum Timotheum dicens, *attende lectioni* 1. *Tim.* 4., ſed etiam ad ſe libros utique quos legat, adferri præcipit 2. *Tim.* 4.; ita *Orig. in* c. 12. *epiſt. ad Rom.* Notandum tamen eſt totum illud, quod ſcientiæ divinitùs inſpiratæ per

noſtram induſtriam & curam accedit, æquè referendum in Deum authorem, *qui operatur omnia in omnibus*, c. 12. Quod ad *donum linguarum* attinet, quidam putant tale fuiſſe, quo quis peregrinam linguam non loqueretur ſolùm, ſed etiam intelligeret verba quæ loqueretur: non tamen omnia perciperet myſteria verborum, id eſt, eas res per quas ſpiritus ſanctus per ea quæ verbis proximè ſignificabantur, ulteriùs intelligi volebat. Verùm c. 12. Ii qui ſolo præditi erant dono linguarum, non poterant ea quæ peregrinâ linguâ loquebantur, notâ ac vulgari ſuâ linguâ reddere. *Nunquid omnes interpretantur?* Propterea quòd non intelligerent ea quæ dicerent. Erant enim dona diſtincta loqui linguis, & eas interpretari: ùt & diſtincta erant interpretari linguas, & prophetare: ex *Chryſ.* & *Theoph.* Hinc diſcamus non eſſe contemnendas orationes & laudes illas velut inutiles coram Deo, quas multi fideles recitant verbis non intellectis. Notandum denique illud donum linguarum in iis qui non intelligebant, fuiſſe velut impreſſionem ſeu motum tranſeuntem, non ùt habitum permanentem. Non enim poterant quoties & quæcumque vellent linguâ peregrinâ loqui: ſed tunc ſolùm quando actualem habebant Spiritûs ſancti motionem, & ea ſola, ad quæ loquenda movebantur: in aliis verò, ùt in Apoſtolis, quibus etiam dabatur ut intelligerent, videtur donum linguarum fuiſſe habituale & permanens: ita *Eſtius*.

℣. 2. *Qui enim loquitur linguâ, non hominibus loquitur, ſed Deo: nemo enim audit. Spiritu autem loquitur myſteria.*

Prophetiam linguis antecellere probat primò, quia *qui loquitur linguâ* peregrinâ ſcilicet

& ignotâ *non hominibus loquitur*, quoniam nullus intelligit quæ dicuntur, nullum audientium ædificat, non eſt enim qui interpretetur: *Sed Deo* loquitur, non hominibus. *Spiritu autem loquitur myſteria.* q. d. Nec ipſe quidem loquens ſeipſum intelligit, ſed tantùm *ſpiritu loquitur*, occulta quædam Dei. Vel *ſpiritui loquitur*, quo modo dixerat Deo loquitur. Vel per Spiritum ſanctum: vel ſpiritu, id eſt, per ſpiritum ſeu affectum animi, ad quem pertinet devotio, quem ſpiritum à mente ſeu intelligentia *Paulus* diſtinguit, ut ſenſus ſit. *Qui linguâ loquitur* occulta quædam ac ſibi non intellecta, loqui cum pio devotionis affectu, quo in Deum ſuſtollitur: ex *Beda*.

℣. 3. *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem.*

A communi utilitate oſtendit meliorem eſſe prophetiam, nam homines (inquit) ædificat & ad fidem adhortatur, & propter futuras afflictiones conſolatur: *Loquitur hominibus*, quia ab hominibus intelligitur: non enim in eo ſolùm eſt diſcrimen prophetantis ab eo qui linguâ loquitur, quòd alter hominibus loquatur, alter ſoli Deo, ſed etiam in eo quòd iſte myſteria loquatur, id eſt, occulta, nec ſibi nec aliis intellecta: ille verò proferat ad homines verba ædificationis, vel quibus infirmi ſtabiliantur; vel quibus excitetur affectus ſpiritualis, & exhortationis ad ſtudium bonorum operum, & conſolationis quibus in ſpem promiſſorum cœleſtium erigantur afflicti, & puſillanimes: ex *Aug. lib. de Gen. ad lit.* 12.

℣. 4. *Qui loquitur linguâ, ſemetipſum ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam Dei ædificat.*

Qui loquitur linguâ peregrinâ, *ſeipſum ædificat*, id eſt, ſibi ipſi proficit, & uni ſibi prodeſt, non quòd intelligat ea, quæ loquitur: ſic enim etiam interpretari poſſet: ſed quia per Spiritum ſanctum à quo movetur ad loquendum, etiam effectus ejus excitatur ad laudem Dei. Nam etſi mente non loquatur, ſpiritu tamen loquitur. Quòd ſi ſemetipſum ædificat is, qui loquitur linguâ, quam non intelligit: non igitur inutile eſt aut orare aut laudare Deum verbis non intellectis: ex *Eſtio*. Vel de iis loquitur, qui noverunt quidem ea quæ loquuntur, ſed aliis interpretari non norunt. Quantum ergo diſcrimen eſt ejus, quòd eſt uni adferre utilitatem, ab eo quòd eſt Eccleſiæ illam adferre: tantum diſcrimen eſt linguarum à prophetia, ait *Oecum.*

℣. 5. *Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. Nam major eſt qui prophetat, quàm qui loquitur linguis: niſi fortè interpretetur ut Eccleſia ædificationem accipiat.*

q. d. Non hæc (inquit) ſcribo quaſi improbem, quòd aliqui inter vos linguis loquantur. Imò verò placet mihi, & opto vos omnes loqui linguis: eſt enim donum Spiritûs; ſed quia his major eſt is qui prophetat, eo quòd plus afferat utilitatis, *volo vos magis prophetare*, quaſi dicat: Eò tendit hæc mea oratio, ut intelligatis, quid cui præponere debeatis. *Niſi interpretetur*, hoc eſt, major eſt propheta, niſi ille & linguis loquatur, & interpretetur quæ dicit. Nam talis æqualis eſt prophetæ, quia tum non

ſeipſum ſolùm, ſed etiam alios fideles ædificabit; & hâc ratione conferri poterit cum eo qui prophetat. Hoc quidem *volo*, ſed illud malo: Hoc non prohibeo, illud exhortor, ait *Hier.*

℣. 6. *Nunc autem, fratres, ſi venero ad vos linguis loquens: quid vobis prodero, niſi vobis loquar aut in revelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina?*

A ſeipſo probat eum qui tantùm linguis loquitur, non ædificare Eccleſiam, & proinde minorem eſſe eo, qui prophetat; quaſi dicat. Sanè & ipſe ego quamvis Apoſtolus veſter, & linguarum dono præ multis aliis inſtructus, *ſi veniam ad vos*, & in conventu veſtro linguis loquar peregrinis & ignotis, *quid vobis prodero*? id eſt, quid utilitatis ſpiritualis ex me capietis, nihil profectò, *niſi vobis loquar, aut in revelatione* &c. Quia loquentem me nullus intelliget. Legimus quidem *Act.* 10., quoſdam accepto Spiritu ſancto linguis fuiſſe locutos, non factâ mentione interpretationis: verùm nec illis intelligentiam defuiſſe, proinde nec interpretandi facultatem, colligi poteſt ex eo quòd de iiſdem additur, *& magnificantes Deum*; quomodo de aliis *Act.* 19. additum eſt, *& prophetabant*. Nec enim veriſimile eſt, minùs datum fuiſſe eis qui *Petro* prædicante, quàm qui *Paulo* miniſtrante Spiritum ſanctum acceperunt. Certè ubi *Petrus* aderat, non deerat qui interpretaretur. Imò quoties aliqui in Eccleſia primitiva divinitùs ſpecialiter impulſi linguis loquebantur: credendum eſt eos ſimul intelligentiæ donum accepiſſe, quo ſua verba poſſent interpretari: vel ſaltem locut s fuiſſe talibus præſentibus, qui intelligerent ac interpretari poſſent, ùt *Act.* 8. & 2. *In*, pro *per revelationem* myſteriorum ſci-

licet Dei, circa quæ verſatur ſapientiæ donum. Id eſt. Niſi proferam vobis myſteria divina, quorum eſt ſapientia, ſic enim ſaltem ſpiritualibus & perfectis utilis ero. Et niſi proferam vobis ea, quorum eſt *ſcientia*, quæ humanis divina credibilia facit: hoc enim fit per ſermonem *ſcientiæ* ad rudiores accommodatum. *Aut in prophetia*, ſunt qui de prædictione futurorum accipiunt: alii ad explicationem occultorum Scripturæ ſenſuum reſtringunt: alii utrumque comprehendunt. Per *doctrinam* intelligunt eam, quæ eſt de moralibus; aliis placet generalior acceptio. Atqui nihil horum facere potero linguis loquens, niſi interpretationem abhibeam ut intelligatis. Significat ergo interpretationem eſſe neceſſarium linguis loquenti; tametſi propter rerum obſcuritatem ſæpe nuda interpretatio non ſufficiat: ſed opus ſit prophetâ aut Doctore; ait *Eſtius*.

℣. 7. Tamen quæ ſinè anima ſunt vocem dantia, ſive tibia, ſive cithara: niſi diſtinctionem ſonituum dederint, quomodo ſcietur id, quod canitur, aut quod citharizatur?

Rem eamdem declarat ab inſtrumentis muſicis. *Tamen* græcè ὅμως, pro quo aliqui legunt ὁμοίως aut contractè ὁμῶς, *Similiter*; ut ſenſus ſit; ſimiliter uteumque inanimata inſtrumenta muſices pulſaveris, *niſi* ſonis ſuis variè ſecundùm artem redditis *diſtinctionem ſonituum dederint*, numquam *ſcietur* aut intelligetur *id quod canitur*: ſic niſi cum lingua manifeſtum ſermonem dederit, id eſt, manifeſtam linguæ interpretationem attuleretis, numquam intelligetur quod dicitis: ex *Chryſ.*

℣. 8. *Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum?*

℣. 9. *Ita & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis: quomodo ſcietur id, quod dicitur? Eritis enim in aëra loquentes.*

Ab exemplis oſtendit quæ potentia & utilitas ſit manifeſtationis: Et ait non ſolùm tibiæ & citharæ; ſed & tubæ ſi incertum dent ſonum, nemo erit qui ad bellum præparetur: cùm videlicet ignoretur quid tubâ, velut linguâ publicâ, canatur. Sic (inquit) niſi vos linguâ peregrinâ loquentes ſermonem veſtrum interpretando feceritis intelligibilem; quomodo id quod loquimini, ab aliis intelligetur? *Eritis enim in aëra loquentes*, hoc eſt fruſtrà & vanè ac ſinè utilitate.

℣. 10. *Tam multa, utputa genera linguarum ſunt in hoc mundo: & nihil ſinè voce eſt.*

Utputa, græcè, εἰ τύχοι, quod Eraſmus vertit, *verbi gratiâ*; Hentenius *ùt contingit*, in paraphraſi, *Videlicet*. Equidem opinor, inquit *Eſtius*, ita commodè verti poſſe, *tam multa paſſim ſunt* inter homines *linguarum* & idiomatum *genera*, ut numerari non poſſint, quorum unumquodque ſuam habet vocem; id eſt, loquelam ab aliis diverſam. Vel tam multa ſunt genera inſtrumentorum vocem, id eſt, ſonum voci ſimilem reddentia, & nullum eorum mutum eſt, ſed unumquodque ſonum reddit proprium. Sed quod nobis lucrum à vocibus illis proveniet, ſi nihil horum intelligamus? Omnia in aëra ſolventur, ait *Hier.*

℣. 11. *Si ergo neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus:*

Id eſt, cùm tam multa ſint linguarum genera ad ſignificandum mutuas animorum conceptiones inter homines inſtituta, fruſtrà ſanè quiſque loquitur quâcumque linguâ, ſi non intelligatur, eritque alter alteri non intelligenti *barbarus*, etiamſi Græcè, vel Latinè atque etiam diſertè loquatur: ex *Chryſ.*

℣. 12. *Sic & vos, quoniam æmulatores eſtis ſpirituum, ad ædificationem Eccleſiæ quærite ut abundetis.*

Sicut qui loquuntur nec intelliguntur, & ideò ſibi mutuo ſunt barbari; *ſic & vos*, id eſt, prŏptereà & vos ne ſitis invicem barbari: quoniam ad ſpiritûs dona anhelatis, potiora quærite, per quæ Eccleſiæ utilitas & ædificatio à vobis attingatur. *Ut abundetis*, hoc eſt, ut plus quàm nunc habeatis: linguis tantùm nunc loquentes & non interpretantes: vel *ut excellatis* magis, quàm linguis loquendo. Nam alia dona ſunt linguis excellentiora, utpote uberiorem adferentia utilitatem, ait *Oecum.*

℣. 13. *Et ideò qui loquitur linguâ, oret ut interpretetur.*

Modum ponit, quo pacto poſſint haberi dona quæ Eccleſiæ proſint: ait enim, qui donum habet loquendi linguis, ne inutile donum circumferat, oret Deum largitorem donorum, ut ipſe adjiciat donum interpretandi, quo ea quæ peregrinâ linguâ loquitur, ad aliorum intelligentiam proferre poſſit; itaque ipſi in cauſa ſunt, quòd majus non accipiant, ut qui non petunt quod majus eſt, ex *Oecum.* Vel *oret* accipitur pro *loquatur*, ut ſenſus ſit. Qui linguâ

loquitur, ita loquatur, ut etiam interpretetur: ex *Chryſ.*

℣. 14. *Nam ſi orem linguâ, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſinè fructu eſt.*

Oecumenius interpretatur *ſpiritum* donum linguæ ſpirituale, *mentem* autem claram intelligentiam & interpretationem eorum quæ dicuntur. Itaque oportet (inquit) qui aliena loquitur ſive pſallat, ſive oret, ſive doceat, intelligere & interpretari ad auditorum utilitatem: vel *ſpiritus* ſumiter pro ſermone externo, & voce quæ aëre & ſpiritu conſtat; *mens* autem pro intentione; ut ſenſus ſit: ſi orem linguâ, id eſt, ſimplex linguarum donum habens & non interpretationis, *ſpiritus meus orat*, id eſt, vocalem quidem orationem ſono & enuncio, *Mens autem mea*, Græcè ſcopus & intentio *ſinè fructu eſt*, non quidem loquentis, ſed audientis: ait *Gaig.* Tacitam autem removet objectionem Apoſtolus: Nam dicere quis poterat, etſi peregrinâ linguâ alloquens alios, nihil eis confero, quia me non intelligunt: attamen cùm Deum oro, quamvis linguâ mihi & aliis incognitâ: ille & intelligit, & cor meum inſpicit & orantem exaudit. Reſpondet nec eum qui ſic orat, percipere ex ſuâ oratione fructum quem caperet, ſi eam intelligeret: loquitur autem ex ſua perſona, quo magis perſuadeat. *Spiritus* ex *S. Thoma* eſt Spiritus ſanctus, qui orare dicitur, quia inclinat ad orandum, ùt *Rom.* 8. ℣. 26.; vel ratio, quæ orat quatenùs dictat orandum: vel virtus imaginativa quam orare dicit quatenùs ſimilitudines rerum corporalium ſunt in imaginatione orantis, abſque eo quod intellectu percipiantur: vel pars animæ ſuperior quæ affectiva eſt; affectus rationalis, vel ſpiritualis dici poteſt, ex *Liran.* & *Carthuſ.*

ùt *Act.* c. 17. ℣. 16. c. 18. ℣. 25. *Matth* c. 26. ℣. 41. *Mens* autem eſt pars intellectiva quatenùs ejuſmodi. Tale igitur eſt, quòd dicit Apoſtolus. Nam etſi Deum orem linguâ, id eſt, ad orandum Deum utar dono linguæ, non habens donum intelligentiæ, *ſpiritus* quidem *meus orat*, id eſt, affectus elevatur in Deum. Cæterum *mens*, id eſt, intellectus meus, quia verborum ſignificationem ac ſenſum non aſſequitur, fructu proprio privatur, qui eſt intelligere, & intelligendo refici, unde conſequenter fit, ut nec meditari, nec contemplari dè rebus per verba ſignificatis queat. Iſtud ſanè quòd Apoſtolus dicit accidere conſtat iis qui latinitatis ignari latino ſermone preces recitant. Hi namque ſpiritu quidem & affectu devotionis in Deum feruntur, ſi verè orant: ſed quia verba non intelligunt, *mens* eorum *ſinè fructu eſt*, videlicet intelligentiæ. Nec non etiam clericis latinè quidem doctis, qui verba ſecundùm ſignificationem intelligunt, ſed ſenſum non penetrant. Verùm non ob id damnandæ preces, vel hoc vel etiam priori modo non intellectæ, tanquam ſint inutiles. Nam etſi qui ſic orant fructum intelligentiæ non percipiant, ideòque nec paſcantur ſenſibus per verba ſignificatis; habent tamen fructum mentis elevatæ ad Deum, & fructum reverentiæ erga preces ſacras: quas etſi non intelligant, bonum tamen & ſalutare eſſe, quod iis ſignificatur non dubitant: atque hoc ipſum ſibi petunt à Deo donari. Quin etiam contingit ut quiſpiam ſic orans plus apud Deum mereatur & impetret, quàm alius intellectu ſenſum aſſequens orationis, ſi nimirùm majori cum humiliate, pietate, fervore Deum oret. Ac certè verborum intelligentiam ſæpe non ſolùm compenſat; verùm etiam in nominibus verborum & ſenſuum alioqui peritis

interdum abſorbet devotionis magnitudo in Deum, ait *S.Thom.* Nec tamen patrocinandum iis, qui Dominicam orationem ita latinè recitant, ut non curent eam intelligere: ex *Eſtio:*

℣. 15. *Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente.*

Quid igitur faciam? operam dabo ut non ſolùm *ſpiritu*, id eſt, cum devotionis affectu Deum orem, ſed etiam ut verba orationis intellectu capiam: ſic enim majorem utique fructum ex oratione reportabo, quàm ſi ſolo ſpiritu orarem. *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente*, id eſt, laudem & gratiarum actionem Deo canam non ſolo devotionis affectu, ſed etiam cum intelligentia verborum: ex *Chryſ.* Pſallere pro eo, quod eſt laudes Deo canere, ſive id voce fiat ſive inſtrumento muſico, vocabulum eſt Eccleſiaſticum, à LXX interpretibus frequentatum: nam apud authores profanos laxior eſt ejus ſignificatio.

℣. 16. *Ceterùm ſi benedixeris ſpiritu: qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, neſcit.*

In genere eos reprehendit, qui linguarum dono periti preces & laudes divinas proferebant in conventu fidelium, quas nec ipſi, nec alii intelligerent. Et ſermonem proſequitur de eo qui ex dono peculiari in conventu linguâ loquitur peregrinâ, docetque rem abſurdam conſequi, ſi non intelligatur, quia non erit qui reſpondeat *Amen* & approbet ejus verba, ſicut habet Eccleſiæ conſuetudo, unde ait. *Qui ſuppl t locum idiotæ.* Idiota eſt homo privatus, carens munere publico, qui militiæ non eſt aſtrictus.

indoctus, illiteratus: vel plebeus ſive laïcus reſpectu Eccleſiæ: id eſt, qui nullo gradu Eccleſiaſtico fungitur. Is autem *qui ſupplet locum idiotæ*, eſt laïcus, quia mos erat antiquitùs ut precibus ſacerdotum ipſe populus acclamaret: ex *Chryſ. Baſil.* & *Hier. lib.* 2. *in epiſt. ad Gal. Juſtin.* 2. *pro Chriſt.* Græcè qui *vices* gerit ſeu adimplet. Vel meliùs aliquis ab idiota diverſus, eoque doctior qui partes ſuſtineat idiotæ; vel idiotarum, id eſt, plebis. Quippe pro plebe reſpondebat approbando orationes, pſalmos, benedictiones ſive laudes, quæ pronunciantur in conventu publico. Hoc enim officium eſt atque olim fuit miniſtrorum Eccleſiæ, qui in clerum aſcripti eſſent. Morem autem acclamandi *Amen*, ad preces laudeſque publicas, & omninò preces terminandi ea voce, accepit Eccleſia à Judæis apud quos populus ita acclamabat, ut *Deut.* c. 27. ℣. 15. & *Seq.* 1. *Paral.* 16. ℣. 36. 2. *Eſd.* c. 8. ℣. 6. Unde & illud *Pſalmi* 105. Et *dicet omnis populus fiat, fiat.* Quòd ſi (inquit) tu qui peregrina loqueris, Dei laudes pronunciaveris ſpiritu tantùm, & non mente; id eſt, cum pio affectu, ſed verba ipſe tua non intelligens, ut proinde nequeas ea interpretari: quomodo non dico idiota, ſed is qui ſupplet locum idiotarum, & cujus eſt vice populi reſpondere, dicturus eſt *Amen* ad tua verba, quibus Deo laudes & gratiarum actiones depromis, quoniam verba tua non intelligit utpote peregrina.

℣. 17. *Nam tu quidem bene gratias agis: ſed alter non ædificatur.*

Quatenùs ſpiritu, id eſt, piâ animi affectione & devotione id facis, ſed frater & proximus tuus nullum ex verbis tuis percipit fructum, non promovetur ad ſalutem, cùm tamen ea quæ

ſiunt in conventu publico, referri debeant ad bonum publicum. Nota contra hæreticos *Paulum* non velle ut totus populus intelligat, ſed ut is ſaltem qui ſuâ reſponſione & approbatione vicem populi ſupplet: quem profectò cæteris doctiorem eſſe convenit, & in quo tanquam ſuo vicario populus quodammodo intelligit: deinde non eadem eſt ratio, cur *Amen* dicendum ſit ab intelligente nunc & tempore primitivæ Eccleſiæ, quo *Paulus* hæc ſcripſit. Tunc enim adferebantur ab iis, qui linguæ donum habebant, orationes & laudes quædam novæ ac priùs inauditæ, quo fiebat ut qui ad eas reſpondebat *Amen*, prorsùs neſciret, quid approbaret, quando nec verba intelligebantur, nec preces eſſent Eccleſiæ judicio receptæ. Nunc autem qui reſpondet, *Amen*, etiamſi verba fortè non intelligat, novit tamen bonum & ſanctum eſſe quod ſignificatur, utpote jam olim ab Eccleſia approbatum. Præthereà notandum eſt ea ad quæ reſpondet miniſter in ſacrificio Miſſæ, pauca admodùm eſſe, ut propter illa mutari non debeat lingua totius Miſſæ: cùm facilè laïci diſcere poſſint ea pauca quid ſignificent: ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. c. 8.

℣. 18. *Gratias ago Deo meo, quòd omnium veſtrûm linguâ loquar.*

q. d. Non ideò vilipendo donum linguarum, quia ego dico quòd donum prophetiæ ſit excellentius, ſed debet charum haberi. Unde & *gratias ago*, &c. Eſt ergo de omnibus gratias agendum, ùt 1. *Theſſ.* 5. Vel *gratias ago*, q. d. Non ideò vilipendo donum linguarum quaſi eo carens, imò ego habeo & ideò gratias ago. Et ne intelligatur quòd omnes loquerentur unâ linguâ, dicit, *omnium veſtrûm* ſive Græcorum, ſive Hebræorum; vel generaliter omnium fide-

lium, qui jam ex variis Gentibus & linguis ad fidem converſi erant, *linguâ loquor*, ut factum legimus *Act.* c. 2. ℣. 4. *& ſeq.* ita *S. Thom.*

℣. 19. *Sed in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam: quàm decem millia verborum in lingua.*

Id eſt. Malo paucis ſermonibus *in Eccleſia*, in publico cœtu fidelium *loqui* cum intellectu quo poſſim & alios inſtituere, interpretando & explicando quæ dico: quàm innumerabilia verba fundere peregrinâ linguâ ſinè intellectu: vel *ſenſu meo*, id eſt, mente meâ, hoc eſt cum fructu mentis & intentionis meæ, quæ eſt multorum utilitas, ut mens pro intentione ponatur, ex *Gaig.* Sic igitur & vos affectos eſſe velim. Innuit *Paulus* cum brevitate ſermonis tradendam eſſe doctrinam ſalutis: ex *Lyr. & Trid. Conc. ſeſſ.* 5. c. 2.; & eſſe eligibilius ut in Eccleſia dicantur divina, horæ ſcilicet Canonicæ & Miſſæ intelligibiliter ſinè melodia, muſica, quàm ſic ut intelligi non poſſint, ait *Cajet.*

℣. 20. *Fratres, nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitiâ parvuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote.*

Ne ſitis, inquit, pueris ſimiles in rebus quas eligere vel agere debeatis, æſtimandis ac dijudicandis: ne mala bonis, aut minora bona majoribus anteponatis: ſed tanquam pueri ſeu infantes ſitis expertes malitiæ, hâc parte pueros imitamini, non illâ. Quòd attinet ad judicium animi de rebus agendis, ſimiles eſtote viris adultis & ætate perfectis: ut quemadmodum illi per naturam bene diſcernunt inter bona & mala hujus vitæ: ſic & vos tanquam perfecti in Chriſto *ſenſus* habeatis *exercitatos ad ſpiritualem boni & mali diſcretionem, Heb.* 5. ℣. 14. cui congruit, quod dicitur *Rom.* c. 16. ℣. 19.

℣. 21. *In lege ſcriptum eſt : Quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic : & nec ſic exaudient me, dicit Dominus.*

Hoc in Iſaïa c. 28. *ſcriptum eſt*, ſed divus *Paulus* omne vetus inſtrumentum vocat *legem*. Teſtimonium verò adducit, latenter oſtendens non eſſe admodùm utile donum linguarum, eo quòd etiam incredulis contingat, ait *Oecum.* Senſus verò eſt : Ego Dominus loquar populo huic Judaïco variis & peregrinis linguis; ſcilicet per Apoſtolos meos. Quod quidem præcipuè fuit impletum in die Pentecoſtes, *Act.* 2. In Hebræo eſt *ſubſanantibus labiis* ſive balbutientibus. Nam qui loquuntur linguis aliis ſeu peregrinis, quaſi balbi ſunt & barbari non intelligentibus : & deridere videntur auditores, & ipſi viciſſim audientibus habentur ridiculi, inſani, & temulenti, ùt *Act.* 2. *Et ne ſic* quidem, id eſt, viſo hujuſmodi ſigno, quod eis daturus ſum : *audient*, ſive *exaudient me* : id eſt, credent, obtemperabunt verbis meis, quæ per Apoſtolos loquar. Quamvis enim aliquot millia ex Judæis prædicatione Apoſtolorum converſa fuerint ad Chriſtum ùt *in actis Apoſt.* habetur : numerus tamen ille comparatione totius populi, qui remanſit incredulus, tantùm exiguæ fuerunt reliquiæ, teſtante *Iſa. cap.* 10. & *Paulo* referente ad *Rom.* c. 9.

℣. 22. *Itaque linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus : prophetiæ autem non infidelibus, ſed fidelibus.*

Id eſt, ex prophetico teſtimonio conſequitur donum linguarum datum eſſe Eccleſiæ, ut eſſet ſignum ac teſtimonium divinum veritatis, fidei, *non fidelibus*, qui jam credunt, *ſed infi-*

delibus præcipuè; (tametſi interdum etiam fidelibus inſtruendis & confirmandis ſerviant) ut credant: donum autem prophetandi *non infidelibus*, *ſed* præcipuè *fidelibus* ad inſtructionem; licèt interdum etiam valeat convertendis infidelibus: ex *Eſtio*.

℣. 23. *Si ergò conveniat univerſa Eccleſia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles; nonne dicent quòd inſanitis?*

Pergit oſtendere prophetiæ dignitatem ſuprà linguas: idque ex iis quæ accidebant, vel accidere poterant in publico conventu fidelium. *Si* (inquit) *Eccleſia* tota ſimul *conveniat*, ſive apud vos, ſive alibi, & *omnes loquantur linguis*, nemine interpretante, *intrent autem idiotæ aut infideles: nonne* reputabunt vos inſanos, fanaticos, arreptitios? Sic igitur unde gloriam venabantur Corinthii, inde probrum referebant: *Idiotas* vocat ſimplices & malitiæ expertes, nondum baptizatos, quos poſteà vocavere Catechumenos, quòd adhuc elementis religionis imbuerentur, nondum ad myſteria admitterentur fidei & Eccleſiæ: ex *Gaig*. Vel Neophytos, quos vocat nuper credentes. Vel eos qui non intelligunt niſi linguam maternam; indoctos, linguarum expertes; vel eos qui nullo miniſterio in Eccleſia fungebantur: minùſque diligenter Eccleſiæ conventus frequentabant: ex *Chryſ.*

℣. 24. *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus:*

Non vult Apoſtolus *omnes* ſimul, vel *omnes* abſolutè intelligendo prophetare; ſed viciſſim

ac ordine: nam neque ex eo quod omnes ſimul prophetarent, ſequeretur fructus, quem hic commemorat; ſed excitaretur ſcandalum apud auditores ex inordinata & confuſa locutione multorum. Senſus igitur hujus & præcedentis versûs eſt. *Si omnes* loquamini *linguis*, arguet vos infidelis aut idiota tamquam inſanos: at contrà fiet, *ſi omnes* viciſſim ac ordine propheteтis, ſeu ex dono Spiritûs Sancti proferatis ea, quæ in ſcripturis de Dei potentia, bonitate, juſtitia, ſapientia traduntur: nam infidelis aut idiota qui fortè conventum veſtrum intrat, *convincitur*, Græcè ἐλέγχεται quod plerique vertunt, conformiter ad rem præſentem, *arguitur ab omnibus*, & *dijudicatur ab omnibus* vobis: hoc eſt per doctrinam omnium, eo quo dictum eſt modo prophetantium, auditam & intellectam ipſe à ſemetipſo atque in ſua conſcientia arguitur, ac diſcuſſione factâ judicatur, tanquam impius & peccator. Siquidem infidelis conferens errorem, in quo verſatus fuit, & ſuperſtitiones ſuas & immunditias ac cæteras actiones vitæ ſuæ cum ea doctrina quam audit in Eccleſia, clarè videt ſuam iniquitatem & turpitudinem. Similiter idiota de peccatis & pravis affectibus quibus ex ignorantia laborabat ex eadem doctrina apud ſe *convincitur* ac reus oſtenditur, quia rectum eſt index ſui & obliqui: ex *Eſtio*.

℣. 25. *Occulta cordis ejus manifeſta fiunt: & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quòd verè Deus in vobis ſit.*

Id eſt, dum ſic apud ſe per doctrinam prophetarum redarguitur, & dijudicatur infidelis aut idiota, *manifeſta* ei *fiunt* quæ priùs ita in corde ipſius latebant, ut nec ipſe qualia eſſent,

agnoſceret; diſcet enim idolorum cultum eſſe impietatem, &c. Et ita totâ cordis & corporis humilitate *Deum* verum agnoſcet, ſibique deinceps colendum ſtatuet: palam affirmans & teſtificans Deum Chriſtianorum eſſe verum Deum, quomodo Nabuchodonoſorem feciſſe legimus *Dan.* 2. Vel quòd non à malo ſpiritu tanquam inſani & arreptitii moveamini ad loquendum: ſed quòd Deus ſeu Dei ſpiritus ſit is qui vos implet, & ad loquendum movet: ex *Chryſ.*

℣. 26. *Quid ergò eſt, fratres? Cùm convenitis, unuſquiſque veſtrûm pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.*

Inſtruit Corinthios quo modo & ordine donis à Deo acceptis uti debeant in conventu publico, ut fructus ſequatur, & confuſio vitetur. Quando *convenitis* ad res divinas, alii aliis donis inſtructi (nec enim ſentit fideles habere hæc omnia) & ea in medium promere parati eſtis. Nam verbi gratiâ alius habet *pſalmum*, id eſt, vim vel edendi, vel editum in Dei laudem canendi canticum ſpirituale: ad hoc enim quidam peculiariter inſpirabantur; de quo dono ſuprà *verſ.* 15. Quid *doctrinam* & *revelationem* vocet, ſimiliter intelligitur ex *ver.* 6. Alius in promptu habet ex Dei inſpiratione, quòd doceat ex humanis rationibus ſuaſurus ea quæ divina ſunt. Alius acceptâ de ſecretis myſteriis aut ſcripturæ ſenſibus revelatione paratus eſt, in medium proferre quod accepit: ita *Hier. ſuper Galat.* 1. Alius ex dono paratus eſt loqui peregrinâ linguâ; alius verò donum habet, quo linguas interpretetur. *Omnia ad ædificationem fiant*, id eſt, ad promovendam Eccleſiam Chriſti & ſingula ejus membra in vita ſpirituali: ex *Eſtio.*

℣. 27. *Sive linguâ quis loquitur, ſecundùm duos, aut ut multùm tres, & per partes, & unus interpretetur.*

Quo pacto dono linguarum uti debeant oſtendit. Quòd ſi (inquit) *linguâ quis* utitur unus aut plures, per *duos*, *aut* ad ſummum *tres* id fiat: vel per binos aut ad ſummum ternos. *Et per partes*, id eſt, viciſſim ſeu quiſque ſeorſum, ut ſi plures quàm unus locuturi ſint linguis, vult ut id faciant viciſſim, non ſimul. *Ambroſius* vertit *particulatim*. Vult ergo *Paulus* quòd quibus eſt conceſſum donum linguarum, nec omnes, nec ſimul, nec ſinè interprete loquantur, ne non intelligentibus ridiculi ſint, & fructu careat hujusmodi ſermo: ita *Gaig.*

℣. 28. *Si autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſia, ſibi autem loquatur, & Deo.*

Si verò nullus adſit qui poſſit interpretari publicè in Eccleſia, non loquatur is qui donum linguæ habet; neque enim debet eo dono uti inutiliter & abſque ædificatione, ſed tacitus & in corde loquatur ſibi ipſi, id eſt, ad ſuam privatam ædificationem. Item *loquatur Deo*; quamvis non mente & intelligentiâ, ſpiritu tamen & pio affectu, quo adorandum aut laudandum Deum movetur: quem utique affectum Deus qui dedit, inſpicit. Ex quo patet orationem non intellectam ei, qui orat, non eſſe inutilem, tſi per eam Eccleſia non ædificetur: ex *Eſtio*.

℣. 29. *Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & ceteri dijudicent.*

Dicant non ſimul, ſed viciſſim. Non dixit *ut plurimum*, quod de loquentibus linguâ dixerat; quia prophetiæ donum utilius erat Eccleſiæ, ideòque numerus prophetantium non erat

reſtringendus. *Cæteri*, id eſt, alii; quamvis multi ſint in Eccleſia veſtra prophetæ, tamen ſatis eſt ſi *duo aut tres* in uno conventu loquantur. Aliorum verò officium erit *dijudicare*, id eſt, examinare & probare, num vera & ſana ſint, quæ dicuntur à loquentibus. Non ergo *cæteros* intelligit omnes auditores, aut reliquum cætum, ut contendunt hæretici; quo doceant ad unumquemque fidelem ſpectare judicandi poteſtatem de doctrina religionis: ſed de his ſolis loquitur Prophetis, ac de iis maximè qui habebant etiam donum diſcretionis ſpirituum. Qui tamen ipſi non judicabant poteſtate, ùt in Eccleſia faciunt Epiſcopi; ſed ſcientiâ & diſcretione tanquam doctrinâ pariter & diſcretionis gratiâ præditi, ùt c. 2. & 1. *Theſſ*. 5. Nam contingebat ut aliqui, non à ſpiritu divino, ùt veri Prophetæ, ſed vel à ſpiritu mendaci, id eſt à dæmone, ſicut vates Ethnici, vel certè à proprio ſpiritu moverentur ad proferenda quædam nova; quare ne fideles fallerentur, opus erat examine & dijudicatione, ùt notat *Eſtius*: ex *Chryſoſt*.

℣. 30. *Quòd ſi alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat.*

Sedentem vocat exiſtentem in numero auditorum, id eſt, ſi quo prophetante Spiritus ſanctus quidpiam alteri revelaverit melius, *prior taceat*, cedat ei qui novam ex tempore revelationem accepit, detque ei locum dicendi. Spiritus enim hoc extraordinario modo ſuggerens alteri revelationem velle videtur, ut ille ſtatim & ſinè dilatione audiatur. Unde inſinuat hunc modum prophetandi diſtinctum eſſe ab eo ordinario, quo quis ad conventum veniebat inſtructus ex prævia Dei inſpiratione: ex *Cajet*.

℣. 31. *Poteſtis enim omnes per ſingulos Prophetare : ut omnes diſcant, & omnes exhortentur :*

Omnes intellige prophetiæ donum habentes; id eſt, quamvis ex ſpiritu prophetico loquamini, tamen non debetis mirari, quòd jubeam priorem tacere, & loquendi vices alteri concedere. Nam in poteſtate veſtra eſt eum ſervare ordinem, ut ſingulatim, alius poſt alium etiam omnes prophetetis, ut omnes *exhortentur* paſſivè, id eſt, exhortationem à prophetante accipiant: ſi activè, quomodo fere omnes Latini exponunt, ſenſus erit: Ita fiet ut omnes Prophetæ diſcant, dum omnes audiunt alios, etiam ille qui loquebatur, utpote dans locum alteri, ſeque collocans inter ſedentes: Et ut omnes doceant atque exhortationis verba proferant, dum ſinguli, nemine excepto, permittuntur loqui. Nam exhortandi officium ad Prophetas pertinere conſtat ex initio capitis.

℣. 32. *Et ſpiritus prophetarum prophetis ſubjecti ſunt.*

Et pro *etenim*, ſpiritualis gratia prophetandi in poteſtate eſt prophetarum, ut cùm velint utantur, aut abſtineant, prout Eccleſiæ conducere viderint; hoc autem ait, ne prophetandi aliis locum negarent, fingentes ſe tacere non poſſe. *Spiritus Prophetarum* eſt, Spiritus ſanctus inſpirans Prophetas; vel impetus propheticus: vel ipſa dona prophetica: vel impetus, ſive inſtinctus ille divinus, quo Propheta commonetur, ut vel loquendo, vel ſcribendo proferat id quod ſibi revelatum eſt: ad hoc enim illuminatur, ut illuminet alios. *Prophetis ſubjecti ſunt*, non quidem in poteſtate prophetæ eſt illuſtrare divinitùs: ſed *ſpiritus*

prophetarum prophetis ſubjecti ſunt, ſive quoad uſum & actionem prophetandi, ſive quoad horum dijudicationem. Subjectio autem refertur vel ad eoſdem Prophetas; ut ſenſus ſit. Illud habituale donum quod eſt in homine; velut ſcientiam, ſapientiam, donum linguarum, inſtinctum agendi quidpiam ſive naturalem, ſive ſupernaturalem, ita eſſe in hominis poteſtate, ut eo uti & non uti poſſit. Vel ad alios. Et hic ſenſus erit. *Spiritus Prophetarum ſubjecti ſunt* aliis *Prophetis*: id eſt, aliorum Prophetarum judicio, ut alterutrum ſibi cedant. Vel ſpiritum humilitatis & charitatis debent habere Prophetæ, quia Deus qui in ipſis eſt, non eſt Deus diſſentionis, neque ſuperbiæ, ait *Hieron.*

℣. 33. *Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut & in omnibus Eccleſiis Sanctorum doceo.*

Deus qui inſpirat & movet Prophetas, *non eſt diſſentionis Deus, ſed pacis.*; ergo non ſic movet Prophetas, quin opportunum tempus loquendi expectare poſſint: & cùm opus eſt à loquendo deſiſtere; quòd ad ordinem & pacem Eccleſiæ pertinet. Vel Deus inſpirans Prophetas non eſt author confuſionis aut contentionis, ſed pacis: igitur non debent Prophetæ pro ſua quiſque ſententia certare, ſed aliorum judicio libenter ac ſponte ſeſe ſubmittere. *Doceo* ſcilicet Deum non eſſe diſſentionis Deum, ſed pacis. Et per hoc omnes hortor ad ſtudium pacis & concordiæ, & ad vitandam in Eccleſiis confuſionem. Vel non vobis ſola iſta præcipio: ſed & in cæteris Eccleſiis eadem doceo. Vel ſicut in omnibus Eccleſiis lex pacis obtinet. Vel ſicut in omnibus Eccleſiis quòd dixit de uſu donorum: ita & apud vos fieri convenit, ne ab aliarum Eccleſiarum laudabili

conſuetudine diſcrepare videamini: vel ne novi aliquid me vobis imperare putetis, ait *Hier.*

℣. 34. *Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit.*

Non ſolùm dixit ut tacerent, ſed & ſubjectæ eſſent, quod plus eſt quàm ſilentium: ſubjectio enim deſignat ſilentium cum timore, tanquam ab ancillis quibuſdam præſtitum, ùt lex dicit *Gen.* 3. Si ergo viro ſubjicitur, multò magis ſpiritualibus præceptoribus & communi Eccleſiæ plenitudini ac perfectioni. *Non enim permittitur eis loqui*, Subaudi in aliis Eccleſiis, aut in Eccleſiis Sanctorum. Quare nec in veſtris Eccleſiis permittere debetis, ut linguis loquantur, interpretentur, prophetent, pſalmum aut hymnum canant, vel interrogent ad diſcendum. Quia contra ordinem naturæ eſt vel legis, ut in conventu virorum feminæ loquantur, ait *Hieron.*

℣. 35. *Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.*

Animadverte, quòd de his etiam quæ ipſis expediunt, non permiſit eis loqui in Eccleſia. Hoc autem & viros reddit attentiores, cùm ſciant quòd ab uxoribus interrogabuntur de ſcripturis & dogmatibus quæ tractantur in Eccleſia. *Turpe eſt enim*, id eſt, contra verecundiam naturaliter illi ſexui inditam; ideò in Eccleſiis loqui non audeant, ne quidem ſi dono prophetiæ præditæ ſint, aut revelationem acceperint, poſſunt enim tacere, & ea quæ ſpiritus ſuggerit, extra Eccleſiam loqui apud mulieres, aut etiam apud viros ſalvo pudore & honeſtate. Neque hoc contrarium

eſt ei, quod cap. 11. dixit, *Mulier orans aut prophetans non velato capite.* Sanctimoniales in oratoriis ſuis divinas laudes canentes loqui in Eccleſia dicendæ non ſunt; quia non eſt ibi fidelis populi conventus, qualem hìc Apoſtolus Eccleſiam vocat: ex *Hieron.*

℣. 36. *An à vobis verbum Dei proceſſit? Aut in vos ſolos pervenit?*

Contentioſos his verbis reprimit, & eos, qui contradicere velint; & ſenſus eſt: voſne Doctores aliorum eſtis, à quibus evangelica prædicatio *proceſſit*; græcè exivit; an non magis diſcipuli, qui obedire, non contendere debetis? an ſolis vobis prædicatum eſt? Soli ſapitis? Neque primi, neque ſoli eſtis Chriſtiani, debetis ergo priores, nempe Judæos imitari, & aliis Eccleſiis vos conformare, non novas conſuetudines introducere. Vides à quot rebus ſuadet; legem produxit, eſſe turpe monſtravit, Eccleſias cæteras objecit: poſtremò, quod validiſſimum eſt, in verſu ſequenti dicit, hæc per ipſum à Deo ordinata ſeu mandata eſſe; inquit *Chryſ.* Oſtendit hic locus, ubi de doctrina aut conſuetudine in Eccleſia quæſtio ſuſcitatur, ad antiquitatem reſpiciendum eſſe, quid Apoſtoli, quid primi fideles, quid eorum ſucceſſores docuerint atque tradiderint.

℣. 37. *Si quis videtur propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata.*

Si quis eminet inter vos & habetur tanquam excellens *Propheta aut homo ſpiritualis*, id eſt, perfectus, ùt *cap.* 2. Quamvis ordinariè omnis Propheta ſit etiam ſpiritualis, non tamen è diverſo, omnis ſpiritualis eſt Propheta, ideò poſt prophetam ſpiritualem nominat: q. d. *Si quis videtur eſſe Propheta*, aut alio modo habet

ſpirituale donum, ut intelligat quæ à me ſcribuntur, ſciat Dei eſſe præcepta, *quæ ſcribo*, nec à meipſo, ad hæc ſcribenda me moveri. *Propheta* quidem ex dono prophetico: *ſpiritualis* autem ex dono ſapientiæ, per quod ſpiritualis judicat omnia, ùt *cap.* 2. Et hoc argumentum ultimo loco poſuit, ut omnium fortiſſimum. q. d. Hoc per me vobis Chriſtus præcipit, idque veri Prophetæ & ſpirituales ignorare non debent. Sunt, qui intelligant, *Domini mandata*, quæ ab ipſo Chriſto legiſlatore data ſunt, ſive loquente ſuis Apoſtolis, ſive revelante, ait *S. Thom.* Et quæ mediatè à Chriſto profecta ſunt, ùt præcepta Apoſtolorum & Eccleſiæ, ait *Cajetan.*

℣. 38. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.*

In græco legitur, *ſi verò quis ignorat, ignoret.* Hanc lectionem textus Syriacus habet, quam Græci & cum iis *Cajetanus* exponunt in hunc fere ſenſum; cognoſcant Prophetæ & ſpirituales, ea quæ ſcribo, Domini eſſe mandata. *Si qui* verò id *ignorant*, ne facilè perſuadeantur, ut illa tanquam Domini mandata recipiant: eos ſibi, ſuæque ignorantiæ relinquendos cenſeo, potiùs quàm ut cum iis longiori ſermone concertem. Agnoſcat & obtemperet qui volet. Sic & alibi loquitur *Paulus* ùt c. 7. ℣. 15. & *Joan. Apoc.* c. 22. ℣. 11. Senſus autem noſtræ lectionis, quam exhibent omnes latini codices & commentarii, eſt: Si quis non agnoſcit hæc eſſe Domini mandata, nec meis verbis, nec judicio Prophetæ, aut hominis ſpiritualis acquieſcit, ſed mavult ignorare, viciſſim *ignorabitur à Domino*, auditurus illud cum reprobis, *neſcio vos.* ex *Aug. Epiſt.* 102. Vel hujuſmodi ſermonis forma haberi ſolet, ubi non grande

deliĉtum eſt quod accedit. Quid enim magnum eſt, ſi ignorent Dei eſſe præcepta, ut mulieres taceant? ait *Oecum.*

℣. 39. *Itaque fratres æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite probibere.*

Reducit in ſummam totam capitis doĉtrinam de dono prophetiæ & de dono linguarum, hæc comparans inter ſe, & de ordinario eorum uſu. Quia (inquit) æmulatores eſtis ſpirituum, id conſequi ſtudete quod magis ædificat, nempe donum & aĉtum prophetandi: nec rejicite tanquam malum loqui linguis: habet enim & illud ſuam utilitatem; modò quis in tempore utatur.

℣. 40. *Omnia autem boneſtè, & ſecundùm ordinem fiant.*

Ad honeſtatem & decentiam pertinet ne mulieres in Eccleſia loquantur. Ad ordinem, ne quibus loqui licet, plures ſimul loquantur, ſed ſinguli, alius poſt alium. Eos taxans qui ordinem omnem perturbant furioſorum more, quando nihil æquè ædificat ùt moderatio, ùt pax, ùt charitas: tantùm ſanè, quantùm illorum contraria diſpergunt, ait *Chryſ.*

CAPUT XV.

Reſurrectionis fidem confirmat, ejuſdem ordinem & modum. Et varias reſurgentium dotes inſinuat.

℣. 1. *Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod accepiſtis, in quo & ſtatis,*

Corinthii nonnulli Philoſophiæ nimium addicti induci non poterant ad credendum mortuorum reſurrectionem univerſalem, ut *Act.* 17. Admonitus igitur ea de re *Paulus* gravi oratione de ea agit hoc capite, & modum ejus exponit; ait autem. Nihil novum vobis dicam, ſed quod jam *notum* vobis factum eſt, verùm in oblivionem venit. Nam *notum facio*, hoc eſt, ad memoriam reduco, quod jam prædicavi & recepiſtis credendo. Hoc ſummum ut Deum hominem factum, crucifixum, vitæ redditum ſciamus, ait *Chryſ.*

℣. 2. *Per quod & ſalvamini: quâ ratione prædicaverim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtrà crediſtis.*

Per quod receptum & creditum, etiam ſalutem conſequimini, quia ſalus per fidem Evangelii incipit in hac vita, perficitur autem in futura, ut *Epheſ.* 2. *Tit.* 5. Reminiſci vos facio, *quâ ratione prædicaverim vobis* Evangelium; nam receptum juxta eam rationem & intellectum ſalvamini: *ſi* modò illud *tenetis*; *niſi* etiam *fruſtrà crediſtis*: nam niſi retineatis, fruſtrà facti eſtis Chriſtiani, non enim pertingetis ad ſalutem ſinè fide reſurrectionis: ex *Hier.*

℣. 3. *Tra-*

℣. 3. *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm Scripturas:*

Hoc loco adversùs Gentilium errorem & Sadducæorum qui reſurrectionem negabant, diſputat *Paulus:* & primùm repetit doctrinam, quam Corinthiis tradiderat de mortuorum reſurrectione verbo, non ſcripto. Quòd ne nunc quidem facerem, ſi id quod verbo prædicavi, conſtanter retinuiſſetis. *Quod accepi*, ſcilicet à Chriſto, ùt c. 11. ℣. 23. & *Gal.* 1. ℣. 12. Duo confirmans, & quòd obtrudere in Evangelii negotio fas non ſit: & quòd rerum ipſarum certitudine non verbis nudis fuerunt inſtituti: quod probat, omnia Chriſto accepta ferens, nullumque dogmatum ſuorum humanum eſſe docens, ùt ait *Chryſ.* Hoc (inquit) *tradidi*, quòd in lege & Prophetis promiſſus mortem, quæ peccati pœna eſt, ſuſtinuit, non propter ſua peccata, quæ nulla habuit; ſed propter noſtra, id eſt, ad redimendas pœnas peccatis noſtris debitas. Oſtendit etiam hic locus, excepto Chriſto, nullum hominem expertem eſſe peccati; quia pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. *Secundùm Scripturas* intellige propheticas & reliquas veteris teſtamenti, ùt *Iſa.* 53. *Pſ.* 21. ex *Chryſ.*

℣. 4. *Et quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertiâ die ſecundùm Scripturas:*

Veram volens oſtendere mortem & non phantaſticam, addit *& ſepultus eſt:* nam ſepultura mortis confirmatio eſt: & ut doceat etiam ſepultos reſurrecturos: ex *Chryſ.* Quomodo autem non pugnet quod ait, *quia reſurrexit tertiâ die*, cum eo, *oportet filium hominis occidi*

& poſt tres dies reſurgere, *Marc*. 8. & *Mat*. 12. & 27. & *Luc*. 24. vide in Manuali. Addit *ſecundùm Scripturas*, quia Chriſti reſurrectio & reliquorum mortuorum creditu perdifficilis eſt, ideò ad eam ſtabiliendam opus fuit allegatione Scripturarum, ùt *Pſ*. 2. & 15. *Jonæ*. 2. ex *Chryſ.*

℣. 5. *Et quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim.*

Poſt Scripturas dicit ſe etiam adduxiſſe pro ſuæ doctrinæ confirmatione teſtimonia Apoſtolorum, ùt qui fuiſſent oculati teſtes Dominicæ reſurrectionis. Primo autem loco dixit Chriſtum viſum eſſe *Cephæ* id eſt, Petro, vel quia Petri tamquam Apoſtolorum principis prima erat authoritas, qui proinde primò nominandus erat: Vel quia inter viros primus reverà fuerit Petrus, cui Chriſtus à morte redivivus apparuit, ex *Luc*. 24. Græci, *deinde duodecim*: ſed aberat Judas & Thomas, *Joan*. 20. Verùm quidem, ſed per ſynecdochen majorem numerum & conſuetum & ordinarium, poſuit pro minori extraordinario: Vel *duodecim*, non eſt hìc nomen numeri, ſed ordinis Apoſtolici, quem in myſtico numero duodenario Chriſtus inſtituerat: ex *Beda*.

℣. 6. *Deinde viſus eſt pluſquàm quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent uſque adhuc, quidam autem dormierunt:*

Græcè ἐπάνω id eſt, *ſuprà*, *pluſquam*, vel *ſupernè*, id eſt, cœlitùs: ut aſſumptionem quoque ipſius oſtenderet illis quingentis fratribus. Hæc apparitio vel prætermiſſa eſt ab Evangeliſtis, vel eadem eſt cum ea, quam *Matth*. 28. refert. Vide Manuale in hunc locum, & *Luc*. 24. Nec dubitandum, quin inter hos quingentos

fratres, præter undecim Apoſtolos quorum meminit *Mattheus*, etiam fuerint ſeptuaginta diſcipuli, & in horum numerum Matthias & Barſabas, de quibus *Act.* c. 1. Et nota de nullo eorum auditum aliquando, quòd poſteà defecerit à fide Chriſti, dicens ſibi & cæteris vanâ & phantaſticâ apparitione fuiſſe illuſum; ut eſſe videretur quod non erat. Nec verò ſi qui illorum defeciſſent, *Paulus* eos integro numero teſtes adhuc adduceret, quod profectò magnum indubitatæ reſurrectionis eſt argumentum, cùm præſertim major pars adhuc ſupereſſet, ut ab illis peti poſſet teſtimonium. Et ſi quidam eorum dormirent, ut jam teſtes adduci non poſſent; adhuc tamen plures in vivis eſſent, ut interrogari poſſent. Sed & qui *dormierunt*, id eſt, mortui ſunt, in ſpe reſurrectionis, in hoc teſtimonio uſque ad finem perſeveraverunt. Cùm dixit *dormierunt*, obiter reſurrectionem confirmat: ex *Chryſ.*

℣. 7. ***Deinde viſus eſt Jacobo, deinde Apoſtolis omnibus*:**

Jacobo Epiſcopo Hieroſolymitano, qui cognominatus eſt juſtus, & cujus apud fideles permagna erat authoritas: ideòque teſtis adducitur omni exceptione major. Sunt qui hunc faciunt ſocium Cleophæ, de quo *Luc.* 24. Sunt qui putant hanc ſingularem apparitionem factam fuiſſe *Jacobo* ſtatim à reſurrectione, ſaltem ipſo die quo reſurrexit: ex *Hieron.* At pugnat cum eo quòd ait *Paulus* Dominum *Jacobo* viſum poſteà quàm viſus eſt quingentis fratribus, unde ſuſpecta eſt de voto *Jacobi* fabula quæ eſt apud *Hier.* ex *S. Thoma. Deinde Apoſtolis omnibus*. Non dicit undecim aut duodecim ſicut ſuprà, ſed omnibùs Apoſtolis. Quo nomine etiam alios comprehendit. *Chryſ.* ad 70. diſcipulos extendit. At meliùs hic etiam primi or-

dinis Apoſtolos comprehendi putant alii, & eſt ſermo non de manifeſtatione facta in monte Galilææ, ſed de poſtrema, quæ facta fuit ipſo die Dominicæ Aſcenſionis, ſive Hieroſolymis, ſive in monte Oliveti: ex *Hieron. quæſt.* 7. ad *Hedibiam*, & ex Manual. in *Matth.* 28.

℣. 8. *Noviſſimè autem omnium tanquam abortivo, viſus eſt & mihi.*

Tamquam abortivo, modeſti animi verbum, nec tamen ob id aliquo inferior eſt *Paulus*, quòd ipſi poſtremò viſus ſit. Neque enim *Jacobus* quingentis illis inferior erat, quòd illos ipſi viſus fuerit. *Abortivum* autem ſe dicit, quia ſicuti fœtus abortivus extra tempus naſcitur: ita *Paulus* extra tempus aliorum Apoſtolorum Chriſto renatus eſt: Nam alii renati ante adventum Spiritûs ſancti, iſte poſt. Vel quia ſicut abortivum violentè educitur: ita *Paulus* vi forinſecùs adhibitâ compulſus eſt ad Chriſtum venire, eique renaſci, ùt *Act.* 9. Vel ſic ſe vocat velut abortum intempeſtivum, ideòque imperfectum & cæteris minorem, nec cum illis conferendum, adeòque & Apoſtoli nomine indignum, ex *S. Thom.* Vel quia ſupernumerarius erat, ex *Baron. an. Dom.* 44. Apparitio autem illa *Paulo* poſt Aſcenſionem facta talis fuit, quâ Chriſtus ſemetipſum corporaliter atque oculis corporeis videndum oſtenderet; æquè ac aliis ſuprà dictis viſus eſt, ùt ex *cap.* 9. ℣. 1. & *Act. cap.* 9. colligitur: ex hac apparitione, quæ facta eſt Damaſci, *Act.* 9., Chriſtum poſt aſcenſionem in cœlum aliquando corporaliter ad terram deſcendiſſe, colligit *S. Thom. & Hegeſip. l.* 3. *excidii Hieroſ.* cap. 2. Habet etiam vetus traditio, Chriſtum Petro corporaliter apparuiſſe, quando Româ fugienti obvium ſe dedit, ita ut tantiſper in cœlo eſſe deſineret, ùt

putat S. Th., vel ut in cœlo manens, nec inde recedens, ſimul etiam in terra ſe præſentem localiter exhiberet, quod multi non impoſſibile putant, ùt *S. Th.* & *Cornel.*

℣. 9. *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.*

Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, eo ſcilicet ſenſu quo *Eph.* 3. ſe vocat *minimum omnium ſanctorum*, id eſt, Chriſtianorum; ubi nomine Apoſtolorum etiam 70. diſcipulos, ùt paulò ante, vult comprehendi, ex *Chryſoſt.* Nec ſolùm *minimum*, ſed nec idoneum ad Apoſtolatum ex Græco, & proinde nec *dignum* eo munere ac nomine. Et cauſam reddit indignitatis, quia perſecutus eſt *Eccleſiam Dei*, *Gal.* 1. *Act.* 22. ſcilicet viros ac mulieres, qui ſunt Eccleſiæ Dei membra. *Act.* 9. & 22.

℣. 10. *Gratia autem Dei ſum id, quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit; ſed abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum:*

Id eſt, quòd ſum Apoſtolus, & quidem idoneus, eoque nomine non indignus; id totum acceptum refero gratiæ, id eſt, gratuitæ beneficentiæ Dei: ac gratia in me collata, non fuit inanis: *ſed abundantiùs illis omnibus laboravi*, non quàm omnes illi ſimul, ſed quàm ſinguli, id eſt, unuſquiſque illorum, quia nullus illorum tot loca percurrit, tot ac tantas adverſitates pertulit Evangelii cauſâ ùt 2. *Cor.* 11. & prædixerat Dominus *Act.* 9. ℣. 15 & 16. *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Græcè, *quæ mecum eſt*, quæ mihi adeſt, quæ mihi auxilio eſt: auxilium autem non eſt, niſi agente etiam eo

qui adjuvatur. Igitur hic inſinuatur gratiæ coöperatio, & liberi arbitrii: ſic tamen ut gratia principaliùs operetur. Nam gratia voluntatem adjuvans, non ab ea viciſſim adjuvatur: & quidem ſic adjuvat voluntatem, ut faciat eam operari, movens ad operandum, ùt ait *S. Thom.* ex *Iſa.* 26. & *Phil.* 2.

℣. 11. *Sive enim ego, ſive illi: ſic prædicamus, & ſic credidiſtis.*

Redit ad prius inſtitutum in ſummam Colligens omnia Teſtimonia reſurrectionis Chriſti. Conſentimus (inquit) omnes alii Apoſtoli tanquam oculati teſtes, Chriſtum à morte reſurrexiſſe: Et vos quoque per noſtram prædicationem ſic credidiſtis, id eſt, eâ fide eſtis imbuti: quia fluctuabant, ad præteritum tempus recurrit, ùt notat *Chryſ.*

℣. 12. *Si autem Chriſtus prædicatur quòd reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?*

q. d. Hoc jam & prædicatum eſt, & creditum etiam à vobis: *Quomodo quidam in vobis* ſive inter vos, ſive quidam veſtrûm, vel *dicunt in vobis*, id eſt, ferunt inter vos hujuſmodi ſermonem *quoniam reſurrectio mortuorum non eſt.* Concludit enim Apoſtolus ex reſurrectione Chriſti, reſurrectionem aliorum mortuorum in genere. Quòd ſi (inquit) *Chriſtus reſurrexit à mortuis:* erit igitur & aliorum mortuorum reſurrectio, & proinde malè à quibuſdam veſtrûm contradicitur. Quæres quo argumento ex Chriſti reſurrectione ſequatur cæterorum mortuorum reſurrectio. Dicunt eſſe argumentum à ſimili, ùt, ſicut anima Petri immortalis eſt; ergo omnes animæ ſunt immortales: Alii à cauſa meritoria, quia Chriſtus omnium meruit reſurrectionem:

Alii volunt Chriſtum eſſe cauſam exemplarem reſurrectionis omnium hominum, etiam impiorum. Alii verò meliùs tantùm electorum, quia de ſola reſurrectione, quæ bonis promittitur & ab iis expectatur, agit hoc capite, & reſurrectionem glorioſam à Chriſti exemplo deſcribit, non eam quæ malis communis eſt, ùt *Rom.* 8. Et conformitas exigit, ut omnia membra participent de vita & gloria capitis & conformitatem imaginis filii Dei ſolis promittit iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. *Rom.* 8.

℣. 13. *Si autem reſurrectio mortuorum non eſt: neque Chriſtus reſurrexit.*

Propterea (inquit) reſurrexit ut univerſalem ſtatueret reſurrectionem: quòd *ſi reſurrectio non eſt*, certè *neque* ipſe *reſurrexit*. Nam carnem, niſi reſurrecturus fuiſſet, numquam aſſumpſiſſet: ex *Chryſ.*

℣. 14. *Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergò prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra:*

Non dixit, non eſt incarnatus, ſed *non reſurrexit*: oſtendens etiam incarnationem reſurrectioni conjunctam eſſe; & ob idipſum incarnatum eſſe, ut reſurrectionem confirmaret, ait *Oecum.* Porrò *inanis prædicatio & fides*, vel quia falſa & veritatis vacua; vel quia inutilis ac ſi dixiſſet: Omnia perierunt & vana facta ſunt, tam prædicatio noſtra, quàm fides veſtra ſi Chriſtus non reſurrexit. Nam ſublato articulo reſurrectionis Chriſti tota ſpes quam in Chriſto habemus, concidit, & tota Evangelii œconomia, ait *Chryſ.*

℣. 15. *Invenimur autem & falſi teſtes Dei: quoniam teſtimonium diximus adversùs Deum, quòd ſuſcitaverit Chriſtum, quem non ſuſcitavit, ſi mortui non reſurgunt.*

Hic duo notantur abſurda: dedecus Apoſtolorum, & injuria Dei. Si Chriſtus non reſurrexit, deprehendimur *falſi teſtes Dei*: nam teſtes Dei ſunt, quorum eſt veritatem Dei nunciare hominibus: falſi teſtes qui pro veritate Dei falſa prædicant: Et qui falſum aliquid anunciat, tanquam Dei verbum; facit Deum mendacem, ùt qui falſas revelationes & falſa miracula pro veris evulgant, ùt *Job.* 13. & *Jerem.* 28.

℣. 16. *Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit.*

Repetitio eſt argumenti ſuperioris ducentis ad abſurdum; indecens enim eſt caput reſurgere ſinè membris.

℣. 17. *Quòd ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adbuc enim eſtis in peccatis veſtris.*

Nam ſi ipſe quoque detentus eſt à morte, quomodo cæteros liberavit à morte, quæ propter peccatum Chriſti morte deletum eſt: Nam ſi deletum eſſet, utique mors etiam quæ per ipſum erat, extincta eſſet: quòd ſi hoc factum eſſet, oportuiſſet omninò eum qui alios à morte liberaret, primùm reſurrexiſſe, & aliis ducem fieri ad reſurrectionem, ait *Oecum.* Vel adhuc *eſtis in peccatis* quoad reatum mortis æternæ, id eſt, nondum accepiſtis remiſſionem peccatorum, quam fides promittit, nondum eſtis juſtificati, cum in fide reſurrectionis Chriſti ſita ſit. *Rom.* 4.

℣. 18. *Ergò & qui dormierunt in Chriſto, perierunt.*

Si (inquit) qui in Chriſtum crediderunt, adhuc ſunt in peccatis ſuis, nec ab iis per fidem liberati: igitur & qui mortui ſunt in fide Chriſti cum ſpe ſalutis *perierunt*, fide & ſpe ſuâ fruſtrati, utpote in peccatis mortui. Per nomen dormitionis reſurrectionem inſinuat: quæ conſideratio auget abſurdum, ſcilicet eos periiſſe, quos vocamus dormientes. Maximè de his dicit, qui pro Chriſto ſunt mortui: ſinè cauſa enim hanc vitam perdiderunt, ſi aliam non habebunt, ùt ait *Hieron.*

℣. 19 *Si in hac vitæ tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.*

Id eſt, ſi tantùm pro hac vita ſperamus in *Chriſto* non ſperantes aliam, miſerabiles ſumus, qui pro Chriſto uſque adeò affligi, & mori ſuſtinemus, nihil ab eo præmii poſt mortem, nullam poſt hanc beatiorem vitam exſpectantes. Illi enim vel in præſenti gloriantur: ex *Hier.*

℣ 20. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium,*

Quòd ſi *primitiæ* reſurrectionis fuit Jeſus Chriſtus, manifeſtum eſt, quòd cum eo etiam cæteri reſurgent. Primitiæ enim dicuntur primi fructus è terra percepti ac Deo offerendi: Cùm ergo primitiæ referantur ad ea quorum Primitiæ ſunt: conſequitur & alios mortuos à terra ſurrecturos eſſe. Primus, inquam tempore, quia ad immortalem vitam nullus ante eum ſurrexit, ùt diximus in Manuali in *Matth.* 27. Primus etiam dignitate, quia præſtantiſſimus & optimus omnium, ùt ſolent primitiæ meliores eſſe reliquo fructu. *Dormientes* autem in Chriſto hic

intellige mortuos, qui in ſpe reſurrectionis quieſcunt, id eſt, ſolos juſtos atque electos qui membra ſunt Chriſti, ex *S. Thom.* (quamvis *Ambroſ. lib. de fide* extendat ad omnes dormientes:) ſic dicitur primogenitus mortuorum, *Col.* 1. & *Apoc.* 1. Non eſt autem primogenitus niſi reſpectu fratrum ex eodem patre per adoptionem genitorum, *Rom.* 8. Quare nec primitiarum nomen ei competit, niſi reſpectu eorum qui fructuum appellationem merentur, id eſt, ſequentium Chriſtum: ex *Oecum* ſuper *Eph.* 1. Nam malos Scriptura paleas appellat, zizania & ſpinas & tribulos, *Matth.* 3. & 13. & *Hebr.* 6.

℣. 21. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.*

Nam quia *per* unum quendam *hominem mors* invecta fuit in genus humanum, conſentaneum eſt ut *& mortuorum reſurrectio per* unum quendam *hominem* introducatur. Qui proinde unus homo reſurgens à morte primitiæ dormientium ad reſurrectionem factus eſt, & quidem ad vitam beatam, de qua agitur 2. *Mach.* c. 7. ℣. 9. & 14. & *Joan.* c. 5. ℣. 29. & c. 6. ℣. 39. & *Luc.* c. 20. ℣. 35. & 36. & *Auguſt. Epiſt. ad Hilar.* 89. q. 3.

℣. 22. *Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.*

Interpretatur quod dictum eſt verſu præcedenti, quemadmodum per hominem (inquit) mors ingreſſa eſt, ita oportebat & reſurrectionem per hominem introduci: Vel *ſicut in Adam moriuntur omnes* qui ſunt Adæ, id eſt, omnes homines: *ita per Chriſtum vivificabuntur omnes* qui ſunt Chriſti, id eſt, omnes electi *vivificabuntur*, id eſt, excitabuntur ad vitam beatam, ut *Rom.* 5. ex *Hier.*

℣. 23. *Unuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus: deinde ii, qui ſunt Chriſti, qui in adventu ejus crediderunt.*

In ſuo ordine, ſubaudi *vivificabitur*. Et ordinem intellige dignitatis ac meritorum, ex *Tertull. lib. de reſur.* c. 48; non temporis, ùt vult *Cajet. Primitiæ Chriſtus*, hoc eſt, ante omnes in Chriſto vivificandos, ipſe *Chriſtus* tanquam *primitiæ* dormientium, ideòque primus dignitate, jam vivificatus eſt: *Deinde* vivificabuntur *ii qui ad Chriſtum pertinent*, id eſt, electi, quique *adventum* ejus ſecundum & glorioſum *crediderunt*, & credendo expectarunt: vivificabuntur, inquam tempore & dignitate Chriſto poſteriores, & ipſorum unuſquiſque in ordine ſuo, ſic Latini. Græci ſecùs habent, nimirùm reſurgent in adventum ejus, qui ad eum ſpectant. Vel reſurgent *qui erunt Chriſti, in adventu ejus* ad judicium venientes, id eſt, reſurgent juſti ad differentiam eorum, *qui ſunt Chriſti* in hac vita, ſcilicet profeſſione Chriſtianâ, non operum veritate: ita *Cajet.* Vel unuſquiſque in ordine ſuo vivificabitur in adventu Chriſti, id eſt, Chriſto ad judicium veniente.

℣. 24. *Deindè finis: cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem.*

Id eſt, poſt reſurrectionem eorum *qui Chriſti ſunt*, mox *finem*, id eſt, conſummationem fore omnium rerum; eo quòd nulla ſit ampliùs in expectatione futura rerum mutatio, nimirùm peracto judicio. Vel finem hominis, id eſt, perfectam felicitatem, quâ deinceps & in æternum homo fruetur. *Regnum* Eccleſia ejus eſt,

ùt *Luc.* 19. ℣. 12., quam acquiſivit ſanguine ſuo, ùt *Act.* 20. ℣. 28. & *Apoc.* 5. ℣. 10. Igitur *iis qui Chriſti ſunt*, id eſt, electis omnibus ad vitam revocatis, in quibus ſolis tunc Eccleſia conſiſtet, hoc ipſum *regnum* ſuum *tradet* Chriſtus *Deo & Patri*, non quòd ipſe tunc non ſit ampliùs regnaturus, *Luc.* 1 ℣, 32. & 33.; ſed quia perfectè regno ſuo potitus (quod futurum eſt poſt omnium reſurrectionem ſubactis penitùs adverſariis, ita ut regno ejus nulla jam hoſtilitas poſſit vel minimùm nocere) non ſibi victoriam de tot tantiſque hoſtibus debellatis attribuet homo ille, nec ingentem illam & ineffabilem gloriam ſui regni jam omni ex parte pacati, ſibi vendicabit: ùt ferè ſolent Reges terræ, ùt unus *Dan.* 4. ℣. 27. fecit. Non ita Chriſtus Dominus noſter Rex; ſed *tradet regnum Deo & Patri*, id eſt, cum ſubjectione, & gratiarum actione glorioſum illud regnum ſuum Deo Patri ſuo offeret, profitens univerſam regni ſui gloriam illi authori ſe acceptam referre, eamque profeſſionem ſuam omnibus tam angelis, quàm hominibus, nec electis modò, ſed etiam reprobis faciet manifeſtam; ut omnes agnoſcant potentiam & gloriam eſſe ſolius Dei: denique ad eum ùt principium, & in eum ùt finem omnia eſſe conferenda, *ut ſit Deus omnia in omnibus*; hunc ſenſum ſequitur *Ambroſ.* & *Cajet.* Vel *cùm tradiderit regnum Deo & Patri*, id eſt, cùm perduxerit ſuos, in quibus nunc ex fide viventibus regnat, ad contemplationem Dei & Patris: non quòd in ea congregatione electorum non regnet Deus; dicente Chriſto, *regnum Dei intra vos eſt*; ſed quòd nonnihil adhuc in eam dominetur Diabolus & peccatum. *Cyril.* & *Photius* interpretantur tradere Regnum Patri, pro eo quòd eſt electorum Eccleſiam ab omni perturbatione & afflictione li-

beram, & à dæmonum inſidiis & inſultibus tutam Patri reddere: quod indicant ſequentia, *cùm evacuaverit*, id eſt, aboleverit, enervaverit *omnem principatum & poteſtatem*, ſcilicet dæmonum poteſtatem & tyrannidem, quam exercent adversùs fideles. Vel ſenſus eſt. Deus Pater, miſſo in mundum Filio, ſuam illi regendam Eccleſiam tradidit à qua etiam aſſumptus in Cœlum non abeſt, ipſo dicente: *Ego vobiſcum ſumuſque ad conſummationem ſæculi*: quinimò inſtar boni Regis ob omni eam adverſariorum impugnatione defendit, quo defenſore ipſi Eccleſiæ opus eſt, quandiu hìc adversùs tot hoſtes dimicat. Cùm autem generalis reſurrectio fuerit, nullum jam ab hoſtibus periculum erit Eccleſiæ, neque defenſore opus: & tunc Chriſtus demandatum ſuæ cuſtodiæ Regnum Eccleſiæ Patri reddet, non jam regnans ſuper eam: quæ (ùt inquit *Baſilius*) perpurgata ab omni macula, tuta in Deum rapietur, nec jam illi mandato opus erit, ut jam imperium in illam exercere deſinat: neque cùm Patri regnum tradidit Eccleſiæ, à ſeſe illud abdicat; ſicut cùm à Patre accepit, non illi abſtulit: ex *Hilar*. l. 11. *de Trin. & Gaig*. Sunt qui per *principatum* &c. intelligunt omnes magiſtratus qui modò conſtituti ſunt ad regimen humani generis, ſupremos, medios, infirmos, tam Angelicos quàm Eccleſiaſticos. Nam poſt omnium reſurrectionem hujuſmodi præfecturis jam non erit opus: licèt enim remanſuri ſint (ùt docet S. Thomas) ordines Angelorum diſtincti quantùm ad eminentiam gloriæ quâ alii aliis præcellunt: non tamen quantùm ad executionem poteſtatis, aut officii circa homines: *ita Cajet. & Lyr.*

℣. 25. *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus.*

Neceſſe eſt enim ob undique inſtantes hoſtes Eccleſiæ ſuæ regimen & curam Chriſtum ſuſcipere; nam electos propter fragilitatem carnis labi & vinci contingit: unde imperatore illis opus eſt Chriſto, *donec omnes inimicos* Eccleſiæ ſuæ ſibi ſubjecerit. *Regnare oportet*, dicunt Græci, hoc eſt, quæ imperatoris, & regis ſunt, præſtare, vigilare, hoſtes debellare, *donec ponat*, &c. ubi illud *donec* non indicat finem imperii Chriſti futurum ſubjectis inimicis, ſed tunc magis imperaturum, quia *uſque* & *donec*, ùt aiunt, nequaquam hìc ponuntur ùt terminus temporis, ſed pro ſemper, ut eo loco *vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*, non quòd nobiſcum eſſe deſinat, qui meliori modo tunc adfuturus eſt. Et illud *ſede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, non quòd poſteà non ſit ſeſſurus is qui ſedebit & regnabit in domo Jacob in æternum; & *Iſa*. c. 22. ℣. 14. *Matth*. c. 1. ℣. 25. & c. 18. ℣ 30. Pſalm. 111. ℣. 8. Regnat quidem Chriſtus pugnans & vincens, poſteà verò regnabit perfectiſſimè triumphans. Dixit *oportet illum regnare*, vel propter æternum & immutabile Dei decretum, quo regnum hoc Chriſti, & ordo moduſque regnandi prædeſtinatus eſt: vel quòd neceſſe ſit impleri Scripturam propheticam, quam tacitè allegat. *Inimicos* intelligit omnes homines etiam electos, quia hi ponendi ſub pedibus Chriſti, quatenùs per fidem & obedientiam ei ſubjicientur, ex inimicis in amicos converſi: vel meliùs adverſarias poteſtates, dominationes, & virtutes: itemque homines reprobos, qui ſunt ex parte

diaboli, ſumptâ metaphorâ ab hoſtibus devictis qui ſubjiciuntur inviti. De electis verò dicit *Epheſ.* 2. quòd Deus eos *conſedere faciet Chriſto in cœleſtibus*, ùt amicos & filios, & regni conſortes, ùt 2. *Tim.* 2.

℣. 26. *Noviſſima autem inimica deſtruetur mors: omnia enim ſubjecit ſub pedibus ejus. Cùm autem dicat:*

Oſtendit hâc parte cæteris inimicis ſubactis etiam mortem abolitam iri extremo loco: id autem fiet per beatam omnium electorum à morte ſuſcitationem, ex quo probat *Paulus* mortuorum reſurrectionem: quia non dæmones ſolùm & peccatum, fomeſque peccati ſunt hoſtes illius regni, ſed etiam *mors ipſa*, quæ pœna peccati eſt. Hæc autem in electis non *deſtruitur* niſi vitâ, quam mors ultrà auferre non poſſit. Conſequens igitur eſt, eos à morte revocandos ad vitam, eamque immortalem. In reprobis non ita, non enim reſurrectio erit illorum à morte liberatio, ſed ad ſtatum morte deteriorem tranſlatio. *Omnia enim ſubjecit*, &c. id eſt, omnium illi poteſtatem dedit. *Nunc autem necdum videmus omnia ſubjecta ei*, ùt ait *Hebr.* 2.; ſed id tantùm futurum eſt. Nam electi quidem omnes ei ſubjicientur per obedientiam & juſtitiam perfectam. Hæc enim ſubjectio convenit amicis Dei. Reprobi verò tam dæmones, quàm homines; intelliguntur Chriſto ſubjiciendi, tum quia regno Chriſti, regnique ejus conſortibus, ùt erunt omnes electi, nihil ampliùs incommodi inferre poterunt, ablatâ penitùs ab eis omni poteſtate nocendi: tum quia meritas hoſtilitatis ſuæ pœnas luent, à quibus nemo poterit eos eripere. In his enim duobus conſiſtit inimicorum perfecta ſubjectio. Nec verò ſolos Angelos & homines complexus eſt hoc univer-

ſali ſigno *omnia*: ſed & alia quæcumque, quatenùs vel ſerviunt Eccleſiæ, id eſt, regno Chriſti, vel ei adverſantur: ùt ſunt peccatum, mors, & tota creatura. Horum enim unumquodque ſuo modo, ſuoque tempore Chriſto ſubjicietur.

℣. 27. *Omnia ſubjecta ſunt ei, ſinè dubio præter eum, qui ſubjecit ei omnia.*

Cùm autem dicat: ſcilicet ſcriptura *Pſalmo* 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*: id *ſinè dubio* eſt, ſeu intelligitur *præter eum*, id eſt Deum Patrem; nam ſtatim poſteà Filium nominat: Græci putant hoc additum, ne quis Gentilium ſuſpicaretur Chriſtum etiam Patrem ſibi ſubjecturum, quomodo Jupiter olim, ſecundùm Græcas fabulas Saturnum Patrem ſubegit, regnoque exuit. Alii, ut intelligatur, Patrem nullam conditionem aſſumpſiſſe, quâ debeat eſſe ſubjectus. Vel ut ſignificetur univerſalis ſubjectio omnium ſub Chriſto, dum ſolus excipitur Pater (qui comprehendi non poterat) cognoſcamus omnia cætera ſinè exceptione Chriſto fore ſubjecta, & proinde benè concludi, quòd etiam mors ipſa tandem ei ſubjicienda ſit, & ab eo deſtruenda, per univerſalem electorum reſuſcitationem, ùt *Heb.* 2.

℣. 28. *Cùm autem ſubjecta fuerint illi omnia: tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.*

Quaſi dicat, non Pater Filio, ſed Filius Patri ſubjicietur, id eſt, ſecundùm humanitatem ſubjectus erit Patri, non quòd anteà non eſſet: Et ideò interpretatur *Photius*, manifeſtabitur reverà Patri ſubjectus & obediens, cujus voluntatem impleverit, cùm Eccleſiæ regnum ab

omni tyrannide & ſeditione liberum reddiderit. Quidam interpretantur *ſubjectus* in ſuis membris, ſcilicet electis, quibus tunc planè dominabitur. Alii his verbis velut per hyperbolen volunt oſtendi magnam Filii cum Patre concordiam, & quòd is eſt principium bonorum, & cauſa prima, qui tam multa poteſt, ùt *Chryſ.* Sed prima explicatio planior & textui conformior eſt. *Ut ſit Deus. Ut* eventum dicit, atque ita erit *Deus omnia in omnibus*, hoc eſt omnem ac plenam in omnia ditionem habens. Vel ut ſit *in omnibus*, ſcilicet electis, *omnia*, id eſt, pro vita, & rebus omnibus vel ùt in omnibus laudetur & glorificetur ſolus Deus. Vel ut palàm fiat omnibus, Deum eſſe principem etiam Chriſti hominis & authorem omnium bonorum, tam ipſius, quàm totius regni ejus, quod eſt Eccleſia, quæ tunc omnibus & ſolis conſtabit electis. Quod etſi de Deo Patre dicatur, tamen ad totam Trinitatem pertinet. Nam Chriſtus homo non tantùm Patri, ſed & Spiritui ſancto & ſibi ipſi, ùt Verbo ſubjectus eſt, eſt enim etiam ſeipſo minor juxta naturam aſſumptam, ùt *Philip.* 2. ex *Beda.*

℣. 29. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omninò mortui non reſurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis?*

Ad ſermonem de reſurrectione redit demonſtratâ reſurrectione mortuorum ex Chriſti reſurrectione & regno: & ſubnectit ad idem probandum alia argumenta, quorum iſtud ſumitur ab exemplo eorum, *qui baptizantur pro mortuis:* quod utique non facerent, ſi mortuos non ſperarent aliquando reſuſcitandos ad vitam. Quia (inquit *Chryſoſtomus*) in primativa Eccleſia recitabant baptizandi ſymbolum inte-

grum, in quo eſt hic articulus, *credo reſurrectionem mortuorum*, cum qua ſpe reſurgendi à mortuis baptizabantur haud quaquam baptizandi ac veterem vitam immutaturi, niſi ad immortalem ſe reſurrecturos ſperarent. Et hoc eſt quod *Paulus* vocat *baptizari pro mortuis*. Vel quia docebat fideles baptizari nihil aliud eſſe, quàm in ſpiritu & aqua Chriſto commori & conſepeliri, ut conſepulti cum eo reſurgerent, ſiquidem per imitationem mortis illius coinſiti in illum ſint, *Rom.* 6. Ideò (inquit) quid faciunt, qui baptizantur, id eſt, veteri homini & priſtinis deliciis moriuntur in Chriſto, illique conſepeliuntur. *Pro mortuis*, id eſt, pro ſpe quam habent reſurgendi à mortuis. Vel baptiſmus pro afflictione ſumitur, ut *Marc.* 10. & ſic ſenſus eſt. Quid facient qui baptizantur, id eſt, affliguntur *pro mortuis*, id eſt, vel pro ſpe mortuorum. atque ad vitam non incertam reſurgendi: vel *pro mortuis*, id eſt, pro aſſerta mortuorum reſurrectione, pro qua morti ſe exponere non dubitabant martyres. Et hoc conjicitur ex verbis *ut quid periclitamur? quotidie morior, ad beſtias pugnavi*, &c. Vel quem fructum referent qui baptizantur jam jam morituri & per hoc profitentur ſe baptizari propter ſtatum futurum poſt hanc vitam: ex *Tertul.* qui *clinici* dicebantur, quaſi dicas lectularii, de quibus à baptiſmo non repellendis extant canones ex *Epiph.* Hæc explicatio præplacet *Eſtio*. *Ut quid & baptizantur pro illis?* Græcè & Syriacè, *pro mortuis*. Quæ verba repetitio ſunt præcedentis, & eatenùs majorem vehementiam ſignificant: & ſenſus eſt. Quorſum quæſo etiam pro ſtatu futuro poſt mortem baptizantur, ſi à morte non eſt reditus ad vitam? ex *Hieron.*

℣. 30. *Ut quid & nos periclitamur omni horâ?*

Quorſum & nos Apoſtoli causâ Evangelii verſamur in quotidianis & continuis ærumnis & vitæ periculis, ſi non eſt mortuorum reſurrectio?

℣. 31. *Quotidie morior per veſtram gloriam, fratres, quam habeo in Chriſto Jeſu domino noſtro.*

Per, vel propter *veſtram gloriam*, vel propter gloriam promiſſam à Domino. *Auguſtinus* legit *per gloriam*, & ex eo loco probat Apoſtolum juraſſe, & proinde juramentum non eſſe Chriſtianis ſimpliciter & universè prohibitum, ùt Pelagius volebat: & in re tanti momenti quam perſuadere volebat: q. d. Quotidianas mortes patior, ita juro per gloriam ſeu gloriationem, quâ de vobis per Chriſtum glorior, tanquam meis in Chriſto filiis, ùt *Rom.* 3. ùt & Jacob per timorem ſeu reverentiam patris ſui Iſaac juravit, *Gen.* 31. *Hier.* putat hic non eſſe juramentum.

℣. 32. *Si (ſecundùm hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.*

Si ſecundùm hominem, id eſt. Si propter hominum gloriam & non ob ſpem futuræ reſurrectionis & retributionis *ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt?* Porrò notandum Græcos, excepto Theodorito, verba ſequentia *ſi mortui non reſurgunt*, connectere cum ſequentibus *manducemus, & bibamus*. Beſtias vocat Demetrium argentarium & Judæos Epheſi habitantes, nihil prope à beſtiis differentes.

Hujus preſſuræ *Lucas* non meminit in *Actis* ex *Baron*. Sunt qui referunt ad Aſiaticam preſſuram, de qua 2. *ad Cor.* 11. Alii dicunt *Paulum Epheſi* objectum eſſe beſtiis. Et ſenſus eſt, ut Photius exponit. Si *ſecundùm hominem* eſt poſſibile, uſque ad extremum ſpiritum more beſtiarum pugnavi pro defenſione Evangelii, *quid mihi prodeſt*? Vel *ſecundùm hominem*, id eſt, ſi humanæ vitæ reſpectu, ſolumque in hoc mundo præmium expectans tanta paſſus ſum? Vel *ſecundùm hominem*, id eſt, rationabiliter agens, quia hominis eſt credere, non mori hominem beſtiarum more: ita *S. Thom.* Vel ùt mos eſt hominum dicere. Nam qui patiuntur malos homines vehementer infeſtos, pugnare cum beſtiis dicuntur. Vel locus exponendus cum parentheſi ſic. Quod (ut hominum more loquar, qui libenter commemorare ſolent pugnas ſuas, pericula, è quibus glorioſè evaſerunt) cum adverſariis meis velut cum feris congreſſus depugnavi Epheſi, & impetum eorum ſuſtinui: *quid mihi prodeſt*? Græcè *quæ mihi utilitas*, ſcilicet ex ea pugna, preſſura & tolerantia, ſi non eſt mortuorum reſurrectio? Nam, ùt ait *Tertul.* per martyria & paſſiones corporales pro Chriſto ſuſceptas ipſa corpora conſecrantur beatæ reſurrectioni, quemadmodùm per alimoniam corporis & ſanguinis Domini etiam corpora noſtra ſpem accipiunt immortalitatis, ex Patrum ſententia. *Si mortui non reſurgunt*, nec erit retributio bonorum & malorum: *manducemus & bibamus*, id eſt, oportet edere & bibere priùs, ùt Epicurei, quàm mors nos præoccupet: quando hæc ſola lucrifacimus. Hoc verbum eſt incipientiam objurgantis eorum, qui vel in corde dicunt non eſſe reſurrectionem, ùt *Iſa.* 22. ex *Oecumen.*

℣. 33. Nolite ſeduci: corrumpunt mores bonos colloquia mala.

Abſolutis rationibus quæ ad abſurdum deducebant, venit ad admonitionem: clam etiam tamquam incipientes redarguens: nam hoc indicat, ne ſeducamini. *Corrumpunt bonos mores* conſortia mala. Græcè, confabulationes peſſimæ, ex Menandro. Unde non eſt vitio vertendum, ſi concionatores ſententias inſerant ex authoribus profanis: ex *Hier. Ep.* 8. & *S. Thoma.* Et notat Corinthios qui ratiunculis ex Philoſophia petitis fidem reſurrectionis apud fideles in privatis colloquiis labefactare tentabant.

℣. 34. Evigilate juſti, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor.

Evigilate, id eſt. Expergiſcimini à peccato, ut juſti ſitis. Vel ùt Græci, ſobrii eſtote, ut dum quis ebrietate digeſtâ è ſomno expergiſcitur, ſobrietati redditus; id eſt, ab erroris & voluptatum ebrietate experrecti, jam ſapite, & ad ea quæ juſta & recta ſunt animum applicate. Significat aliquos jam ſeductos pravis colloquiis, quos ad ſanam & ſobriam mentem revocat, dicens eos qui perditè vivunt, facilè ſibi perſuadere, non eſſe futurum quod ſperant, id eſt, reſurrectionem juſtorum, ùt 1. *Tim.* 1. & 2. *Tim.* 2.; ut ne cogitent quidem de Deo, ùt *Tit.* 1.; vel virtutem Dei, ùt Sadducæi negantes reſurrectionem; vel Dei juſtitiam, ùt *Rom* 10. *Ad reverentiam*, Græcè *Ad pudorem vobis loquor*, non quòd vos deſpiciam, ſed quòd pudefacti, incredulitatem de reſurrectione abjiciatis: ex *Chryſ.*

℣. 35. *Sed dicit aliquis : quomodo reſurgunt mortui? Qualive corpore venient?*

Non ait vos dicitis, ut ſermo invidiâ careat, tanquam alii eſſent qui crederent. Deinde duo quæ eis dubia videbantur quaſi factâ objectione ſolvit. Dubitabant enim quomodo ſuſcitaretur corpus, quod ſemel diſſolutum erat: & quali corpore reſuſcitarentur, utrùm hoc eodem, an alio quodam. Hæc itaque diſſolvit per exemplum grani.

℣. 36. *Inſipiens, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi priùs moriatur.*

Stulte, ùt qui carnaliter de myſterio reſurrectionis cogitas, neque ſenſum tuum humanum ſubjicis ſapientiæ divinæ, & ideò tardus es ad credendum: diſce ex rebus tibi per experientiam notis aſſurgere ad capiendum ea, quæ tibi credenda proponuntur. Nam id, *quod tu ſeminas*, id eſt, ſemen quod in terram projicis, non fit corpus vivens; quale naſciturum è terra ſperatur, niſi priùs obrutum terrâ computruerit, & quaſi mortuum fuerit. Nam putrefactio rei, licèt inanimatæ, mors quædam ejus eſt, ùt *Joan.* 12. Conſidera, quomodo ſermonem in contrarium vertat: illis enim dubium videbatur, quomodo poſt mortem excitaremur, ipſe verò è diverſo, ob id, inquit, excitamur, quia morimur, ùt notat *Chryſ.*

℣. 37. *Et quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, utputa tritici, aut alicujus ceterorum.*

Si ergo & *quod tu ſeminas*, & ſepulchro quodammodo occultas ac mortificas, Deus reſuſcitat, & dat ſuum corpus, cùm jam putrefactum eſſet ac diſſolutum, & eâ quidem,

quâ voluit qualitate & modo, nempe decentius & pulchrius: naſcetur enim granum, herbâ & ariſtis ornatum & veſtitum; nonne ergo illud, quod ipſemet propriâ ſententiâ in terra & Sepulchrum juſſit reponi & mori, faciliùs ipſi erit rurſum vivificare ac reſuſcitare, cùm voluerit ac decreverit, ſic ut quod ſeminatum eſt mortale, reſurgat veſtitum immortalitate & gloriâ ex *Chryſ.*

℣. 83. *Deus autem dat illi corpus ſicut vult: & unicuique ſeminum proprium corpus.*

Si ergo Deus det corpus, quid adhuc curioſè ſcrutaris, quali corpore ſuſcitemur? Ac de reſurrectione diffidis? Nam Deus corpus, quod diſſolutum eſt, ſuſcitat: ſed decentius, ſed ſpiritualius: ſiquidem in ſeminibus idem eſt invenire quorum corpus decentiùs ſurgit, quàm projectum erat: *Et unicuique ſeminum ſuum corpus.* Hoc hæreticorum obturat ora dicentium non ſuſcitari idem corpus in reſurrectione, ſed aliud: ait *Occum.* poſt *Chryſ.*

℣. 39. *Non omnis caro, eadem caro: ſed alia quidem hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autèm piſcium.*

Sentit Apoſtolus, ſicut diverſorum animantium diverſa caro eſt, ita diverſorum hominum fore diverſa in reſurrectione corpora quoad gradus gloriæ reſpondentes gradibus meritorum. Diverſitatem reſurgentium hìc ſignificatam Græci quidam ad malos extendunt: ut per homines intelligantur boni qui ſecundùm rationem vivunt, per pecora verò luxurioſi, per volucres ſuperbi, per piſces avari. Vel differentiam quoque futuram inter ipſos peccatores in ſuppliciis, ait *Occum.*

℣. 40. *Et corpora cæleſtia, & corpora terreſtria: ſed alia quidem cæleſtium gloria, alia autem terreſtrium:*

Cæleſtia ùt ſol, luna, ſtellæ: *terreſtria* verò ùt arbores quæ tamen omnia ſuam ac propriam habent formam, pulchritudinem, & quaſi gloriam. Et ne quis ſuſpicetur Apoſtolum meminiſſe corporum terreſtrium, quòd per ea ſignificare voluerit rediviva corpora reproborum; tribuit etiam illis gloriam etſi multò minorem gloriâ cœleſtium. Id verò conſtat ad reproborum corpora accommodari non poſſe. Facit hoc etiam ad conſolationem imperfectorum, ne dum vident ſe longè poſitos infra perfectos tanquam cœleſtes, deſperent beatam reſurrectionem. Eſt enim & terreſtrium gloria. Tantùm ergo ſignificat pro meritorum diverſitate, quæ inter bonos fideles maxima eſt, permagnam quoque futuram in corporibus reſurgentium gloriæ diverſitatem. Velut ſi gloriam cœleſtium corporum conferas cum gloria terreſtrium, cœleſtia ſunt contemplativi, ùt Maria vel Chriſtiani: terreſtria activi, ùt Martha vel Judæi, vel peccatores: ex *Chryſ.* & *S. Thom.*

℣. 41. *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate:*

Claritatem hìc vertit interpres, quam verſu præcedenti dixit gloriam; cùm græcè ſemper idem ſit vocabulum δόξα *gloria*. Et ſenſus eſt. Inter ipſa cœleſtia corpora magna eſt gloriæ differentia. Nam ſolis lumen multis partibus excellentius eſt lumine lunæ, & ſtellarum; quæ & ipſæ inter ſe differunt *in claritate*. Gloriam ſolis, lunæ, & ſtellarum pulchrè deſcribit *Eccleſiaſticus* cap. 43. Apoſtolus gloriam lunæ præponit ſtellis, uti & Moyſes *Gen.* 1. fecit.

Per-

Per quæ omnia ſignificat inter electos etiam perfectiores, qui velut luminaria cœli ſanctitate vitæ fulſerunt in terris, magnam adhuc fore gloriæ diverſitatem, pro diverſitate meritorum hujus vitæ. Porrò *Tertull.* hanc à cæleſtibus ſimilitudinem ad electos refert intelligendo per ſolem Chriſtum, per lunam Eccleſiam, per ſtellas ſemen Abrahæ. *S.Thom.* per ſolem Chriſtum, per Lunam B. Virginem Mariam, per ſtellas reliquum Electorum cætum. Aliter gloſſator, qui commentarium ambroſianum ſecutus, ſolis claritati comparat eos qui centeſimum numerum habent, lunari claritati qui ſexageſimum, ſtellis verò qui trigeſimum quæſierunt. Ad hæc alludit *S. Aug. ſerm.* 4. *de verbis Domini* dicens, *aliter ibi lucebit virginitas, aliter caſtitas conjugalis, aliter ſancta viduitas.*

℣. 42. *Sic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione.*

Sicut unicuique ſeminum datur proprium corpus: ſicut aliorum animalium alia caro eſt, & aliorum corporum alia gloria: ſic & reſurgentium corpora quibuſdam gloriæ gradibus diſſerent inter ſe juxta differentiam meritorum. Quod ſi in corporibus, futurum certè & in animabus, & in toto homine, ut ſignificatur *Joan.* 14. ℣. 2. Jam deinceps oſtendit quas dotes communiter habitura ſint reſurgentium corpora ad vitam æternam. *Seminatur*, id eſt, moritur corpus corruptibile: *reſurget* incorruptibile, ſic ut mori non poſſit ampliùs, nec pati, ex *S. Thom.*

℣. 43. *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute:*

Id eſt, moritur corpus multis ante mortem miſeriis & fœditatibus obnoxium: ſuſcitabitur

idem omni ex parte glorioſum, ubi dotem claritatis ſignificat: ex *S. Thoma*. Moritur corpus ſubjectum infirmitatibus: reſurget autem valentiſſimum, id eſt, in quo ſit vigor omnium potentiarum atque membrorum, in quo ſignificat dotem agilitatis ex *S. Thom.*

℣. 44. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. Si eſt corpus animale, eſt & ſpirituale, ſicut ſcriptum eſt.*

Animale corpus dicitur ab animæ facultate ſenſitiva & vegetativa, quarum actionibus hic dum vivimus corpus indiget, poſt mortem autem jam illi non erit opus, quia *ſpirituale* erit, id eſt, incorruptibile, & jam non alimento indigens: & ideò corpus noſtrum quod hic eſt animale & corruptibile ſeminatur in terram ut ſurgat *ſpirituale*. Photius corpus *animale* idem eſſe putat quod mortale, id eſt, iræ, triſtitiæ, eſuriëi, ſiti & cæteris animæ corporiſque affectionibus obnoxium: *ſpirituale* autem, immortale & nullis jam ſubjectum terrenis affectionibus: vel cui ſpiritus ita dominatur, ut ei ad perpetuam vitam & omnem actionem ſolus ſufficiat abſque ulla alimenti neceſſitate: accommodatur hoc ad dotem ſubtilitatis à *S. Thom.* qui ait ex hac dote non id conſecuturum corpus glorioſum, ut alia corpora poſſit penetrare: ſed id ei competet ex virtute divinitatis in eo exiſtentis. Quomodo nec Chriſti corpus eam vim habuit ex gloria reſurrectionis, ſed ex virtute divinitatis ſibi unitæ: ex *S.Thom.*

℣. 45. *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem.*

Sicut *primus Adam* terrenus, ſecundus autem Adam Chriſtus cœleſtis: ita nos terrenum

corpus habentes in reſurrectione cœleſte habituri ſumus, ſiquidem cœleſtis Adæ imaginem, id eſt, Chriſti gratiam nobiſcum portaverimus. *Animam viventem* vocat, quâ corpus vivit vitâ vegetativâ, quod ideò neceſſe ſit alimentis foveri & conſervari in vita, alioqui moriturum; & hoc eſt corpus animale, etiam tempore innocentiæ, quia ſic conditus erat homo ut mori poſſet, ac moreretur ſi peccaret: ex *Aug. Enchir.* c. 19. *de civit. lib.* 13. cap. 20. 23. & 24. *Noviſſimus* autem *Adam* dicitur Chriſtus, quia tempore poſterior, & poſt eum nemo alius princeps in regeneratione ſpirituali & ſecundùm eſſe gratiæ & gloriæ. Nam & Deus vocatur non ſolùm primus, ſed & noviſſimus, *Apoc.* 1 & *ult. Spiritum vivificantem* intelligit Spiritum ſanctum, ùt *Rom.* 8. ℣. 11.; vel quia vitam corporibus, quæ reſuſcitaverit incorruptibilem tribuit: vel quia ab eo corpora reſuſcitata tanquam ipſo repleta omnem ſuam accipiunt operationem: ex *Chryſ. Theophyl.* & *Oecum.* & *Tert.* Quibus & aliæ ſcripturæ ſavere videntur, quæ vivificationem ſpiritui ſancto attribuunt, ùt *Job.* 33. *Joan.* 6. & 2. *Cor.* 3. Vel animam humanam quæ ſpiritus dicitur, vel quatenùs intellectualis eſt ordinis, & ſupernis communicat: ex *S. Thom.* Vel quia per ſe valet, ac ſufficiens eſt ad conſervandum, movendum & regendum corpus, ita ut alimentis corporalibus illi non ſit opus: ex *Aug.* & *Beda*, & *Hil. in Pſalm.* 67. ùt 1. *Pet.* 3. ℣. 18. *Factus* dicitur Chriſtus *in ſpiritum vivificantem*, quia factus eſt habens, id eſt, incepit habere ſpiritum vivificantem, non quidem quando conceptus eſt in utero, ùt volunt aliqui: Tunc enim *factus eſt* in animam viventem ad exemplum primi Adam, ex quo naſcebatur ſecundùm carnem. Sunt autem oppoſita ſecundùm Apoſtolum,

factum eſſe in animam viventem, & in ſpiritum vivificantem, ut oppoſita ſunt corpus animale, & corpus ſpirituale: ſic ut eidem ſimul competere nequeant. Sed talis factus eſt quando reſurrexit à mortuis. Nam tunc demùm incepit ſpiritus ejus abſque ſubſidio alimenti perpetuam vitam corpori ſubminiſtrare. Quamvis enim ſpiritus Chriſti ſemper beatus vitam hujuſmodi corpori ipſius præſtare potuerit ab initio quo conceptus eſt, non tamen ab initio præſtitit: ideòque nondum erat ſpiritus actu vivificans, donec id actu præſtaret. Et hunc ſenſum exigit conſequentia textûs, ùt notat *Eſtius*. Docet enim Apoſtolus, nos per reſurrectionem Chriſto futuros in eo ſimiles, ut & ipſi ſimus in ſpiritum vivificantem corpora ſpiritualia accepturi.

℣. 46. *Sed non priùs quod ſpiritale eſt, ſed quod animale: deinde quod ſpiritale.*

Id eſt, non corpus ſpirituale prius eſt tempore, ſed animale tam in Chriſto, quàm in nobis, ut poſteà fiat ſpirituale: ex *S. Thom.*

℣. 47. *Primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo de cælo, cæleſtis.*

Adfert rationem congruentiæ cur Adam factus ſit corpore animali, Chriſtus corpore ſpirituali: Nam quia *primus homo* de limo terræ formatus eſt, ideò conveniebat eum fieri *terrenum*, id eſt, habentem corpus quód mori poſſet & in terram reſolvi, adeòque neceſſariò moriturum, ſi externa ciborum ſubſidia deeſſent: ex *Aug. lib.* 13. *de civit.* c. 23. & 24. & *S. Thom.*, qui *terrenum* interpretantur animalem, alii mortalem, alii carnalem & terrena ſapientem, qualis non à Deo factus, ſed à ſeipſo per receſſum à Deo. Græci legunt, *ſecundus homo Dominus è cælo*, qui è cœlo eſt, id eſt,

cœleſtis dicitur: non quòd corpus è locis cœleſtibus attulerit, ùt Valentiniani & Anabaptiſtæ dicunt: ſed quia divino ac cœleſti miraculo conceptus eſt de Spiritu ſancto, & natus ex Virgine: vel meliùs propter originem cœleſtem: quia licèt corpus habeat è terra, veruſque ſit homo ex homine natus, idem ipſe tamen per unionem perſonalem humanæ naturæ cum divina, verè filius Dei eſt, ùt qui natus ſit à Patre cœleſti, id eſt, ex Deo, ùt *Joan.* c. 3. ℣. 13. & 31. & c. 6. ℣. 38. Generaliore autem ratione de cœlo eſt omne bonum quatenùs Deum habet authorem. Sic *Jac.* c. 1. teſtatur omne bonum eſſe *deſursùm*, *deſcendens à Patre luminum*. Et unus Martyrum, de de quibus 2. *Mach.* 7., proferens linguam & manus dicebat, *è cœlo iſta poſſideo.* Sed hic intellectus generalior eſt; & ideò præcedens præferendus eſt. Vel ſenſus eſt. *Secundus homo* Chriſtus Dominus qui de cœlo eſt, id eſt, divinam habens originem, utpote natus ex Deo per reſurrectionem, factus eſt etiam corpore *cœleſtis*, id eſt, qualitates ſuæ congruentes dignitati etiam ſecundùm corpus accepit, factus ſcilicet immortalis, impaſſibilis, & omni ex parte glorioſus: ex *Beda.*

℣. 48. *Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.*

Quæ de duobus hominibus dixit primo & ſecundo, nunc ad cæteros applicat, quorum illi ſunt principes, ex *Iren. lib.* 1. c. 1. *Qualis* fuit primus homo, nempe *terrenus*, *tales* & nos ſumus ejus poſteri, ſcilicet *terreni*: vel quia corpus habemus quod in terram reſolvi poſſit per mortem, vel quia mortalitatem quâ relabimur in terram, ex primo parente contraximus: vel quia carnales ſumus ac terrena

ſapimus. *Qualis* eſt ſecundus homo, nempe *cæleſtis*: *tales* & nos qui ad eum pertinemus, & quorum ille princeps eſt, erimus, id eſt, *cæleſtes*, utique ſecundùm corpus per reſurrectionem, ùt *Philip.* 3. ex *Chryſ.*

℣. 49. *Igitur, ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.*

Juxta Græcam lectionem, *ſicut geſtavimus in nobis imaginem terreni Adam*, quatenùs etiam ipſi terreni facti ſumus & per hoc ei ſimiles: ita quoque geſtabimus in nobis imaginem hominis cœleſtis, ſcilicet Chriſti, quatenùs & ipſi ſecundùm corpora cœleſtes etiam erimus per beatam reſurrectionem, proindeque futuri quædam illius imagines. Vel eſt exhortatio, ut ſicut in nobis peccando exhibuimus imaginem, id eſt, expreſſam valde ſimilitudinem terreni Adam qui primus peccavit: ita deinceps exhibeamus in nobis imaginem hominis cœleſtis, id eſt, Chriſti per ſanctam converſationem, ac vitæ novitatem eum imitantes, ut ad ſimilem cum eo gloriam pervenire poſſimus: ex *Chryſ.*

℣. 50. *Hoc autem dico, fratres: quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt: neque corruptio incorruptelam poſſidebit.*

Id eſt, homines *ex carne & ſanguine* conſtantes, ideòque naturâ mortales, ùt tales ſunt, habere locum non poterunt in regno Dei: quaſi dicat; in illa regni felicitate corpora jam non erunt ùt in hoc ſæculo, quæ mori & corrumpi poſſint. *Neque corruptio incorruptionem poſſidebit*, aut poſſidet, hoc eſt, nulla corruptibilitas erit in illo ſtatu perfectæ incorruptionis,

ùt *Matth.* c. 16. ℣. 17. *Epheſ.* c. 6. ℣. 12. *Heb.* c. 2. ℣. 14. *Eccl.* c. 14. ℣. 19. & *Gal.* 1. ℣. 16. in quibus locis *caro & ſanguis* ſumitur pro homine mortali. Hæc autem mortalitas & corruptibilitas ea debet intelligi, quæ fuit etiam communis homini, ùt primùm factus eſt in animam viventem, corpus habens animale, id eſt, poſſe mori, poſſe corrumpi, ita Græci & *Aug. Epiſt.* 146. *ad Conſ.* Vel per *carnem & ſanguinem* intelligitur vita animalis, quæ requirit uſum ciborum & procreationem filiorum, cujuſmodi vitam poſt reſurrectionem expectant Judæi & Saraceni. Vel *caro & ſanguis*, id eſt, opera carnis, quæ utique peccata ſunt, *Gal.* 5., non aſſequentur hæreditatem regni Dei; *n'que corruptio*, id eſt, peccatum, aſſequetur ſtatum incorruptionis ſeu beatæ immortalitatis, ùt 2. *Pet.* 2.; ut ſit continuatio exhortationis: & ſic eſt metonymia, quâ opera carnis ſumuntur pro hominibus qui carnis operibus addicti ſunt, & corruptio, id eſt, peccatum pro peccatore: ex *Chryſ.*

℣. 51. *Ecce myſterium vobis dico: omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.*

Hìç jam quæſtionem de modo & ordine reſurgendi explicare aggreditur Apoſtolus, inſinuans ſe *myſterium*, id eſt magnum aliquod arcanum Religionis Chriſtianæ prolaturum. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Hujus loci variæ fuerunt olim & adhuc exſtant lectiones: de quibus conſuli poteſt *Hier. in Epiſt. ad Miner.* & *Alex. num.* 151. Tres famoſiores ſunt: quarum una eſt hæc noſtræ vulgatæ verſionis: altera, *omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur.* Tertia ſecundæ directè oppoſita eſt, *Omnes qui-*

dem non dormiemus, omnes autem immutabimur. Hanc ultimam hodie Græci codices plerique omnes, aſtipulante Syriaco textu, exhibent. Senſus verò ſingularum lectionum hic eſt: primæ quidem quæ latinorum eſt codicum; Omnes quidem homines tam malos quàm bonos reſurrecturos eſſe, ſed non omnes immutandos in ſtatum beatæ ac glorioſæ immortalitatis. Secunda ſimilem habet ſenſum; omnes homines dormituros eſſe ſomnum mortis, & inde reſuſcitandos: ſed non omnes immutandos per gloriam. Senſum autem tertiæ Græci interpretes reddunt hujuſmodi: Non omnes quidem nos fideles & ſancti dormiemus, id eſt, moriemur: non enim illi dormient, qui in adventu Domini ſuperſtites invenientur; ſed tamen omnes ſinè exceptione immutabimur in ſtatum beatæ immortalitatis; omnes, inquam, fideles & Sancti: ex *Chryſ.* Putat Eſtius hanc ultimam eſſe veram & germanam Apoſtoli Scripturam: quia conformior eſt menti Apoſtoli qui *hoc cap.*, ùt etiam 1. *Theſ.* c. 4. & 2. *Cor.* c. 5., de ſola bonorum reſurrectione agit: cui lectioni ſuffragatur opinio fidelium, Joannem non moriturum, eo quòd Dominus dixerit, eum ſic manſurum *donec veniam; Joan.* c. 21. Et cum Græcis ſentiunt ex Latinis *Tertul. de Reſurr.* cap. 41. & 42. & *Hier. Epiſt.*, ad *Marcel.*, licèt hic ſcribens ad *Miner.* & *Alex.* in diverſam ſententiam magis propendeat: cæteras rationes *Eſtii* vide *in ejus comm.* Porrò Latinorum communis in diverſum ſententia eſt, eaque multis Scripturarum teſtimoniis ſubnixa; quæ ſicut à morte nullum excipiunt mortalem, ita nec à reſurrectione: ſic *Gen.* 3. primo parenti, totique generi humano dictum eſt, *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Cujus ſententiæ generalitatem *Paulus Rom.* c. 5. ℣. 12. & hoc ipſo *cap.* ℣. 22. at-

teſtatur: ex quo conſequens videtur, omnes homines morituros eſſe, & omnes electos reſurrecturos: quod & poſteà docet ℣.36. comparatione ſeminis. Cum hac autem ſententia lectio græca præſentis loci conciliari poteſt, dicendo: eos qui invenientur & rapientur viventes in adventu Domini, mortem quidem guſtaturos; verùm quia ſtatim reviviſcent, ſomnum mortis non capturos: quia mors illa iis erit momentanea, velut nictus dormitantis: ita *Eſtius* ex *Oecum.* Et in hoc *myſterium* Paulus declarat, quia illi nihil minus habituri ſunt iſtis qui dormierunt. Nam etſi eorum corpora non erunt in terra more ſeminis mortua & putrefacta; futurum tamen ut unà cum illis quæ è terra ſurrectura ſunt, immutentur; eoſdemque cum illis qualitates acceptura. *Et hoc eſt myſterium quod vobis dico.* Vel quia in ipſo raptu ſunt morituri, ut 1. *Theſſ.* 4. Deo videlicet eos extinguente eâdem virtute, quâ ſtatim excitaturus eſt: vel ab igne conflagrationis qui judicem anteceſſurus eſt cruciaturus malos, bonos purgaturus, & omnes ſimul examinaturus, illicò vitæ reſtituendos, ac judicio ſiſtendos: ex *Chryſ.* & *Theoph.*

℣. 52. *In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba: canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti: & nos immutabimur.*

Tertul. in atomo, in ictu, vel jactu *oculi*, ut ſenſus ſit, immutationem omnium electorum in ſtatum incorruptibilem, non exigere moram temporis, quo fiat ac perficiatur; in inſtanti enim fiet reſurrectio: collectio verò pulverum fiet morulâ temporis breviſſimâ, ait *S. Thom.*, canente ultimâ tubâ, de qua 1. *Theſſ.* 4. *Matt.* 24. *Joan.* 5.; ubi vocatur *vox* filii homi-

nis, & *clamor. Matt.* 25., quo velut inſtrumento quodam divinæ virtutis omnes mortui ſuſcitandi ſint ad vitam & convocandi ad tribunal judicis Chriſti: quomodo tubæ ſonitu ſolebat olim populus convocari: *Num.* 10. *Joël.* 2. Erit autem hoc ſignum vehementiſſimus quidam ſonitus Angelorum miniſterio per univerſum orbem terrarum diffuſus, qui ad excitandos mortuos valeat; ùt vox illa Domini *Lazare veni foras*, *Joan.* 11. Dicitur *noviſſima tuba*, quia ſeptem commemorantur *Apoc.* 8., quarum ſex non mortuos excitant, ſed viventes affligunt & interimunt: ſeptima verò regnum Chriſti annunciat, & tempus reſurrectionis, & judicii mortuorum, *Apoc.* 1.; ex *Hier. Ep. ad Min.* & *Oecum.* Sed Apocalypſis poſt mortem Pauli ſcripta eſt. Sunt qui extremum tubæ ſignum interpretantur. Vel meliùs noviſſima tuba dicitur, non quam aliæ præceſſerint, ſed quam nulla alia ſequatur, quaſi dicat. Canente tubâ extremi judicii nunciâ, mortui ſuſcitabuntur immortales & impaſſibiles, ùt ℣. 42.; nam ſignificatur incorruptio perfecta, quam dotem impaſſibilitatis vocant, ùt ℣. 50. *Et nos* qui in adventu Domini rapiemur viventes, ideòque non reſurgemus unà cum mortuis (intellige è ſomno mortis ſicut illi) ſimul tamen cum illis *immutabimur* ad eundem ſtatum incorruptionis. Loquitur enim Apoſtolus, uti ſuperiùs, in perſona juſtorum & electorum, quos vivos adventus Domini deprehendet, ùt 1. *Theſſ.* 4., abſque morte media commutandos in ſtatum incorruptibilem interpretantur Græci.

℣. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem.*

Interpretatur quid ſibi velit immutatio, im-

mutari (inquit) à corruptibili ad incorruptibilitatem, & à mortali ad immortalitatem.

℣. 54. *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: abſorpta eſt mors in victoria.*

Confirmat quod dixerat, per authoritatem *Oſeæ* 13.

℣. 55. *Ubi eſt mors victoria tua? Ubi eſt mors ſtimulus tuus?*

Græcè, contentio tua *Iſa.* 25. ℣. 26. Senſus eſt. *Mors* abſumpta eſt & abolita uſque ad perfectam de ea victoriam, ita prorſus ut nihil ejus reliquum maneat; ſed ſimul cum ea ſublata ſit omnis mortalitas & corruptio, nec metus ſit ne vires aliquando reſumat. Item *ubi eſt mors* aculeus tuus ſive ſpiculum quo pungebas, & ad exitium urgebas univerſum genus humanum? q. d. Mors ita penitùs deſtruetur atque delebitur, ut nunquam extent ampliùs in ſempiternum ullæ ejus reliquiæ. Sed hoc intellige complendum in electis. De iis enim ſolis Apoſtolus loquitur, de iiſdem & Propheta, ſub typo populi Iſraëlitici. Nam ad reprobos qui reſurgent quidem, ſed ut ſemper moriantur, pertinet illud 1. *Joan.* 3. *qui non diligit, manet in morte*: & *Apoc.* 20.

℣. 56. *Stimulus autem mortis peccatum eſt: virtus verò peccati lex.*

Stimulus per quem ſcilicet mors nobis præcipuè nocet & pungit: ùt ſcorpius licèt parvus ſit, per aculeum; ita mors per peccatum omnes occidit, ait *Theoph.*, ac ſinè peccato tamquam aculeo nihil omninò poteſt. *Virtus verò peccati lex.* q. d. *Peccatum* quod eſt *mortis ſtimulus*, uſque adeò lex per Moyſen data removere non potuit, ut etiam vires ei majores ex occaſione

ſubminiſtraverit. Per legem enim irritatur concupiſcentia & augetur peccatum ſi gratia deſit: quia lex prohibendo auget peccati cupiditatem, niſi diffundat ſpiritus charitatem, ait *Aug. lib. de perf. juſt. c. 6. & Chryſ.*

℣. 57. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

Chriſtus (inquit) tropheum erexit, nos verò coronarum ſocii ſumus. Gratia verò ſit Patri, quòd filium generaverit, qui tanta nobis præſtitit, ait *Oecum.* Continet hæc ſententia tacitam probationem reſurrectionis mortuorum. Si enim per Chriſtum victoria nobis datur de peccato, & morte; ergo ſicut peccatum, ita & mortem penitùs tandem deſtrui oportet. Mors autem non deſtruitur, niſi vita reddatur, & quidem perpetua: quod non contingit niſi per reſurrectionem juſtis promiſſam. Ex hoc præterea loco docent Patres omnem de peccato victoriam, quæ ad ſalutem veramque juſtitiam conducat, adſcribendam eſſe gratiæ Dei per Chriſtum: ſinè qua proinde nullam peccati tentationem ſalutariter, & ad veram juſtitiam utiliter ſuperari poſſe fatendum eſt, ait *Eſtius.*

℣. 58. *Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles: abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.*

Doctrinam exhortatione concludit, quâ monet ut in fide reſurrectionis juxta doctrinam à ſe traditam perſeverent: fluctuabant enim & Epicureorum more viventes vitam negligebant quaſi non eſſet reſurrectio. Deinde ait etiam *abundantes in opere Domini*, non ſolùm in eo operantes, ſed etiam abundantes bonis actionibus. Bona opera vocat opus Domini, vel quia

Dominus ea diligit & exigit à nobis : vel quia Dominus in nobis ea operatur, *Phil.* 2. Quòd autem ait *in Domino*, intellige vel labor qui eſt in Domino ; vel à Domino non habebitur *labor inanis*, ſeu opera bona non erunt à mercede vacua apud Dominum, uti ſunt illis qui reſurrectionem non credunt : ſed præmium aſſequentur immortalitatis & gloriæ, idque ſecundùm gradus pro ratione meritorum diverſos : ex *Chryſ.*

CAPUT XVI.

Ad eleëmoſynas in ſanctos pauperes conferendas invitat. Adventum ſuum promittit Timotheo & aliis commendatis, Salutationibus Epiſtolam claudit.

℣. 1. *De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.*

Expleto de dogmatibus ſermone ad exhortationem venit de colligenda pecunia in ſubſidium pauperum, qui erant Hieroſolymis. *Sicut* (inquit) *ordinavi*, conſtitui ac præcepi Eccleſiis regionum Galatiæ ut facerent ; ita vos quoque facite. Nota præceptivam poteſtatem Eccleſiæ præfectis non adimendam, ut volunt hæretici : ex *Eſtio.*

℣. 2. *Per unam ſabbathi unuſquiſque veſtrûm apud ſe ſeponat, recondens quod ei benè placuerit : ut non, cùm venero, tunc collectæ fiant.*

Id eſt, prima Sabbatorum, ut *Gen* 1. *Dies una*, id eſt, prima, ſeu dies Dominica ; quòd

in ea Dominus reſurrexit à morte : ſic enim appellatur à *Joan. Apoc.* 1. quam diem aſſignat collectis faciendis, quòd in ea vacaretur ac de more per Apoſtolos inſtituto fierent oblationes fidelium ad altare, quem etiam nunc ſervat Eccleſia. *Per unam*, Græcè, id eſt, per dies Dominicas, ſingulis diebus Dominicis, ſeu primâ quâque die hebdomadæ. *Quod ei benè placuerit*; alii ex græco vertunt *quod ei benè cedit*. Alii meliùs, inquit *Eſtius*, *quod ſucceſſerit*. Id eſt prout cuique benedixerit Deus, ac proventum proſperaverit pro modo facultatum, ſeu lucri hebdomadarii quiſque ſeponat & cumulum faciat tribuendum in collectam publicam (ſic hortanda plebs, ut de juſto lucro totius hebdomadæ portionem aliquam ſeponat in eleëmoſynas pauperum) ut ſumma ex iis conflanda & parata cùm venerit, ſtatim mitti poſſit Hieroſolymam, ut hilares datores diligantur à Deo, ait *Hieron.*

℣. 3. *Cùm autem præſens fuero: quos probaveritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Jeruſalem.*

℣. 4. *Quòd ſi dignum fuerit ut & ego eam, mecum ibunt.*

Cùm advenero; ut ſit ſenſus. *Quoſcumque* ex vobis *probaveritis* fideles & aptos ad hoc opus, eos ego *mittam* cum litteris meis commendatitiis ac teſtibus tum veſtræ charitatis ac benevolentiæ, tum probitatis ipſorum: ut perferant *gratiam veſtram* ſeu munificentiam, id eſt, gratuitum ac liberale donum veſtrum ad pauperes fideles qui ſunt Hieroſolymis. Dixit *quoſcumque probaveritis*, ubique devitans ne qui offendantur, tanquam ipſe quoque nonnihil capere vellet ex his quæ congregarentur, unde ſubdit mecum proficiſcentur. *Gratiam*

dixit: nam miſerum erat eleëmoſynæ vocabulum, & indignum ſanctis qui illam accepturi erant, quia viciſſim gratiam recepturi erant, nempe precationis illorum, ùt notat *Oecum.*

℣. 5. *Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertranſiero: nam Macedoniam pertranſibo.*

Conſolans eos, quòd rectè ſit adventurus; & cæteris præponens, cùm de aliis dixit *tranſiturus ſum*, ùt *Act.* 19. De his autem ℣. 6. *permanebo*; quòd dilectionis indicium eſt, ait *Oecum.* An autem facto præſtiterit, ſunt qui negant, juſtà tamen ratione dimotum à propoſito; alii dicunt præſtitiſſe, ùt *Act.* 19.; ibidemque tres menſes egiſſe, & probat Epiſtola ad Romanos ab eo ſcripta Corinthi. Cæterùm excuſationem quæ eſt in ſecunda Epiſtola, non reſpicere promiſſum hujus loci. Nec dicit ubi rediero, ſed ubi tranſiero, ùt notat *Chryſ.*

℣. 6. *Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hiemabo: ut vos me deducatis quocumque iero.*

q. d. Adventus meus ad vos non erit tranſitus ſolùm, ùt dixi de Macedonia: ſed erit mora diuturnior, nempe trium menſium, *Act.* 20. Addit *forſitan* propter incertitudinem. Dilectionis autem & honoris indicium eſt & apud ipſos permanere, & ab ipſis deduci: & ſi opus eſſet, viaticum accipere.

℣. 7. *Nolo enim vos modò in tranſitu videre, ſpero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit.*

Si Dominus ſcilicet Chriſtus conceſſerit poteſtatem agendi, ſic dicitur aliquid factum permiſſu ſuperiorum.

℣. 8. *Permanebo autem Epheſi uſque ad Pentecoſten.*

Permanebo, Græcè commoror. Et hâc parte certiores facit: ubi degat, & quandiu ſit ibi moraturus; quare Epheſi ſcriptam eſſe ſatis teſtatum eſt. Feſtum autem Judaïcum nominat, non obſervationis causâ, ſed certum tempus fidelibus notum deſignare volens, quo permanſurus ſit *Epheſi*. Quamquam ipſi *Paulo*, qui Judæus erat, feſtorum Judaïcorum obſervatio, tametſi lege jam mortuâ, nondum erat illicita. Nam & *Act*. 20. *feſtinabat, ut diem Pentecoſtes faceret Hieroſolymis*: ſcilicet apud Judæos legis æmulatores declaraturus ſe legem adhuc obſervare, falsòque ſe traduci, quòd doceret *diſceſſionem à Moyſe eorum, qui per Gentes erant Judæorum*, *Act*. 21. Unde nec probabile eſt, quòd quidam putant hoc loco ſignificari Pentecoſten Chriſtianorum: nam etiam ſuprà dixit unam Sabbathorum & dies Azymorum, quæ utique erant feſta Judaïca: ex *Eſtio*.

℣. 9. *Oſtium enim mihi apertum eſt magnum, & evidens: & adverſarii multi.*

Id eſt, multi ſunt præparati ad ſuſcipiendam fidem; ingreſſus ergo mihi ad illos eſt. Id autem confidentis eſt quòd ubique terrarum fidem protenderet. Viget (inquit) mens illorum qui ad fidem aſſeſſuri ſunt, nil laxum habens aut fraudulentum, efficax eſt occaſio, talis quæ ſpem optimam oſtendat magni proventûs. *Oſtium* pro occaſione accipitur ut *Act*. 14. & *Col*. 4. per quod ſignificantur corda ad credendum parata; quod Chriſtus in evangelio hâc phraſi deſignat, *Meſſem multam Matth*. 9. & *Regiones albas ad meſſem Joan*. 4. Vel ſignificatur magni alicujus

principis ſeu Philoſophi converſio, vel loci opportunitas. Erat enim Epheſis Aſiæ minoris civitas primaria, frequentata propter Dianæ templum & ſtudia bonarum artium: propterea etiam *adverſarii multi.* Quanto enim magis videt Diabolus ſe ſpoliari, tanto amplius turbatur, & adverſarios excitat: ex *Chryſ.* Forte Judæos intelligit, qui erant in ea civitate, ùt *cap.* ſuperiori.

℣. 10. *Si autem venerit Timotheus, videte ut ſinè timore ſit apud vos: opus enim Domini operatur, ſicut & ego.*

Id eſt, curate ut ſecurè apud vos agat, nemo ſit ei moleſtus. Loquitur non de infidelibus, ſed de quibuſdam profeſſione Chriſtianis, qui eloquentiæ & ſæcularis ſapientiæ nomine ſibi placentes adversùs *Paulum*, cujus cariſſimum diſcipulum eſſe Timotheum noverant, factioſi erant: ùt 2. *Cor.* 11. Erant autem ex Judæis præcipuè. Hunc ab opere docendi & prædicandi, ac ſibi ipſi quodammodo æquando, virum extollit. Hoc illi nobilitatis, ſenectæ & ſapientiæ loco erat, ait *Chryſ.*

℣: 11. *Ne quis ergo illum ſpernat: deducite autem illum in pace, ut veniat ad me: exſpecto enim illum cum fratribus.*

Spernat, id eſt, vilipendat: quod metuendum erat ob ætatem adhuc juvenilem, quia Timotheus nondum erat Epiſcopus & ſolus tanti populi curam ſuſceperat: ſecuritatem præſtate ei abeuntem, quâ decet humanitate proſequimini, *ut ad me veniat* Epheſum, ubi nùnc ago.

℣. 12. *De Apollo autem fratre vobis notum facio; quoniam multùm rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus: & utique non fuit voluntas ut nunc veniret: veniet autem, cùm ei vacuum fuerit.*

Ad *Apollo* fratrem quòd attinet multis verbis eum hortatus ſum & *rogavi* ut proficiſceretur, non autem perſuaſi: nam ob certas cauſas non erat ei animus tunc eundi. Quæres cur *Paulus* ei non præceperit: quia magnis viris non facilè præcipiendum eſt aliquid, reſpondet *S. Thomas*. Græci notant *Paulum* his verbis ſe excuſare cur ad eos miſerit Timotheum juvenem, ac non potiùs Apollo grandiorem, virum eloquentem & potentem in Scripturis, ùt dicitur *Act.* 18.; denique Doctorem ipſorum, à *Paulo* ſecundum. Latini addunt Apollo factionibus quæ apud Corinthios erant, offenſum eos reliquiſſe & ad *Paulum* ſe contuliſſe: deinde *Paulum* à Corinthiis rogatum eſſe, ut illum ad ſe remitteret, eo maximè quòd ipſorum eſſet Epiſcopus à Paulo ordinatus: ex *Hier. in epiſt. ad Tit.* 3.; quod tamen in dubium revocat *S. Thomas*, quia non licet Epiſcopo populum ſuum deſerere in fide novellum. Et ne exiſtimarent hæc fictionem ac prætextum eſſe, dicit quòd *proficiſcetur*, ubi commodum tempus nactus fuerit.

℣. 13. *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini.*

Tanquam de dormientibus ac fluctuantibus, molleſcentibus, ac ſegnibus ſermo eſt, quo præceptis neceſſariis ſub finem inſtruit. q. d. Intereà dum noſter adventus differtur, *vigilate*, &c. Salutis veſtræ curam gerite.

℣. 14. *Omnia veſtra in charitate fiant.* Sive quis doceat, ſive quis principatum gerat, ſive quid aliud faciat, charitas & dilectio præcedat. *Omnia veſtra* opera, actiones; Syrus voluntates ſeu placita *ex charitate*: non enim ſatis eſt Apoſtolo ſi in charitate conſtituti agamus, ſed mens ejus eſt, ut ex dictamine & imperio charitatis omnia faciamus: ſic ut magnum quid præcipiat, nempe ut omnia referamus ad finem charitatis, nempe finem ultimum, ait *S.Thom.* Et ſic non ſpecialiter accipitur pro habitu diligendi Deum infuſo divinitùs, quo qui diligunt, filii Dei ſunt & regni ejus hæredes: ſed generaliùs pro affectu regni, ſinceri & Chriſtiani amoris, quo Deus propter ſe, vel proximus propter Deum diligitur, ùt c. 13.

℣. 15. *Obſecro autem vos fratres, noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaïci: quoniam ſunt primitiæ Achaïæ, & in miniſterium ſanctorum ordinaverunt ſeipſos:*

Hyperbaton eſt. *Obſecro vos fratres* ut ſubditi ſitis talibus. Quibus? qui ſeipſos *in miniſterium ſanctorum* ſegregarunt. Non ſentit autem Apoſtolus, iſtos de quibus loquitur, ordinaſſe aut ingeſſiſſe ſeipſos in functionem aliquam Eccleſiaſticam; hoc enim illicitum eſt, & ab ipſo Apoſtolo *Heb.* c. 5. ℣. 4. prohibitum. Verùm agit de illis qui ultrò charitate urgente addixerunt ſeſe ad miniſtrandum ſanctis, hoc eſt ad exercendam hoſpitalitatem & beneficentiam erga fideles pauperes: eos maximè qui in opere Domini verſantur. *Noſtis* familiam *St phanæ.* Et vos (inquit) ſcitis quomodo laborent, nec vobis opus eſt ut à me diſcatis. Primitias dicit familiam, eo quòd illi primi crediderint, aut quòd primas tulerint in pietate ac religione: ita *Oecumen.*

℣. 16. *Ut & vos ſubditi ſitis ejuſmodi, & omni coöperanti, & laboranti.*

Hortor & obſecro vos ut adjuvetis & ad ſumptum pecuniarum, & ad miniſterium corporale, & per omnia eis pareatis, honorem deferendo, & eorum conſilia & monita libenter audiendo. Nec solùm illis ſubditi ſitis, ſed & omnibus quicumque vel cum illis, vel mecum rem Evangelicam adjuvant; noſtrique laboris participes ſunt: tales enim præ aliis digni ſunt honore.

℣. 17. *Gaudeo autem in præſentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaïci: quoniam id, quod vobis deërat, ipſi ſuppleverunt:*

Hi ſunt qui renuntiarunt *Paulo* diviſionem ac diſſidium quod erat apud Corinthios: & per hos ſignificati ſunt qui erant ex familia Chloes. Quoniam ergo veriſimile erat Corinthios commotos eſſe adversùs illos, adducit eos in medium, & ait. *Quod vobis deerat*, aliqui ex græco vertunt, *quod mihi deerat veſtri*, *hi ſuppleverunt*. Id eſt, pro omnibus vobis venerunt & propter vos tantam peregrinationem inſtituerunt, ſupplentes officio ſuo omnium veſtrûm præſentiam &c.

℣. 18. *Refecerunt enim & meum ſpiritum, & veſtrum. Cognoſcite ergo qui hujuſmodi ſunt.*

Nam refocillaverunt me ſuâ præſentiâ atque colloquio: & de hoc meo bono vos mei diſcipuli gaudere debetis. Vel recrearunt *meum ſpiritum*, qui idem eſt veſter ſpiritus: ut proinde vos etiam in me recreati fueritis; ita ut ſpiritum ſuum dicat ſpiritum ipſorum conjunctione charitatis, *Act.* 4. ℣. 32. 1. *Reg.* 18. ℣. 1.

Dicit autem ſpiritum, id eſt, animum ſeu mentem: ne corporalia ſubſidia ab illis accepiſſe putetur, ùt c. 9. *Cognoſcite*, id eſt, reveremini, colite, ut notitiam ſignificet reverentialem; ùt 1. *Theſſ.* 5.

℣. 19. Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ. Salutant vos in Domino multùm, Aquila, & Priſcilla cum domeſtica ſua Eccleſia: apud quos & hoſpitor.

Per ſalutationem membra in unum colligit: ùt ad *Rom.* 16. per Aſiam intellige minorem. *Aquila & Priſcilla* apud hos manens, eo quòd ejuſdem eſſent artis texendi tabernacula. Et conſidera ipſorum virtutem, quia propriam domum Eccleſiam fecerant Epheſi, quo tempore ſcripta eſt hæc epiſtola.

℣. 20. Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in oſculo ſancto.

Quod ſanctos decet, quodque ſymbolum eſt ſancti & Chriſtiani amoris, *Rom.* 16.

℣. 21. Salutatio, meâ manu Pauli.

Subaudi ſcripta.

℣. 22 Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema, Maran Atha.

Uno verbo omnes terruit qui ſalute ſunt indigni; ùt ſcortatores vel offendicula fratribus ponentes edendo idolothyta, vel reſurrectionem non credentes: nam qui talia agunt, *non amant Dominum.* Quid *anathema* ſignificet, *cap.* 12. diximus & in *Epiſt. ad Rom.* 6. Deſumpſit Eccleſia formam edendi canones cum anathematiſmis ex hoc loco. Nec ſunt verba excommunicantis, eo modo quo inceſtuoſum c. 5. judicavit tradendum Sathanæ, ut ſpiritus ſalvus

eſſet in die Domini: ſed verba ſunt execrantis & æternum interitum denuntiantis iis, qui Chriſtum Dominum non amant; intellige niſi reſipiſcant. Amant autem Chriſtum, non ſolùm qui juſti ſunt, ſed etiam boni Catechumeni, & omnes verè pœnitentes, & omnes fideles, etiamſi multi eorum malè-vivant: non enim uſque adeò mali ut Chriſtum oderint, hæc enim malitia paucorum eſt. Tales erant fortè inter Corinthios, qui ſæculari ſapientiâ Philoſophorum imbuti Chriſtum ejuſque doctrinam, velut abjectam & humilem, aſpernari jam cœpérant: ex *S Thom.* Tales Judæi negantes Dominum, id eſt, Meſſiam veniſſe, & odio proſequentes, c. 12. Tales ſchiſmatum authores, fornicarii, idolothyta cum fratrum offendiculo comedentes; ſacra myſteria indignè participantes: reſurrectionem mortuorum non credentes: & omnes qui Chriſti præcepta non obſervant. Amorem enim Chriſti ponuntGræci in obſervatione præceptorum. *Maran Atha, magis ſyrum eſt quam hebraicum, tametſi ex confinio utrarumque linguarum aliquid & Hebraïcum ſonet & interpretetur, Dominus noſter venit,* ait *Hieron. Ep. ad Marc.* 137. *Maran* Dominus. *Atha venit, vel veniet*, hoc ſenſu. Si quis Chriſtum non amat, ſit anathema, id eſt, æterno tradetur exitio in die quo Dominus veniet ad judicium, ùt *Malachiæ ult.* Sed meliùs de primo adventu exponitur *venit.* q. d. Superfluum ſit adversùs eum odiis pertinacibus velle contendere, quem veniſſe jam conſtet: ex *Hieron.* Sunt qui putant *Maran Atha*, perinde ùt *anathema*, velut quaſdam execrandi formulas in uſu fuiſſe apud Judæos. Et Hiſpani Maranitas appellant Judæos & Arabes tanquam ſectæ nomine, quod ſuum *Maran*, id eſt, *Dominus noſter* ſemper inculcarent non recipientes *Maran Atha, Dominus noſter venit.*

℣. 25. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum.*

Hanc ſalutationem manu ſuâ ſubſcribit ſuis Epiſtolis, quâ omne bonum precatur à Deo per Chriſtum. Vocatur autem *gratia*, quia gratuitum Dei donum eſt.

℣. 24. *Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto Jeſu. Amen.*

Subintellige *eſt*. Et ſenſus eſt. Ego vos diligo *in Chriſto Jeſu*, & ex ea dilectione gratiam ejus vobis exopto; vel ſit. q. d. Opto meam charitatem quâ vos diligo, eſſe & permanere cum omnibus vobis: quòd quidem fiet ſi vos in dilectione Chriſti permanſeritis. Vel, ſicut ego vos diligo: ita cupio me viciſſim à vobis diligi in Chriſto, hoc eſt ſincerâ & Chriſtianâ dilectione: ex *Hier.*

IN EPISTOLAM SECUNDAM
B. PAULI
APOSTOLI
ad Corinthios
ARGUMENTUM.

EXcuſat ſe quòd Corinthios, ùt erat pollicitus, nondum inviſerit. Fornicatorem in Eccleſiæ conſortium recipi jubet. Evangelii præ lege excellentiam oſtendit adversùs Judæos inſoleſcentes. Hortatur ſuo exemplo ad perſecutiones ferendas; infidelium matrimonia inhibet. Ad eleëmoſynas invitat; à pſeudoapoſtolis cavere admonet: Tandem Corinthiis interminatur, ni reſipuerint.

CAPUT I.

Tam afflictiones, quàm ex iis conſolationem cedere in Corinthiorum ſolatium & ſalutem ait, excuſans quòd nondum eos reviſere ſibi licuerit.

℣. 1. *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Eccleſiæ Dei, quæ eſt corinthi cum omnibus Sanctis, qui ſunt in univerſa Achaïa.*

INitium idem cum eo, quod erat prioris Epiſtolæ, & ad *Rom.* *Timotheus* ùt ex 1. *ad Cor. c.* 4. *& ult.* conſtat, à *Paulo* Corinthum miſſus fuerat hâc potiſſimùm causâ, ut fideles illic in doctrina quam à *Paulo* acceperant confirmaret. Quo perfunctus officio, & ad *Paulum* reverſus retulerat de eorum ſtatu & profectu, nec non de Pſeudo apoſtolis; propter quos ſcripſerat *Paulus*, *videte ut ſinè timore ſit apud vos.* 1. *Cor.* 16. Hunc ergò tanquam ſuum legatum, & de iis benè meritum honorat, adjuncto ejus nomine in fronte Epiſtolæ, *Fratrem* vocat; quia Chriſtianus, & quia ſocius, & quaſi coapoſtolus, ùt fecit *in Epiſtolis* ad *Philipp.*, *Col.*, *Philem.*, & ad *Theſſ.*; & ut ſignificet eadem ſecum in his quæ ſcribit ſentire, & coöperatorem eſſe. *Eccleſiæ Dei*, ſubaudi ſcribunt. *Sanctis*, quia ſanctæ erant eorum Eccleſiæ, ùt ad *Rom.* 1. ℣. 7. Indicans ſi quis inter illos impurus eſſet, eum ab hac appellatione ſeclusum eſſe: ex *Chryſ.*

℣. 2. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.*

Familiarem ac ſibi conſuetam ſalutationem eis exoptat.

℣. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis,*

Id eſt. Laudetur à nobis *Deus* propter opera ſuæ bonitatis erga nos exhibitæ. Siquidem Deus noſtèr eſt, ſed *Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater*, ùt notat *Oecum.* Etiam *Pater* eſt *miſericordiarum*; quatenùs tanquam benignus parens multiplicia miſericordiæ ac beneficentiæ ſuæ dona in homines effundit, & afflictis conſolationem largitur.

℣. 4. *Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem, quâ exhortamur & ipſi à Deo.*

Græcè *conſolans*. Dicens in omni afflictione ſignificat & continuas afflictiones & continuas conſolationes. Vide animi modeſtiam; non accepi, inquit, conſolationes quòd conſolatione dignus eſſem: ſed ut exemplo conſolationis quæ erga me facta eſſet, poſſem & alios conſolari, qui ſunt in afflictionibus. Vel conſolatio quæ in me facta eſt, ad conſolandum ſimul & alios fuit, eos nempe qui ob meas dolebant afflictiones. *Per exhortationem*, &c. Potiùs ex Græco vertendum *per conſolationem, quâ conſolamur ipſi à Deo*; quia afflicti & conſolati magis idonei ſunt, qui fomentum conſolationis aliis afflictis adhibeant: ex *S. Thom.*

℣. 5. *Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.*

Id eſt. *Sicut paſſiones* & afflictiones quas pro Chriſto & Evangelio patimur, exuberant in nos propter multitudinem & gravitatem. Vel *paſſiones Chriſti*, quas ut ſuas reputat Chriſtus; vel quas patitur Chriſtus in membris ſuis, quorum unum & præcipuum erat *Paulus*; qui *Col.* 1. dicit, ſe adimplere *ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne ſua.* ita *Chryſ.*, *Theoph.* & *Oecum.* Prior tamen expoſitio, quam latini tradunt, planior eſt ac ſimplicior: ait *Eſtius.* *Ita* Chriſtus eos, inquit, qui pro nomine ipſius patiuntur, non relinquit ſolatio deſtitutos: ſed pro magnitudine paſſionum etiam conſolationis materiam & effectum ſubminiſtrat, ut *Pſ.* 93. & latè probat *Chryſoſt.*

℣. 6. *Sive autem tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute, ſive conſolamur pro veſtra conſolatione, ſive exhortamur pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur tolerantiam earumdem paſſionum, quas & nos patimur:*

Senſus eſt. *Sive tribulamur*, ſive affligimur, *ſive conſolamur* à Deo: cedunt omnia ad veſtram conſolationem & ſalutem. Etenim magna conſolatio fidelium eſt in afflictione poſitorum, cùm vident Apoſtolos & alios Evangelii miniſtros, inter tot afflictiones & perſecutiones invicto & conſtanti animo prædicaſſe & plantaſſe fidem Chriſti. Nam ad imitationem provocantur, certi eam eſſe viam ad ſalutem; *Act.* 14. Unde ſubdit *quæ* quidem conſolatio veſtra, & ſpes ſalutis *operatur tolerantiam*, &c. quæ ſcilicet vos animat ad afflictiones nobiſcum ferendas: ex *Chryſ.*

℣. 7. *Ut ſpes noſtra firma ſit pro vobis: ſcientes quòd ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.*

Id eſt, adeò ut ſpem firmam de vobis conceperimus, id eſt, de conſolatione & ſalute veſtra; idque propter communicationem paſſionum, ùt *Rom.* 5. ℣. 3. *Scientes*, id eſt, cùm ſciamus vos ùt nobiſcum participes eſtis afflictionum, intellige patienter toleratarum: ſic & *conſolationis* fore participes, ùt *Rom.* 8. ℣. 17.

℣. 8. *Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.*

Tribulationem intelligit, de qua 1. *Cor.* 16. dixit, *& adverſarii multi.* Vel tumultum Epheſi per Demetrium concitatum, *Act.* 19. Hanc verò refert, ut adventûs ſui tarditatem excuſet: vel ut benevolentiam Corinthiorum ſibi conciliet dum nihil eorum quæ ſibi acciderunt occultat, ait *Oecum.* & *S. Thom.* Vel ut ad gratiarum actionem pro beneficio liberationis Deo reddendam excitet. Non ait ſe ſupra vires tentatum fuiſſe, ſed gravatum, ita nimirùm ut afflictio major viribus fuerit, non tentatio: non enim animus patientiam amiſit, quamvis *tæderet vivere*, id eſt, vitæ ſpem abjiceret, de vita hæſitaret, ait *Tert. lib. de reſ.* c. 48., ſeu deſperaret, ait *Ambr.*, id eſt, non expectaret ſe ampliùs victurum: ex *Chryſ.*

℣. 9. *Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos:*

Quinimò *reſponſum*, ſeu decretum *mortis*

habuimus, id eſt, eramus perinde atque infirmi qui deſperantur à medicis & morti adjudicantur. Nec tantùm, ait *Photius*, aliorum opinione, ſed noſtro etiam judicio deſperati fuimus ac pro mortuis habiti. Sed hoc *in nobis ipſis mortis reſponſum habuimus*, intellige quòd tam graves erant afflictiones & moleſtiæ, ut nihil aliud protendere viderentur, quàm inſtantem mortem. q. d. Uſque ad hanc afflictionum extremitatem devenimus ut cùm planè & noſtrâ & aliorum opinione morti adjudicati eſſemus, ac tandem Deo nos eripiente exſuſcitati doceremur confidere *non in nobis*, *ſed in Deo*, ita *Chryſ.*

℣. 10. *Qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem ſperamus quoniam & adhuc eripiet,*

Mortem vocat mortis periculum: ex Græco, *de tantis mortibus eripuit.* In quo ſpem firmam habemus, quòd & deinceps murus ſit, ſcilicet à malis obventuris, & ab ipſis mortis faucibus eum qui jam inciderat, ait *Chryſoſt.*

℣. 11. *Adjuvantibus & vobis in oratione pro nobis: ut ex multorum perſonis, ejus quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.*

Eripiet autem nos Deus, *vobis* etiam precatione *adjuvantibus*, ut communem, inquit, mihi gratiam ac vobis tribuat. *Ut ex multorum perſonis*, quod quidam ſic exponunt: multis vobis pro me orantibus fiet ut propter beneficium liberationis & incolumitatis, *ex multis perſonis*, id eſt, reſpectu multorum in me collatum, etiam *per multos gratiæ* Deo pro me *agantur*. Vel ut *ex multis perſonis*, id eſt, à multis hominibus pro dono in nos *per multos*, id eſt, ob multorum preces collato *gratiæ* Deo

agantur pro nobis. Quòd ſi juxta vetera quædam exemplaria legimus *in multorum facie*, ſenſus erit; ut inter multos & coram multis pro dono liberationis & incolumitatis etiam per multos gratiæ Deo pro me agantur. Ita ut in multorum facie hìc idem ſonet, ſicuti in *Pſalm.* 21. *in medio Eccleſiæ laudabo te.* & *Pſ.* 34. *Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo gravi laudabo te.* Sed huic commentario ordinariam vocis Græcæ ἐν προσώπῳ ſignificationem obſtare putat *Eſtius*, qui ſenſum primò allegatum præfert. Porrò docet hic locus, ubi multi Deum orant, non ſolùm faciliùs id, quod petitur impetrari; verùm ut iidem multi de dono impetrato Deo gratias agant. Patet etiam ex hoc loco magna *Pauli* modeſtia, quæ paſſim aliorum precibus ſe commendat, nec in hac re metuit offenſam Dei unius mediatoris Chriſti, quam hæretici objiciunt.

℣. 12. *Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei: & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei, converſati ſumus in hoc mundo: abundantiùs autem ad vos.*

q. d. Propterea ſpero me liberatum iri à Deo à preſſuris quæ mihi adhuc inſtant, quia bene mihi conſcius ſum ac de eo gloriari poſſum apud vos; bona quippe conſcientia fiduciam dat impetrandi, 1. *Joan.* 3. ℣. 21. & 22. *In ſimplicitate & ſinceritate Dei*, id eſt quo modo Deus ſimplex eſt & ſincerus; vel quæ Deo digna eſt, vel quæ ex Deo eſt: vel meliùs quæ coram Deo talis eſt, vera ſcilicet non fucata quemadmodùm juſtitia Dei vocatur vera & coram Deo *Rom.* c. 1. & 3. & 10. & gloria Dei, gloria coram Deo. *Rom.* 3. ℣. 23. Senſum

hunc explicat illud 1.*Teſſ.*2. *Ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra.* Dicit ſuam conſcientiam ſibi teſtari, quòd ſimplici, recto & ſincero animo, qui Deo judice probetur, converſatus ſit; *non in ſapientia* humana hujus ſæculi, ùt 1.*Cor.*1. & 2. id eſt, humano ſtudio acquiſita: alioqui converſio hominum ad fidem non fuiſſet attributa gratiæ & potentiæ Dei, ſed hominum ſapientiæ, quod Apoſtolus rejicit 1.*Cor.*c.1.℣.17.& 27.& c.2.℣.4.& 5. Et hoc eſt quòd dicit ſuam conſcientiam præter cætera ſibi teſtari, quòd non uſus fuerit adminiculo ſapientiæ ſæcularis: ſed à gratia Dei fructum ſuæ prædicationis expectans in Apoſtolico munere verſatus ſit apud homines. *Gratiam* vocat gratuitam ac potententem Dei operationem in ſignis, & in occulto tractu ad credendum Evangelio per ipſum prædicato ut conveniat quod hìc dicitur, cum hoc quod 1.*Cor.*2.℣.4. dixit *in oſtenſione ſpiritûs*; & ℣.5. *in virtute Dei ad vos*, apud vos, quia majora ſinceræ converſationis argumenta ad Corinthios oſtenderat, ùt qui gratis prædicaverat, parcens eorum infirmitati.

℣.13. *Non enim alia ſcribimus vobis, quàm quæ legiſtis, & cognoviſtis. Spero autem quòd uſque in finem cognoſcetis,*

Ea quæ ſcribimus de noſtra ſincera converſatione, conſentanea ſunt iis quæ in hac epiſtola *legis*, vel quæ in priore *legiſtis*. Græcè recognoſcitis, ſeu recordamini. q. d. Vos ipſi mihi teſtes eſtis, & *ſpero quòd ad finem uſque* quoque cognoſcetis; ne diceretur quòd ſeipſum ſibi teſtem aſſumeret, ùt *Joan.*5.℣.31. ita *Theoph.*

℣. 14. *Sicut & cognoviſtis nos ex parte, quòd gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra, in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Nos ex parte, id eſt, non omnes cognoviſtis integritatem meam: vel addens *ex parte* perſtringit Corinthios, quòd plus ſatis auſcultantes æmulis & obtrectatoribus *Pauli*; minùs adhuc benè honorificè de ſuo Apoſtolo ſentirent, ùt 1. *Cor.* 13. Spero (inquit) vos uſque in finem cogniturós, ſicut jam ex parte cognoviſtis nos eſſe gloriam veſtram. Vel ad ſuperiora refertur: ſic ſpero quòd etiam deinceps magis ac magis experturi ſitis & cognituri vera eſſe quæ ſcribo de integritate meæ converſationis, ut & nunc aliquo modo me talem eſſe, re & experientiâ cognoviſtis. Vel prior pars ad ſuperiora: poſterior verò huc, in hunc modum. Quemadmodùm etiam ex parte de me cognoviſtis, & perſuaſum habetis, quòd ſim *gloria* ſive gloriatio *veſtra*, hoc eſt, quòd ex me ſit vobis gloriandi materia, nempe quòd talem nacti ſitis Apoſtolum tam ſincerum Evangelii prædicatorem, qui non ſua quærat, ſed tantùm ea quæ Jeſu Chriſti ſunt ac veſtræ ſalutis. Ne verò arroganter hoc dicere videatur, addit quod ad laudem Corinthiorum faciat, *ſicut & vos noſtra*, ſcilicet gloria ſeu gloriatio eſtis. Sentit enim ſe viciſſim in adventu Domini ad judicium de Corinthiis gloriaturum, tanquam apud quos egregiè laboraverit, non ſinè copioſo fructu fidei & ſalutis eorum, ùt *Matth.* 25.

℣. 15. *Et hâc confidentiâ volui priùs venire ad vos, ut ſecundam gratiam haberetis:*

Et hâc fiduciâ quòd glorior in vobis, quòd

gloriatio veſtra eſſet noſtri dilectio, quòd nullius mali conſcii eſſemus. Hâc (inquit) fiduciâ veſtræ bonæ de me exiſtimationis, quæ ſpem dabat fructum me vobis adventu meo allaturum, conſtitueram ad vos venire *priùs*, id eſt, primùm; jampridem, vel priuſquam in Macedoniam proficiſcerer, ut ex ſecundo meo adventu *ſecundam* acciperetis *gratiam*, qui dudum accepiſtis primam, quando iſtuc veniens ad fidem vos converti. Vel duplam haberetis gratiam, nempe & epiſtolarum, & præſentiæ: ex *Chryſ.* *Gratiam* intelligit ſpirituale beneficium ad veram pietatem pertinens, uti ſunt fides, ſpes, charitas & cæteræ virtutes Chriſtianæ, & earum incrementa: cujuſmodi ſanè beneficium accepturi erant Corinthii per Apoſtoli ſui miniſterium, ſi ad eos veniſſet. Vel *gratiam* hìc appellat gaudium: *Chryſ.*

℣. 16. *Et per vos tranſire in Macedoniam, & iterùm à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Judæam.*

Subintellige *volui* ſeu *volebam*. Atqui in priore Epiſtola c. 16. dixerat *veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertranſiero.* Hìc autem ait decreveram priùs venire ad vos. Quid ergo? Num ſibiipſi contrarius eſt? Minimè, ſed hoc dicit: Tantùm abſuit, ut pigritarer venire ad vos, ut quantùm ad meum attinet animum, etiam priuſquam Macedoniam viderem, ad vos venire vellem: at non ſucceſſerunt mihi res juxta voluntatem. In priore Epiſtola dixerat *ut vos me deducatis quocumque iero.* Nunc verò dicit quo profecturus ſit, nempe *in Judæam*; ſiquidem tunc ignorabat quò ipſum juberet ſpiritus proficiſci: nunc autem jam poſteà audierat. Vides itaque ipſum ubique ſpiritu duci. Vel in prima Epiſtola ad Corinthios

data quæ non extat, & cujus mentionem facit in *Epiſt. ſuperiore*, c. 5. vel per nuncium promiſerat Corinthiis ſe priùs venturum ad eos, quàm iturum in Macedoniam. Cæterùm poſteà mutato conſilio in ſecunda Epiſtola quæ nobis eſt prima, ſcripſiſſe quòd priùs in Macedoniam profecturus eſſet, atque inde venturus Corinthum. Quòd quia priori promiſſioni contrarium erat, de eo ſe nunc excuſat, inquit *S. Thom.* & *Lyr.* Et hæc ultima explicatio præplacet *Eſtio*.

℣. 17. *Cùm ergò hoc voluiſſem, nunquid levitate uſus ſum? Aut quæ cogito, ſecundùm carnem cogito, ut ſit apud me* EST, & NON?

Græcè *volens*; id eſt. Nunquid volens & ſtatuens illud facere, quod tamen poſteà non feci, leviter ac temerè illud volui? *aut quæ volo*, quæ delibero, & ſtatuo; *nunquid ſecundùm carnem*, id eſt, ſecundùm hominem, qui levis & inſtabilis eſt, in levitate & inſtabilitate hæc decerno, ut ſit apud me *Eſt & non*? id eſt, inconſtantia promiſſionis: Vel *cogito* more hominum carnalium, id eſt, in cogitationibus ac ſtudiis obſequor carnali cuipiam affectui, velut avaritiæ, ambitionis, aut conſequendi cujuſcumque commodi temporalis. Nota *Paulum* removere à ſe levitatem animi & intentionem depravatam ex affectu carnali. Græcè τὸ *ut ſit apud me illud etiam etiam*: & *illud non non*: vel ſic *ut apud me etiam ſit etiam*, & *non ſit non*, ùt *Jac.* 5. ℣. 12. *Chryſoſtomus* partem hanc ita accipit, quaſi *Paulus* pro abſurdo habeat, ut ſit apud ipſum *etiam etiam*, id eſt, conſtantia affirmationis; & *non non*, id eſt, conſtantia negationis, conimirùm, quòd ſpiritu dictante ac jubente vir ſpiritualis cogatur

aliquando conſilia mutare : ne pertinaciæ arguatur ùt *Act.* 16. de *Paulo* ſcribitur, quòd ſemel & iterum prohibitus fuerit à Spiritu ſancto proficiſci in eam regionem, quam volebat. Sunt qui ſinè interrogatione legunt, ut ad interrogationem; *aut quæ cogito, ſecundùm carnem cogito*; ſit reſponſio, nequaquam. Cujus deinde ratio ſequatur, ut ſit apud me *etiam etiam, & non non*: hoc eſt quod affirmo maneat affirmatum, & quod nego maneat negatum; nec conſilium temerè mutem : ſed ubique veſtris ſerviam commodis, hac in parte mihi ſemper ſimilis & conſtans : ita *Ambroſiaſter*, ùt *Matth.* 5. *Jac.* 5. Meliùs ſi totus locus interrogativè legatur. Num levis? Num carnalis ſum? Ut proptereà ſit apud me *eſt, & non*? Id eſt, modò affirmare, modò negare? Dicere & non præſtare? Et ſi ùt in Græco duplicitet *etiam etiam, non non*, erit vehementior affirmatio vel negatio, ùt *Amen Amen dico vobis*, *Joan.* 2. more Hebræorum. Et ſenſus erit; ut rem eandem nunc vehementer affirmem, nunc vehementer negem?

℣. 18. *Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo* EST, & NON.

Fidelis Deus. Particula obteſtantis, id eſt, Deum veracem teſtor : Vel Deus verax eſt & infallibilis in dictis & promiſſis, & ideò ſermo prædicationis noſtræ, quo vobis Chriſtum annunciamus tanquam Dei Apoſtoli, non talis fuit ut mutari poſſet ex affirmatione in negationem, id eſt, nihil in eo incertum & immutabile, ſed omnia firmiſſima veritate conſtant, *quia* pro *ideo* ùt *Pſ.* 85. ℣. 6. & *Pſ.* 114. ℣. 1. *Oſee.* 9 ℣. 15.

℣. 19. *Dei enim filius Jeſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me, & Silvanum, & Timotheum, non fuit* EST *&* NON, *ſed* EST *in illo fuit.*

Hoc eſt, *Jeſus Chriſtus, qui* apud vos *per me & Silvanum & Timotheum prædicatus eſt*, cùm ſit æterna veritas, ideòque nec fallere poſſit, nec falli; non fuit mutabilis ab affirmatione ad negationem, ut aliquid eorum quæ diceret, mutato conſilio non præſtaret: ſed fuit in eo conſtans affirmatio. Cùm ergo nòs ſimus Apoſtoli & legati Jeſu Chriſti, eoque nomine non aliud quàm Chriſti verbum & Evangelium ac promiſſa vobis annunciaverimus (nam & hujus legationis noſtræ fidem operatione ſignorum teſtatam atque probatam fecimus) utique conſequitur, noſtrum ad vos ſermonem non fuiſſe mutationi obnoxium. Vel extrema pars ita verti poteſt, *ſed etiam per ipſum fuit*, *ſive factum eſt*: ut ſenſus ſit. Sed affirmationes & promiſſiones divinæ per ipſum completæ ſunt, & complentur.

℣. 20. *Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo* EST: *ideò & per ipſum Amen Deo ad gloriam noſtram.*

In illo Eſt, Græcè *in ipſo etiam*, ſupple *ſunt*; id eſt, omnes Dei promiſſiones in Chriſto ſunt ratæ, validæ & immutabiles: quia per ipſum complentur. *Ideò & per ipſum Amen* per hæc verba putat *Eſtius* Apoſtolum idem ſignificare ac per præcedentia *in illo etiam*; ita ut ſolùm ſint repetitio in majorem confirmationem. *Deo ad gloriam*, id eſt ex Syro *ad Dei glòriam*: quibus ſignificatur glorificari Deum in Chriſto per quem implet ſua promiſſa. Vel *quotquot enim promiſſiones Dei ſunt*, per ipſum habet *etiam*,

& *Amen* per nos: ac ſi diceret. Ipſe quidem ſuis promiſſis dat *etiam*: per nos autem facit *Amen*, id eſt, facit ut glorificetur Deus, quòd per homines tanta faciat. Docet hic locus per Chriſti meritum omnia bona ſalutaria nobis provenire.

℣. 21. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus:*

Quoniam dixerat *per nos* implentur Dei promiſſiones, explicat illud & totum rursùs in Deum refundit authorem, *qui confirmat*, qui dedit, qui complet ſuas promiſſiones, *qui unxit nos*, videlicet Spiritu ſancto, id eſt, delibutos reddidit multorum & magnorum Spiritûs ſancti donorum infuſione, quæ præbent argumentum rectæ ac ſinceræ noſtræ prædicationis. Vel *unxit nos* chriſmate, quaſi ſit alluſio ad chriſmatis unctionem; quæ fit in ſacramentis: ex *Pelagio*.

℣. 22. *Qui & ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritûs in cordibus noſtris.*

Ungit autem & obſignat Pater per Spiritum ſanctum: nam hæc (inquit) unctio & obſignatio arrha eſt paracleti. Siquidem non dixit qui dedit ſpiritum, ſed arrham ſpiritûs, futurorum ſpem confirmans, nam arrha omne pactum confirmat ac ſtabilit. Itaque & nunc arrha ſpiritûs confirmat nobis futura bona, ùt *Eph*. 1. ℣. 13. & 14. Jam ex his colligi vult Apoſtolus, nullâ ratione credendum, quod ſuæ prædicationi tot modis divinitùs confirmatæ ſubeſſe poſſit aliqua juſta falſitatis, aut incertitudinis ſuſpicio.

℣. 23. *Ego autem teſtem Deum invoco in animam meam, quòd parcens vobis, non veni ultrà Corinthum: Non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri: nam fide ſtatis.*

Ubi depulit à ſe crimen levitatis: tandem eis aperit cauſam mutati conſilii ac promiſſi non præſtiti. Et ut certiùs perſuadeat, quòd dicturus eſt, juramentum adhibet, non ſimplex, ſed cum execratione ſive maledicto, cui *animam ſuam*, id eſt, ſemetipſum ſubjiciat, ſi fallat: ac ſi diceret, perdat me Deus niſi vera dixero. Vel *Deum teſtem invoco* animi mei. Et hoc loco colligitur Chriſtiano juramentum non eſſe illicitum: ex *Aug. Ep.* 89. q. 5. Quòd fecit ut tueretur ſuam exiſtimationem adversùs æmulorum calumnias, & Apoſtolatûs dignitatem. *Ut parcerem vobis*, id eſt, evitarem occaſionem vos puniendi pro peccatis commiſſis ac pœnitentiâ non deletis, ut 1. *Cor.* 4. 5. & 6. & infrà c. 12. & c. *ult.* ℣. 10. *Non quia dominamur*, hoc eſt ob fidem *non dominamur* vobis: ſive non propterea facti eſtis fideles, ut ſubjiceremini ac puniremini à nobis: Vel non quòd *fidei veſtræ* imperitare velim, quæ voluntaria eſſe debet: ſed quia magis coöperari gaudio veſtro volumus; quippe qui *ſtatis in fide* ac firmi eſtis, nec opus eſt parcere aut punire cauſâ fidei: verùm ſunt alia quædam apud vos merito punienda, de quibus ſcribo me vobis parcere: ita *Oecum.* & *Gaig.* Eſt autem *dominari*, præeſſe cum oſtentatione poteſtatis, eâque abuti ad privata commoda. Græcè *coöperatores*: Vel *Paulus* cum ſuis coapoſtolis: vel *Paulus* cum iis ad quos ſcribit & loquitur de gaudio oppoſito triſtitiæ, quam illis pepererat ipſius objurgatio, de qua *cap.* 6. & 7. Ad hoc

enim parcebat eis ne triſtitiam haberent puniti, ſed gaudium abſque ſeveritate punitionis correcti. *Fide ſtare* dicit, pro eo quod eſt in fide ſtare, ut *Gal.* 5. Non negat eſſe qui vacillarent, ut qui dicebant reſurrectionem non eſſe: ſed in hoc laudat, quòd fidem Chriſtianam non deſererent, ſed in ejus confeſſione permanerent.

CAPUT II.

Ne eos triſtitiâ afficeret, ſe non veniſſe dicit; & mandat, ut pœnitentem fornicarium in Eccleſiæ conſortium recipiant, ſinceritatem ſuam in prædicando verbo commendans.

℣. 1. *Statui autem hoc ipſum apud me, ne iterùm in triſtitia venirem ad vos.*

Cauſam dicit retardati itineris paulò ante indicatam, quia decreverat non venire ad eos in triſtitia. *Iterum*, inquit, quia ſuperiore Epiſtolâ eos mœrore affecerat, noluit iterùm eos contriſtare, vel noluit ſecundum adventum eſſe cum triſtitia, illud *iterùm* cum adventu, non cum triſtitia conjungendo, ut *Theod.*

℣. 2. *Si enim ego contriſto vos: & quis eſt, qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me?*

Id eſt. Quód ſi ego *vos contriſto*, dum præſens ſum apud vos: quiſnam erit, obſecro, qui me apud vos exhilaret? Ac ſi dicat, nemo; nam vos ex me contriſtati me exhilarare non poteritis. Alius verò qui me exhilaret, apud vos nullus eſt.

℣. 3. *Et hoc ipſum ſcripſi vobis, ut non cùm venero, triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium veſtrûm eſt.*

Hoc ipſum quod ſe ſcripſiſſe dicit, intelligit *Chryſ.* & *Oecum.*, de eo quod ſcripſit inducens eos ad pœnitendum, *qui anteà peccaverunt*, infrà c. 12. *Theop.* refert ad hujus Epiſt. ſuperiora; ſic enim interpretatur: *Hoc ipſum quod parcens vobis nondum veni, ſcripſi* in hac epiſtola. Alii veroſimiliùs putant Apoſtolum reſpicere ad priorem Epiſtolam, quaſi dicat. De hac re; ſcilicet ut priùs emendaretis errata quàm ego venirem, ſcripſi ad vos in priore Epiſtola c. 4. 5. &. 6. *Ne cùm venero*, vel cùm *veniſſem* ad vos, ſcilicet nondum correctos, dolorem caperem ex iis de *quibus oportebat me gaudere*, id eſt, ex vobis qui mihi debebatis eſſe gaudii materia, quia veſter ſum Apoſtolus, & *vos opus meum eſtis in Domino*, 1. *Cor.* 9. Et quidem cum fructu gaudii veſtri, ut qui eam fiduciam animo jam dudum conceperim, quòd me gaudente ſitis omnes gaviſuri: vel quòd meum gaudium æſtimetis ut veſtrum. In ſumma ſignificat ſe gaudere velle, non tam ſui causâ quàm illorum, in quos ſuum gaudium erat redundaturum.

℣. 4. *Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacbrymas: non ut contriſtemini: ſed ut ſciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in vobis.*

Oſtendit, quòd dixit habiturum ſe triſtitiam ſi veniſſet, idque ex triſtitia quam habuit abſens. Nam ex multa cordis anxietate, utpote

vehementer ſollicitus quomodo peccata veſtra, quæ me contriſtabant, corrigi poſſent: *ſcripſi vobis* priorem Epiſtolam, nec id ſinè multis lachrymis; ſcripſi, inquam, cum obſurgatione: non ut contriſtaremini, non intendens malum triſtitiæ veſtræ: ſed bonum aliquod ei conjunctum, ſcilicet emendationem veſtram, ùt *cap. 7.* Sed ut ex meis literis teſtatam vobis facerem amoris, quem erga vos gero, magnitudinem.

℣. 5. *Si quis autem contriſtavit, non me contriſtavit: ſed ex parte, ut non onerem omnes vos.*

Si quis author fuit hujus triſtitiæ, *non me contriſtavit* ſolùm & propriè; *ſed* me contriſtavit *ex parte*, id eſt, ùt partem & membrum Eccleſiæ, quæ principaliter læſa & contriſtata fuit. Vel non me contriſtavit tantùm, ſed & vos in parte: ex *Chryſ.*, vel ſed & vos non omnes; *ſed ex parte, ut non onerem vos omnes*, quaſi fornicarii illius delicto conſentientes: Nam priore Epiſtolâ videbatur omnes taxaſſe indifferenter, dicens: *Et vos inflati eſtis, ac non magis luctum habuiſtis.* Si enim me ſolum contriſtaſſet: vos omnes eſſetis eâ triſtitiâ immunes: ideòque videremini peccati illius per conſenſum eſſe participes, quia qui non dolet de malo quod videt, conſentire videtur: Vel *non me contriſtavit*, abſolutè capiendo: *ſed ex parte*, id eſt, niſi ex parte. Vel qui contriſtavit, non me omninò contriſtavit, ſed ex parte aliqua ſecundùm rationis modum aliis multis bonis qui apud vos ſunt, ex altera parte me conſolantibus: ex *S. Th.* Vel non omninò me contriſtatum dixerim, ſed moderatè; ne ſi vehementiùs me contriſtatum dixero; vos etiam omnes qui me amatis, vehementiori triſtitiâ gravem.

℣. 6. *Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus:*

Fornicarium pœnitentem vult ab Eccleſia in gratiam recipi condonatione delicti quo eam contriſtaverat, & pro quo jam ſubiverat aliquantam pœnam, à fidelium communione ſeparatus, ac Satanæ traditus; id enim erat aliquouſque *ſatisfeciſſe*, quod ſignificat verbum ſufficit, ſatis eſt: ut *Act.* 17. *Sufficit*, inquam, pro ſatisfactione ſui delicti: ita nimirùm ut quamvis enormitas facinoris pœnam longè majorem ac diuturniorem meritò poſtulet: reliquum tamen pœnæ per indulgentiam ei condonetur: ex *Eſtio*.

℣. 7. *Ita utècontrariò magis donetis, & conſolemini, ne fortè abundantiori triſtitiâ abſorbeatur qui ejuſmodi eſt.*

Ita ut ècontrariò, id eſt loco ſeveritatis, quâ longiorem adhuc pœnam exigere poſſetis, potiùs uti vos oporteat lenitate & indulgentiâ, quâ condonetis ac remittatis, quidquid ei pœnæ reliquum eſt: jamque ſatis afflictum conſolemini, ut 1. *Theſſ*. 5. ℣. 14. Et per conſolationem non intelligit ſolam condonationem: ſed inſuper receptionem excommunicati in gremium Eccleſiæ, & quæ inde ſequitur fraternam allocutionem. Igitur duo præcipit Apoſtolus: ad communionem recipi pœnitentem, & à pœna per indulgentam liberari. Ne contingat eum ita totum ægritudine mœroris occupari, dum nec pœna mitigatur, nec conſolationis officium impeditur, ut ea prorsùs obruat hominem, pariatque in eo affectus ex immodico mœrore conſequi ſolitos, uti ſunt animum deſpondere, ſpem ſalutis abjicere, pietatis operibus renunciare, & à mundi vo-

luptatibus ſolatium quærere, ſicut de quibuſdam dicitur *Epheſ.* c. 4. ℣. 19. Et ne hoc faciat quod fecit Judas, ait *Chryſ.*

℣. 8. *Propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum charitatem.*

Propter quod, ne ſcilicet abundantiori triſtitiâ abſorbeatur, adhortor *ut confirmetis charitatem* ejus qui peccaverat: tanquam velit Apoſtolus hortatu fratrum confirmari in illo charitatem, quæ jam ante inerat & quæ illi non perierat: ita *Orig.*, qui videtur nomine *charitatis* amorem Eccleſiæ intelligere, id eſt, ſocietatis fidelium. Alii charitatem intelligunt Corinthiorum erga illum qui peccaverat. Hortatur autem & obſecrat, ut publico conſenſu ac decreto firmam ratamque faciant ſuam erga eum charitatem, recipiendo videlicet eum ad pacem Eccleſiæ. Obſecrat autem, & præcipere cùm poſſit, interceſſoris partes ſuſcipit, ut mitiores reddat eos & promptiores ad exequendum quod petit. Alioqui certè qui præceperat excommunicandum, præcipere etiam poterat abſolvendum & in communionem recipiendum. Quanquam & hoc præcipit in ſequentibus verbis, in eo quòd obedientiam requirit. Neque tamen in eo quòd judicium eis defert, plus aliquid illis tribuit quam debuit. Nam verè Eccleſia Corinthiorum in ſuis præfectis poteſtatem judicandi habebat; quâ ſicut uſa fuerat in excommunicando fornicario, ſic & uti poterat in eodem abſolvendo, vide 1. *Cor.* 5. Alii per charitatis confirmationem ſignificari putant Euchariſtiæ participationem, ut quæ erat ſymbolum redditæ communionis.

℣. 9. *Ideò enim & ſcripſi, ut cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis.*

Hebraiſmus; *cognoſcere experimentum*, eſt experiri, probare, cognoſcere per experientiam. Quòd ait *ſcripſi*, quidam ad verba præcedentia referunt hoc modo. Proptereà hæc ſcribo vobis, ut experiar & probem obedientiam veſtram in omnibus: id eſt, tam in officio charitatis ad recipiendum fratrem correctum; quàm in ſeveritate diſciplinæ quâ eum à veſtro conſortio ejeciſtis: aut ut videam, an ſicut obediſtis in eo excomunicando, ſic & obediatis in recipiendo: ita *Oecum.*

℣. 10. *Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti*,

Id eſt. Si eam pœnitenti culpam condonaveritis, & ego condonabo. Damnaverat enim illum fornicarium non ſolùm *Paulus*, ſed Corinthiorum Eccleſia, ſicut dixit priore Epiſtolâ, *congregatis vobis & meo ſpiritu judicavi hujuſmodi hominem tradere Satanæ*; & ideò vult illum pariter ab illis abſolvi: unde & prædixit ℣. 17. *ut è contrariò magis donetis*; & nunc *cui aliquid donaſti, & ego.... in perſona Chriſti*, id eſt, ob gloriam Chriſti, vel coram Chriſto, vel Chriſti nomine, cujus authoritate id facimus. *Donaſtis* dixit, ne fornicarius ille, & quia fatebatur peccatum & ſatis jam pœnituerat, ſolutum ſe jam & liberum eſſe à ſcelere exiſtimaret. Videant igitur qui excommunicationem negligunt antiquiſſimam Eccleſiæ diſciplinam, non ſatis eſſe excommunicato ſi ad meliorem frugem redierit, niſi in Eccleſiæ conſortium receptus & ab illa abſolutus declaretur, ait *Gaig. Donavi*, inquit, quia jam apud

ſe ſtatuerat hanc condonationem facere, ùt & priùs excommunicationem decreverat quàm excommunicaret, 1. *Cor*.5. Vel quia aliis adhuc aliquando condonaverat: vel quia loquitur de condonatione ſeu facta ſeu facienda: ut *donavi* poſitum ſit pro *donaverim, condonaverim. Paulus* & præfecti Eccleſiæ id faciunt poteſtate juxta verba Chriſti ad Apoſtolos *Matth*. c. 18. ℣. 18. Cæteri verò fideles unà cum præfectis condonant & ſolvunt conſenſu, deſiderio, commiſeratione, & precibus ad Deum fuſis pro fratre peccatore. Sicut & nos aliquo modo dimittimus peccata debitoribus noſtris: ex *Auguſt. tract*. 58. *in Joan*. & ex *Ambr*. exponente illud lucæ *ſolvite eum* c. 19. ℣. 30. Et ſancti in cœlo ſolvunt modo perfectiore, ſcilicet interceſſione & merito: ex *Ambr*. 11. *Ut non circumveniamur à Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus*. Hoc (inquit) dico, nempe condonationem faciendam eſſe tum fratri propter quem hæc ſcribuntur, tum aliis ſimiliter à lapſu pœnitentibus, ne à Satana decipiamur, & occaſione noſtræ nimiæ ſeveritatis illos nobis eripiat, & ſic Chriſti gregem diminuat, & corpus noſtrum diſſipet, & ſic ſpecie boni nos decipiat: ſic *Chryſ. Non enim ignoramus cogitationes illius* quòd variæ ac doloſæ ſint: Græcè aſtutias, injectiones, illaqueationes, mentes vafras. Neque enim ex eo dumtaxat quòd in fornicationem conjiciat, ſed etiam ex mœrore qui in reſipiſcentia ſumitur, poteſt ad deſperationem ſupplantare, ſi fuerit immodicus: ex *Chryſ*. Sic ſub ſpecie boni Evam ſeduxit, *Gen*. 3. Sic per occaſionem diſciplinæ noſtræ in illum qui peccavit, alioſve ſimiles tentat impellere in baratrum deſperationis; ex *Auguſt. lib*. 3. *contra Parmen*. c. 1. &c.

℣. 11. *Ut non circumveniamur à ſatana: non enim ignoramus cogitationes ejus.*

℣. 12. *Cùm veniſſem autem Troadem propter Evangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino,*

Sunt qui putant hoc narrari ut alteram adferat cauſam dilati ſui adventûs, ſcilicet ex fructu Evangelii quem albi faciebat, & ampliùs facturum ſe ſperabat: ne videlicet tam inſigne bonum per ſuam ad Corinthios acceleratam profectionem impediretur. Alii quòd præter afflictiones etiam Titi abſentia ipſum affligit, quòd cùm etiam *apertum eſſet oſtium*, & plures eſſent diſcipuli & mentes diſpoſitæ & paratæ ad recipiendum prædicationis verbum & Chriſtum: ſed non in quocumque, immò *in Domino*, quia ipſa præparatio mentis humanæ ex virtute divina eſt. Nam licèt facilitas quâ mentes præparantur, ſit cauſa converſionis, tamen ipſius facilitatis & præparationis cauſa eſt Deus: *Thren. ult. Cùm* inquit *apertum eſſet oſtium in Domino*, in Chriſti Domini negotio; *vel per Dominum*, quòd eſt Domino operante, ait *S. Thom.*

℣. 13. *Non habui requiem ſpiritui meo, eo quòd non invenerim Titum fratrem meum, ſed valefaciens eis, profectus ſum in Macedoniam.*

Titi utilitatem oſtendit, quia ſinè illo licèt apertum eſſet oſtium, non tamen habuit relaxationem, animo non conquievit, ſperatam conſolationem non invenit, ait *Hieron.*; eo quòd ille non adeſſet. Hoc autem dicit, & Titum commendans Corinthiis (rurſum enim ipſum ad eos miſſurus erat) & proprium circa illos ſtudium oſtendens. Quanquam enim

adeo utilis, & in prædicatione, & in omnibus eſſet Titus, ipſe tamen illorum præponit utilitatem: ideò & emiſit ad eos & emittet, cùm ipſe multùm egeret ejus præſentiâ: ita *Oecum.* Moleſtè autem ferebat abſentiam, quia cùm non poſſet divinorum ſenſuum majeſtatem digno Græci eloquii ſermone explicare, Titum habebat interpretem, ſicut & beatus *Petrus* Marcum, ait *Hieron.*; quia Apoſtoli quamvis dono linguarum præditi eſſent, non tamen eo ſemper & pro arbitrio uti poterant, quomodo quis utitur linguâ quam didicit; ſed tunc ſolùm quando ad loquendum linguis à Spiritu ſancto moveri ſe ſentiebant; ùt & accidebat eis in dono prophetandi & miracula faciendi. Vel quia licèt Græcè noſſet ac loqueretur, ſive ex inſtitutione, ùt *Act.* 21., ſive ex dono non per modum actûs, ſed per modum etiam habitûs; quia tamen Hebræus erat gente ac linguâ, non poterat perfectam Græcæ linguæ pronunciationem aſſequi, ideòque Titum cui Græca lingua nativa erat, interpretem & oratorem (quo uti ſolitus erat) deſideravit. Et quamvis demus Apoſtolos pari facilitate potuiſſe pronunciare linguas peregrinas, quâ domeſticam, id eſt, hebræam: non tamen eas ſonabant pari nitore ſermonis & eloquentiæ. Hanc tamen explicationem rejicit *S. Thomas.* Græci dicunt abſentiam Titi velut egregii & neceſſarii coöperatoris in cauſa fuiſſe quo minùs Apoſtolus quòd Troade cœperat, poſſet abſolvere. Vel quòd ſolatium Titi deeſſet, laborem apud Troadenſes intollerabilem fuiſſe. Vel quòd Titus ſi præſens fuiſſet, inſtitiſſet prædicationi & converſioni bonorum: *Paulus* verò velut doctior reſtitiſſet adverſariis. Vel ideò requiem non habuit *Paulus* quia per Titum, quem Corinthum miſerat, expectabat ut ſibi nunciaretur, an Co-

rinthii jam ſe correxiſſent, ut ſit ſenſus. Poſtquam Epheſo digreſſus veni Troadem Evangelii cauſâ, quamvis in ea urbe ſpes copioſi fructûs appareret, ideò tamen rerum veſtrarum curâ & ſollicitudine tenebar, ut illic non putaverim mihi ſubſiſtendum, eo quòd Titus quem à vobis expectabam, non adveniſſet: ita *Primaſius & Theod.* Sed cùm fratres illic morantes datis mandatis dimiſiſſem, abivi, diſceſſi in Macedoniam; ſcilicet Titum illic exſpectaturus & ex eo de vobis aliquid certi cogniturus: quem & inveniſſe ſe tandem, eoque referente læta de Corinthiis audiviſſe teſtatur *cap.* 7. Nec dubium quin diſcedens aliquem reliquerit Troade, qui Eccleſiam regeret, & fortaſſe Carpum, cujus meminit 2. *Tim.* 4. & Troadem reverſus fuerit, ùt ex *Act.* 20. colligi poſſe videtur.

℣. 14. *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco:*

Deinde poſtquam multos recenſuit dolores, quos in Aſia & Troade acceperat, ne verba hæc exiſtiment eſſe lugentis, ſubjungit. *Deo autem gratias, qui triumphat* de nobis, ſive triumphum ſuum agit per nos, ex *Hier.* Hoc eſt Deum per Apoſtolos triumphare in Chriſto: *qui ſemper triumphat nos*, id eſt, ex victoriis; quas à Diabolo & hominibus reportamus, illuſtres & conſpicuos nos facit, velut publicè triumphum agentes. Vel triumphare nos facit, ac ſi diceret, qui non ſolùm victores efficit, ſed etiam ex victoria reddit glorioſos; idque per Chriſtum, in quo ſolo vincimus & triumphamus, ùt *Col.* 2.; *& manifeſtat odorem ſuæ notitiæ*, hoc eſt bene fragrantem ſui cognitio-

nem

nem velut odorem ſpargit, res enim odoriferæ ſi conterantur, ut vehementiùs olent, ita longiùs olent, ita longiùs ſpargunt odorem: *Cant.* I. ex *Chryſ.*

℣. 15. *Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis, qui ſalvi fiunt, & in iis, qui pereunt:*

Id eſt. Prædicatio noſtra illi placet & accepta eſt, ſive credulis ſive infidelibus prædicamus, ſive bonis qui nos diligunt, ſive æmulis; quia quod ad nos attinet, ſalvari omnes cupimus: licèt aliquibus eſt *odor mortis* in mortem, id eſt, grave illis olet & diſplicet, unde & mortem æternam incurrent: aliis autem *odor vitæ*. Hoc enim eſt quod ſubdit: ex *Chryſ.*

℣. 16. *Aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus?*

Qui *odor* malis ac reprobis lethalis erat, non ſuo ſed illorum vitio: ſic & lumen ſolis, ex *Chryſ.* oculos ſanos recreat, debiles offendit, & ipſe Chriſtus aliis in reſurrectionem poſitus eſt, *Luc.* 2. *Ad hæc facienda quis* poteſt *tam idoneus* eſſe quàm nos, qui ad hoc ſumus electi? Vel quotuſquiſque miniſtrorum Evangelii idoneus eſt ad hæc quæ dico præſtanda; ſcilicet ut ſit bonus Chriſti odor in omni loco, id eſt, ut bonam famam evangelii Chriſti de ſe ſpargat apud omnes. Idoneum intelligit qui re ipſâ talem ſe præbet. Græci non legunt *tam*, & ſenſus eſt, *quis idoneus*? Nullus: ſic *Chryſ.*

℣. 17. *Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur.*

Ut multi falſificantes: Græci interpretantur

non adulteramus *verbum Dei*, id eſt, neque gratiam ejus extinguimus, aſſerentes nos ad illam prædicandam eſſe idoneos. Pſeudoapoſtolos notat & vitiantes verbum Dei, ſanamque doctrinam permixtione falſitatis: quod faciunt caupones vinum aquâ miſcentes. Sed tanquam ſincerus Evangeliſta, qui neque Dei verbum adulterat admixtione alienæ doctrinæ, neque eo abutitur ad quæſtum, aut gloriam humanam: ſed tanquam acceptam à Deo, loquimur *coram Deo*, vel in conſpectu Dei, Deum teſtem judicem præ oculis habentes *in Chriſto*, per Chriſtum, vel authoritate Chriſti: ex *Chryſ.*

CAPUT III.

Aſſerit ſe commendatitiis epiſtolis non indigere: commendationem ſatis habens ex illorum fide: Excellentiorem Evangelii quàm legis gloriam: & Judaïcorum cæcitatem aperit.

℣. 1. *Incipimus iterùm noſmetipſos commendare? aut numquid egemus (ſicut quidam) commendatitiis epiſtolis ad vos, aut ex vobis?*

S*Icut quidam*, quia circa finem præcedentis capitis viſus erat ſe laudare, atque ideò ſuſpicari poterant commendandi ſui gratiâ, ſeque in illorum benevolentiam inſinuandi ea dixiſſe: tollit hanc ſuſpicionem. *Incipimus*, (inquit) *iterùm noſmetipſos commendare*; aut benevolentiæ veſtræ inſinuari quærimus? *Numquid egemus* aliorum *commendatitiis epiſtolis ad vos, aut ex vobis* ad alios, *ſicut quidam*, ſupple, *egent*, id eſt, commendatitias ſtudioſè conquirunt. Undique pſeudoapoſtolos notat, ùt c. 10. ex *Chryſ.*

℣. 2. *Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur, & legitur ab omnibus hominibus:*

Vos Eſtis mihi vice epiſtolæ commendatitiæ, quorum virtutes in noſtri commendationem omnibus proferimus, ùt *cap.* 9. Vos eſtis indelebiliter animo meo inſcripti & infixi: *quæ ſcitur & legitur ab omnibus*: ſcilicet dum veſtrarum virtutum mentionem ubique facio: hinc legitur quòd eſtis nobis vice commendatitiæ epiſtolæ, ùt 1. *Cor.* 9.

℣. 3. *Manifeſtati quòd epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.*

Dum manifeſtum eſt quòd menti veſtræ Chriſtus inſcriptus eſt, cujus leges & mandata in corde ſcripta habetis, & hoc modo epiſtola eſtis *miniſtrata à nobis*, noſtro miniſterio, conſcripta *Spiritu Dei vivi* quem in vobis illo largiente inſcripſimus: *non in lapideis*, quomodo olim lex, ſed *in carneis* mentis veſtræ *tabulis*, iiſque non duris inſtar lapidis, ſed mollibus inſtar carnis; id eſt, facilibus & promptis ad obediendum, ùt *Ezech.* 11. & 36. Corinthii fideles ſunt epiſtola, in quantum fides & charitas & cætera quæ lex nova præcipit, in eorum cordibus impreſſa erant per Spiritum Sanctum.

℣. 4. *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum:*

Scilicet quòd epiſtola eſtis miniſtrata à nobis Deique ſpiritu inſcripta, non noſtro merito, qui nos inidoneos miniſtros agnoſcimus: ſed Dei gratiâ, qui nos idoneos fecit miniſtros no-

vi teſtamenti: de ea re non in nobis, ſed in Chriſto & per Chriſtum gloriamur *apud Deum*, à quo ſcilicet miniſterii noſtri præmium expectamus, ùt ad *Rom.* 4.

℣. 5. *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt:*

Græcè, *non quòd idonei ſumus à nobis ipſis cogitare aliquid*, cogitatione ſcilicet ejus quòd attinet ad pietatis viam & verum Dei cultum, ait *Aug. lib. de dono perſ.* c. 13., atque cogitatione non qualicumque, ſed afficiente voluntatem. Nam bonum aliquid & pium cogitare ſolâ mentis apprehenſione, ſic ut voluntas rei cogitatæ vel apprehenſæ nullatenùs afficiatur, poteſt homo ex ſeipſo ac ſolis naturæ viribus: neque ad hujuſmodi cogitationem opus habet gratiâ Dei per Chriſtum. Sed illud propriè nec Latinis eſt cogitare, nec Græcis λογίσασθαι Quod quidem verbum non ſimpliciter ſignificat animo quippiam apprehendere, ſed cum deliberato rationis judicio & voluntatis affectu: ùt accipitur *Philip.* 4. ℣. 3. & 1. *Cor.* 13. ℣. 5. Sed idoneitas, ſeu quòd idonei ſumus ad aliquid boni vel cogitandum vel agendum: verbo, quidquid boni poſſumus, id totum *ex Deo eſt* per Chriſtum: Græci verò ſic explicant non aliud eſſe noſtrum, aliud Dei, adeòque nihil planè noſtrum eſſe, ne minimum quidem; ſed totum Deo adſcribendum: ita *Chryſ. & S. Thom.*

℣. 6. *Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti: non litterâ, ſed ſpiritu: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.*

Tranſit ad commonſtrandam dignitatem & excellentiam miniſterii ſibi crediti, quod erat

miniſterium novæ legis, idque ex comparatione ejus cum lege veteri, ut *Col.* I. ℣. 12. Græcè, *idoneos*, ſufficientes *nos fecit*; ut ſenſus ſit: Qui Deus inter alia bona quæ ex ipſo habemus, etiam hoc nobis Apoſtolis contulit, quod aptaverit & idoneos reddiderit novi teſtamenti miniſtros. Idoneos autem, non quæ noſtra ſunt quærentes, ſed quæ Jeſu Chriſti; neque verbum Dei adulterantes, ſed ex ſinceritate tanquam coram Deo illud annunciantes: ut ſit velut reſponſio ad id quod interrogaverat. *Et ad hæc quis idoneus?* nos idonei ſumus non ex nobis, ſed ex Deo, qui nos idoneos fecit *novi teſtamenti miniſtros.* Eſt autem novum teſtamentum, pactum ſeu promiſſio vitæ æternæ gratuitò donandæ nobis à Deo per Chriſtum. *Non ſecundùm litteram, ſed ſpiritum.* Græci habent, non *litteræ & ſpiritûs*: ut intelligas Apoſtolos miniſtros ſpiritûs non litteræ. Litteram autem hoc loco intelligit legem Moſaïcam, *quæ occidit* dum ſui trangreſſores capitaliter punit: ſpiritum autem legem Evangelicam, quæ *vivificat* vitam æternam largiendo, ùt ad *Rom.* c. 4. ℣. 15. c. 5. ℣. 20. c. 7. ℣. 5. & *ſeq.* 1 *Cor.* c. 15. ℣ 56. & *Gal.* c. 3. ℣ 19. *Eſtio* tamen præplacet, quòd Apoſtolus hìc dicat, *litteram*, id eſt legem veterem *occidere*, quia eos, quibus data eſt, æternæ morti reddit obnoxios: non quidem per ſe; ſed ex occaſione latentis in eis concupiſcentiæ: & profectò hæc expoſitio conformior videtur textibus citatis.

℣. 7. Quòd ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non poſſent intendere filii Iſraël in faciem Moyſi propter gloriam vultûs ejus, quæ evacuatur:

℣. 8. *Quomodo non magis miniſtratio Spiritûs erit in gloria?*

℣. 9. *Nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt: multò magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria.*

Ex dato diſcrimine legis & Spiritûs colligit quantò plus gloriæ debeatur miniſterio novæ legis quàm veteris. Quòd ſi (inquit) miniſterium legis occidentis atque mortiferæ, tabulis lapideis inſculptæ, glorioſum fuit, utpotè glorificatum per inſignem claritatem & ſplendorem vultûs *Moyſi*, quando ſecundò deſcendit de monte legem adferens, ùt *Exod.* 34. (Alii *miniſtrationem mortis in litteris* exponunt legem mortis miniſtratam) adeò, inquam, clarificatum fuit illud legis occidentis miniſterium, *ut non poſſent filii Iſraël* intentis oculis aſpicere *faciem Moyſi* miniſtrantis legem, idque *propter gloriam*, ſeu claritatem *vultûs ejus* inſigniter radiantis *ex conſortio ſermonis Domini*, quæ tamen *evacuatur*, id eſt, evaneſcit ac perit (neque enim perpetuò reſplenduit facies Moyſi) *quantò magis miniſtratio ſpiritûs*, id eſt, lex Evangelica glorioſa, quæ ſpiritum largitur, *erit*? Si enim *miniſtratio damnationis*, id eſt, lex damnationis adminiſtra, quia ſuos prævaricatores morte damnabat vel mortis æternæ occaſio erat, glorioſa fuit, glorioſiorem oportet eſſe legem Evangelicam, id eſt, *juſtitiæ*, hoc eſt, juſtificationis adminiſtratricem: ex *Gaig*.

℣. 10. *Nam nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.*

Quamquam (inquit) *quod claruit*, id eſt, lex quæ glorificata eſt in legiſlatore Moyſe, non verè glorificata *eſt in hac parte*, id eſt, in

comparationem legis Evangelicæ *propter excellentem* ejus *gloriam*; ſic enim Græci interpretantur *in hac parte*; & referunt ad *glorificatum eſt*, non ad *claruit*.

℣. 11. *Si enim quod evacuatur, per gloriam eſt: multò magis quod manet, in gloria eſt.*

Id eſt. Si miniſterium quod cum lege abolendum erat, & jam abolitum eſt, glorioſum fuit: *multò magis* miniſterium legis uſque in finem permanſuræ glorioſum erit: ſiquidem major debetur gloria rebus permanſuris, quàm abolendis; quo ſenſu Chriſto tribuitur ſempiternum ſacerdotium. *Heb.* 7.

℣. 12. *Habentes igitur talem ſpem, multâ fiduciâ utimur:*

Spem de permanente gloria Evangelii; pro *fiducia*. Græcè libertas, & audacia. Cum igitur, inquit, nos Evangelicæ legis miniſtri *ſpem* habeamus tam excellentis gloriæ, quam ex miniſterio noſtro expectamus; multâ libertate utimur in Evangelio prædicando: id enim convenit luci ac gloriæ legis Evangelicæ.

℣. 13. *Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſraël in faciem ejus, quod evacuatur,*

℣. 14. *Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Uſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum, (quoniam in Chriſto evacuatur).*

Explenda ſententia eſt; & *non facimus ſicut Moyſes*, qui *velamen ponebat ſuper faciem*

ſuam; id eſt, non occultamus Evangelii lucem, ſicut Moyſes in typo fecit, occultans eam Iſraëlitis. Hanc verò Moyſi hiſtoriam myſticè *Paulus* accipit: *velamen* enim quo ſplendentem faciem velabat Moyſes, carnalium ceremoniarum obſervantiam, aut rerum temporalium promiſſiones ſignificabat, quæ non ſinebant Judæos carni inhærentes in faciem Moyſi proſpicere, id eſt, claram & lucidam & ſpiritualem legis intelligentiam habere, *obtuſam* mentem habentes; quòd carnalium ceremoniarum & intelligentiarum velamen, adhuc *Pauli* tempore faciem illos Moyſi, id eſt, claram legis ac veteris teſtamenti cognitionem intueri ac noſſe non ſinebat: quod tamen velamen (inquit) *evacuatur* & tollitur *à Chriſto*, qui finis legis fide receptus: quem cùm Judæi non receperint, ſequitur nondum eſſe remotum ab eorum oculis, id eſt, mentibus velamen.

℣. 15. *Sed uſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.*

Repetit idem ut addat aliquid quo velaminis ſignificationem clariùs explicet. *Sed* (inquit) *uſque in* hoc tempus *cùm* in eorum ſynagogis *legitur* lex vetus à Moyſe ſcripta (per omne ſabbathum *Act.* 15.) manet *velamen ſuperpoſitum* cordibus eorum; ubi ſignificatur velamen iſtud eſſe aliquid inhærens animis, quocirca non obſcuritas librorum legis & prophetarum, ut quidam putant; ſed mentis hebetudo, quam parit affectio carnalis ac terrena, quâ nimirùm mens impeditur, ne Scripturas intelligat & veritati acquieſcat, quòd eſt nolle credere, myſticè per velamen ſignificatur: ex *Orig. hom.* 12. *ſuper Exod.*

℣. 16. Cùm autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.

Ad Dominum, qui *ſpiritus* dicitur ℣. 17. quoties ſcilicet relictâ litterâ Spiritui ſancto ſpiritualem ſenſum docenti adhæſerint, vel cùm converſus fuerit Iſraël ad Deum ſeu ad Dominum, ſive totus ùt in fine ſæculi, ſive aliquis ex eis, *tunc auferetur velamen* de cordibus eorum. Alii *converſus fuerit* ad Moyſen referunt. Moyſes averſus à Domino, & facie velatus ſignificavit populum veterem Deo contrarium, & cor habentem obſcuratum: Idem verò Moyſes converſus ad Dominum atque retectam habens faciem typum geſſit populi Chriſtiani ad Deum converſi, & revelatâ facie cordis ſalutis myſteria contemplantis: ex *Eſtio.*

℣. 17. Dominus autem Spiritus eſt: ubi autem Spiritus Domini: ibi libertas.

Deinde ne quiſquam infirmiorum auditorum audiens quòd Moyſes ad Dominum converſus auferebat velamen, ipſe verò cùm à *Paulo* ad ſpiritum converti admonetur, putet ſe ad Dominum non converti. Subjungit *Dominus autem ſpiritus eſt.* Ne timueris (inquit,) etiam ad Dominum converteris, cùm ad ſpiritum converteris: Nam *Dominus ſpiritus eſt*, ejuſdem majeſtatis, eodem modo adorandus, ejuſdemque ſubſtantiæ cum Patre ac Filio. *Libertas* dicitur prout opponitur ſervituti & jugo legis, in fide enim Chriſti libertas, ùt *Joan.* 3. ℣. 8. 1. *Cor.* 12. ℣. 11.; & ſpecialiter, attenditur illa mentis libertas, quâ liberè & abſque velaminis impedimento rem objectam mens aſpicit & conſiderat. Nam & hanc libertatem adfert Spiritûs ſancti præſentia.

℣. 18. *Nos verò omnes, revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu.*

Adeo, inquit, in libertate ſumus, ut omnes *nos detectâ facie* (neque enim apud credentes contigit eſſe velamen) *gloriam Domini* intuentes *transformemur.* Ut enim argentum ſoli oppoſitum, ipſum etiam quoſdam emittit radios per incurſum ſolis: ita & nos in baptiſmate per ſpiritum repurgati & illius radiis illuſtrati ſplendorem quemdam intelligibilem emittimus. Vult autem & ipſos ad Apoſtolorum ordinem adducere in eo quod ait. *Nos autem omnes gloriam Domini* in *ſpeculo videntes*, hoc eſt, ſpiritu illuminati *à claritate in claritatem*, vel ut aliqui legunt, *à gloria*, ſcilicet Domini *in gloriam*, id eſt, in ipſum ſplendorem *transformamur* à gloria ſpiritûs ad noſtram gloriam factâ tranſmutatione; & ad talem, inquit, gloriam pervenimus, ad quam veriſimile eſt pervenire eum qui *à Domini ſpiritu*, ſive à Paracleto illuminatur, & obſcurâ imagine gloriæ ejus inſignitur. Vel ejuſdem gloriæ imagine in nobis ùt in ſpeculo receptâ velut in eam transformamur: nam imago in ſpeculo quodammodo forma ſpeculi eſt. Vel per gloriam & imaginem idem ſignificatur, nempe Chriſtus qui eſt gloria & imago Dei increata; quomodo vir eſt imago & gloria Dei creata, 1. *Cor.* 11. Senſus autem totius loci eſt. Moyſes ablato velamine Dominum aſpiciens ſignificat nos Evangelii miniſtros, quotquot ſumus qui revelatâ facie gloriam Domini, id eſt, notitiam myſteriorum ſalutis noſtræ, quibus glorificatur Deus, non ſolùm in nobis velut ſpeculis quibuſdam recipimus: verùm etiam more ſpeculorum refundimus ad alios, id eſt,

aliorum mentibus eandem notitiam apertâ ac liberâ Evangelii prædicatione repreſentamus; nimirùm à ſpiritu libertatis authore, cujus miniſterium obimus, ad hoc impulſi: ita & *Gaig.*

CAPUT. IV.

Se non ſuam, ſed Chriſti gloriam in prædicando quærere: ſeque affligi, ſed non dejici ait, ob ſpem repoſitæ ſibi æternæ gloriæ.

℣. 1. *Ideò habentes adminiſtrationem, juxtà quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus,*

Pergit exponere miniſtrorum novæ legis officium, & collegas ſuos Titum, Silvanum, Timotheum & alios comprehendit. Cùm igitur, inquit, hoc tam excellenti miniſterio fungamur, non noſtris meritis, ſed gratuitâ Dei benignitate & electione ad illud vocati, *non deficimus*, id eſt, non ſuccumbimus malis & adverſitatibus, quæ nobis accidunt hujus miniſterii causâ: ita *Chryſ.*

℣. 2. *Sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo.*

Hebraïſmus, *occultamenta dedecoris*, id eſt, occulta dedecora, quæ ſolent à peccantibus occultari, quæ manifeſta cùm fiunt, ignominiam afferunt perpetranti. Arguit enim pſeudoapoſtolos, qui cùm pietatis & ſanctitatis umbram

quamdam præ ſe ferrent, & externam ſpeciem intùs tamen eſſent impuri. Apoſtolus verò ait ſuas actiones miniſterio ſibi credito reſpondere: ut quomodo miniſterium eſt claritatis ac veritatis revelatæ: ſic actiones ſint ejuſmodi, præclaram lucem ament, non quæ latebras quærant: non *in aſtutiâ* aliud loquentes, aliud cogitantes, neque dolosè tractantes ſive falſificantes *verbum Dei*: ùt qui non diſpenſant illud, quale traditum eſt purum, ſincerum ac integrum, ſed permixtione ſapientiæ ſecularis aut Judaïcæ doctrinæ corrumpunt & vitiant: aut certè in eo miniſtrando ſuam, non Dei gloriam quærunt; qualia Pſeudoapoſtoli faciebant, quos infrà *cap.* 11. ſubdolos operarios appellat. Nos verò nihil in actionibus noſtris ſimulantes nudâ veritate, ac rebus ipſis noſmetipſos commendamus omnium hominum conſcientiæ, ſive credentium, ſive non credentium: ex *Chryſ.* Vel *in manifeſtatione veritatis*, ad doctrinam refertur; hoc modo: ſed apertâ & ſincerâ prædicatione veritatis Evangelicæ probamus nos omnium conſcientiis veros & idoneos Evangelii miniſtros: ita ut ſi dicere velint homines quod ſentiunt, negare non poſſint, nos Evangelii negotium agere ſincerè & ex animo, velut *coram Deo* judice, quem nemo fallere poteſt. Vel ad veritatem vitæ ſimul & doctrinæ, ut ſenſus ſit: Tam vitæ noſtræ, quàm Doctrinæ ſinceritas omnibus eſt manifeſta, ac ſeipſum omnibus commendat & probat: adeò ut nec ipſum Deum, qui intuetur occulta cordium, judicem refugiat: ex Græcis & *Cajet.*

℣. 3. *Quòd ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum; in iis, qui pereunt, eſt opertum:*

Quia prædixerat omnes revelatâ facie gloriam

Domini contemplari, præoccupat id quod ſibi opponi poſſet, dicens, ſi aliquibus *incognitum eſt Evangelium*; per eorum infidelitatem ſtare, ob quam ne cognoſcerent, illorum mentes Diabolus excæcavit, ut manifeſtam Evangelii lucem non percipiant. Unde quòd dixit velamen eſſe poſitum ſuper cor eorum præcedenti capite, id nunc universè de reprobis ſignificat. Non ergo id provenit à parte miniſtrorum novæ legis, quaſi lumen Evangelii ſuâ prædicatione non ſatis oſtendant, quomodo veteris legis miniſter Moyſes ſui vultûs claritatem velo obtegebat, ne videretur à populo. *Quòd ſi* adhuc velatum & occultum eſt quibuſdam Evangelium quod prædicamus: duntaxat *iis qui pereunt*, id eſt, reprobis velatum eſt & occultum.

℣. 4. *In quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.*

Deus verus ac bonus intelligitur, qui excæcare dicitur infidelium mentes non malitiam impertiendo, ſed gratiam non largiendo, quâ prædicato ſibi Evangelio non credant: ita *Chryſ. Iren. lib.* 3. *cont. Gnoſt.* c. 7. & *lib.* 4. c. 48. & *Tert. lib.* 5. *cont. Marcion.* c. 11. & *Aug. lib.* 21. *cont. Fauſtum Manich.* c. 2. & *contra adverſ. legis & prophet. lib.* 2. c. 7. & 8.; oſtendens ex aliis Scripturis quomodo rectè dicatur, Deum excæcare mentes quorundam; id enim facere *non malitiâ, ſed juſtitiâ*, videlicet ob merita præcedentium peccatorum. Hoc autem modo accipiendo vocem *Deus*, ly *ut* in verbis ſequentibus conſequentiam, vel eventum ſignificat, non cauſam. Alii inter quos *Eſtius*, reflectentes, Apoſtolum Deum dicere cum ad-

junctione *hujus ſæculi* putant intelligi Diabolum, qui principes hujus ſæculi intelligitur, quia nimirùm iis principatur qui terrena ac peritura bona cœleſtibus anteponunt: ex *Cyr. l.* 8. *ſup. Joan. c.* 16.; vel quia mundum hunc inferiorem, in quo nos verſamur, ſibi quodammodo ſubjectum habet: quatenùs ſcilicet in pœnam peccati quod in hunc mundum invexit, & per quod hominem ſibi ſubegit, data eſt ei poteſtas (reſtricta tamen arbitrio voluntatis divinæ) tam ſpiritualiter, quàm corporaliter hominibus nocendi per elementa ac res cæteras humanis uſibus ſubſervientes, propter quod & cibus quem ſumimus, *ſanctificatur per verbum Dei, & orationem* 1. *Timoth.* 4. vide *Rom.* 8. ℣. 20. 1. *Cor.* 2. ℣. 8. *Eph.* 2. ℣. 2. & c. 6. ℣. 12. Diabolus etiam mundi rector, tenebrarum harum dicitur *Joan.* 12. 14. & 16. Senſus juxta hanc expoſitionem eſt. Obvelatum eſt Evangelium noſtrum iis qui pereunt, hoc eſt infidelibus, quorum mentes hujus ſæculi Deus, id eſt, Diabolus excæcavit, dum pravis ſuggeſtionibus & ſuaſionibus eos avertit à fide Evangelii ipſis annunciati: ſic etiam exponit *Auguſt. lib.* 21. *cont. Fauſtum.* c. 9. Dicit itaque Apoſtolus Diabolum velo quodam excæcationis obtegere mentes infidelium, reproborum, ut eos ſuis radiis non attingat lumen Evangelii: cujus prædicatione gloria Chriſti per Apoſtolos ipſius miniſtros ejuſque lumine perfuſos ad aliorum illuminationem toto mundo diffunditur, ac ſi dicat, Chriſtum nobis eſſe imaginem Dei, primùm quidem Apoſtolis, qui propiùs eum intuiti ſunt: Deinde & cæteris per Apoſtolos ad eandem imaginem intuendam adductis; ſic enim qui vident Chriſtum, vident & Patrem, cujus eſt imago ſecundùm naturam increatam, à quo emanat tanquam lumen de lumine: *Hebr.* 1. *Sap.* 7.

℣. 5. *Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: nos autem ſervos veſtros per Jeſum:*

Hoc refertur ad id quod præceſſit, *commendantes noſmetipſos, non enim prædicamus noſmetipſos*, id eſt, ad gloriam & quæſtum noſtrum; *ſed Chriſtum*, id eſt, ad gloriam Chriſti. Vel ſignificat Apoſtolus cur addiderit *gloriæ Chriſti*, ſimulque verum officium miniſtri Evangelici pergit declarare: nempe ut omnis prædicatio noſtra ad eum referatur, ùt Dominum noſtrum, vel etiam totius creaturæ, 1. *Cor.* 15. ℣. 27. *Heb.* 1. ℣. 2. Noſmetipſos autem vobis exhibemus, *ùt ſervos*; palam fatemur, nos non aliud eſſe quàm *ſervos veſtros* propter *Jeſum* Dominum, à quo miniſterium hoc nobis injunctum eſt, ùt 1. *Cor.* 9. ℣. 19.

℣. 6. *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu.*

Quare teipſum dicis ſervum noſtrum? Quare? Quia amati eſtis, inquit, à Deo: ipſe enim qui ab initio juſſit, *Gen.* 1. ut à tenebris lux illuceſceret, eſt is qui *illuxit*, hoc eſt, hic *illuxit in cordibus noſtris*, illuxit autem illuminans nos ac revelans ſui notitiam & gloriam: vel illuxit nobis, ut nos illuminaremus alios, refuſo ſcilicet à nobis in illos eodem lumine cognitionis gloriæ ejus, claramque & glorioſam ipſius cognitionem (hoc eſt enim quod vocat ſcientiam claritatis Dei) illuceſcere aliis faceremus. *In facie*, hoc eſt per faciem Chriſti. Nam per Filium accepimus veram Patris cognitionem, ùt ipſe ait *Joan.* 17. Ex manifeſtatum eſt

nobis quòd ſit Pater; & quòd in Trinitate ejuſdem eſſentiæ, ejuſdemque potentiæ colatur Deus: ex *Occum.* Vel Græcè *in perſona*, id eſt, vice, nomine & authoritate *Chriſti*, cujus nos hac in parte legati ſumus & miniſtri, ùt c. 3. & 5.

℣. 7. *Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus: ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.*

Theſaurum, id eſt, auguſtum munus iſtud Evangelicæ prædicationis *habemus in vaſis fictilibus* fragili hoc corpore, *ut ſublimitas ſit virtutis Dei*, id eſt, ne noſtris meritis tantam dignitatem tribueremus, ſed ſublimi Dei potentiæ ac virtuti, qui vaſis fictilibus tantùm divinæ ſapientiæ theſaurum credere dignatus eſt, ait *Gaig.* Sunt qui theſaurum intelligunt illuminationis, ùt *S. Thom.* Nam miniſterium Evangelicæ prædicationis eſt miniſterium illuminationis in vaſis fictilibus, alludens ad lumina quæ portantur in vaſculis. Simul oſtendens illum theſaurum ab Apoſtolis non occultari, ſed palam mundo exhiberi more lucernæ, ùt *Matth.* 5. Porrò theſaurum hunc geſtare dicuntur Apoſtoli in vaſis fictilibus, quia corpore mortales erant, & quia viles & rudes, illiterati, ignobiles, inopes & omnium injuriis expoſiti propter Evangelium quod prædicabant. Ut ſenſus ſit. Apoſtolos geſtare pretioſum ac lucentem Evangelici miniſterii theſaurum in ſeipſis tamquam in vaſis fictilibus: ſic ut per vaſa non corpora ſolùm, ſed ipſos homines ſignificet fragiles & contemptibiles: ut magnitudo & excellentia virtutis quæ in illis apparet, Dei ſit, hoc eſt tota Deo tribuatur, ùt *Rom.* 1. ℣. 16. *Cor.* 2. ℣. 5. & hujus Epiſtolæ c. 6. ℣. 7. 2. *Tim.* 1. ℣. 8. Seu ut omne bonum

ex illo theſauro proveniens attribueretur potentiæ Dei, non evangelizantium viribus, induſtriæ aut ſapientiæ, ut pluribus exemplis probat *Chryſ.*

ỳ. 8. *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur:*

Adeò, inquit, totum eſt potentiæ Dei, quòd licèt teſtacei ſimus in tantiſque circumagamur tentationibus & afflictionibus, non frangimur, nec perdimus eum qui in nobis eſt, theſaurum: premimur, ſed non opprimimur: vel laboramus egentes, non autem egeſtate afflicti, aut egeſtati ſuccumbentes. *In omnibus*, inquit, locis & negotiis. Eum verò qui premitur, non anxiari, eſt gratiæ Dei: vel quòd inter tot pericula ſervarentur in vita in tanta vitæ deſperatione, velut ſi vaſa fictilia atque fragilia vehementer agitata non frangantur, donec tempus advenerit ab ipſo conſtitutum.

ỳ. 9. *Perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: dejicimur, ſed non perimus:*

Perſecutionem patimur, inquit, quidem cauſâ miniſterii noſtri & agitamur, at non deſerimur à Deo: *Humiliamur*, ſed non confundimur: affligimur & contemnimur, nec tamen erubeſcimus. *Dejicimur*, & quòd ad magnitudinem afflictionis attinet, jam dejecti ſumus; at Dei gratiâ non perimus: hoc eſt, in ambiguis ac perplexis rebus, portum ſalutis invenimus. Vides quantum ex tentationibus lucrum, inquit *Chryſ.*

℣. 10. *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.*

Mortificationem græcè *mortem*: circumferre autem *mortem Jeſu*, eſt ſimilitudine quâdam mortem Chriſti exprimere; quod faciebat *Paulus* tot afflictionibus, & ut ita dicam, mortibus propter Evangelium quotidie obnoxius. Circumferimus autem, inquit, *ut vita manifeſtetur in corporibus noſtris*, id eſt, ut dum corpora noſtra ad extremam redacta internecionem & afflictionem, ſtatim propter ſpem & fidem quam in Chriſtum habemus, vegetiora ſiunt, *manifeſtetur* Chriſtum reſurrexiſſe & vivere, qui nos quotidie ab his periculis & mortibus eripit, & occultâ quâdam virtute conſervat in vita, pro quo nos reſurrectionem & vitam ejus prædicantes talia patimur.

℣. 11. *Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jeſum: ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.*

Hic locus ſuperiorem explicat & ad eumdem modum exponendus eſt: Ideò, inquit, à Deo permittimur *tradi in mortem*, *ut manifeſtetur* quòd Chriſtus ſurrexit & vivit: vel propterea nosipſi *in mortem tradimur*, *ut vita* Domini *manifeſtetur* & agat in nobis nempe in futuro ſeculo: ita *Oecumen.*

℣. 12. *Ergò mors in nobis operatur, vita autem in vobis.*

Igitur *in nobis Apoſtolis*, qui prædicamus vobis Evangelium ſalutis, *mors* agitur & exercetur. Nam, ùt ſuprà dictum eſt, *perſecutionem patimur*, &c. Ut viciſſim *in vobis vita* agatur

& exerceatur, id eſt, per noſtra pericula, noſtramque quotidianam mortem vobis gignitur, augetur, perficitur vita ſpiritualis. Nam Apoſtolorum & Martyrum mors vita eſt Eccleſiæ. *Photius* interpretatur vitam, & religionem, quæ in illis per Apoſtolorum afflictiones augebantur. Alii Græci interpretantur; nos morimur ob Evangelium, ut vos per illud meliorem & æternam vitam vivatis. Vel eſt ironica approbatio in Corinthios, tanquam dicere velit Apoſtolus. Interim dum nos quotidianis objicimur periculis, vos ſecuri vitam agitis & animos relaxatis periculorum expertes: ex *Chryſ.*

℣. 13. *Habentes autem eumdem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi, propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur:*

Photius interpretatur *habentes eumdem ſpiritum fidei* cum David, de quo ſcriptum eſt, *credidi*, &c. *Et nos credimus* cum illo, in Chriſtum ſcilicet & reſurrectionem, *propter quod & loquimur* & confidenter prædicamus, ſcientes nos fore reſurrectionis illius participes. *Spiritum fidei*, id eſt, fidem à ſpiritu donatam, quomodo legimus ſpiritum manſuetudinis, fortitudinis pro ipſis Spiritûs ſancti donis. Vel in genere *eumdem ſpiritum fidei* cum iis, quæ crediderunt ſancti Patres & Prophetæ, quorum unus fuit David: Vel eadem intelligi cum iis quæ credebant Corinthii, ac ſi dicat. Quamvis mors in nobis operetur, & vita in vobis, quia tamen nos eandem vobiſcum fidem habemus, idcircò ad eadem promiſſa tendimus & eamdem vobiſcum in futuro ſæculo vitam & immortalitatem expectamus. *Sicut ſcriptum eſt: Credidi, propter quod locutus ſum*, in Hebræo legitur, *Credidi, quia loquar*, ut cauſa ſignificet

tur non in eo quod ſequitur conjunctionem, ſed in eo quod præcedit. *Theod.* exponit illud *credidi* de fide reſurrectionis, quia David in præcedenti Pſalmo dixiſſet *placebo Domino in regione vivorum*, & nos credimus de eadem re credita: Vel quemadmodùm David inter perſecutiones & pericula credidit ſe perventurum ad regnum ſibi à Deo promiſſum, & propterea de eo confidenter apud homines locutus eſt: ita nos quoque miniſtri novæ legis, licèt perſecutionibus preſſi & periculis expoſiti, tandemque morituri, certiſſimè tamen credimus nos ad gloriam promiſſam perventuros, propter quod & confidenter de ea vobis loquimur.

℣. 14. *Scientes quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum.*

Scientes, id eſt, certâ fide perſuaſi quòd Deus Pater *qui Dominum Jeſum* crucifixum & mortuum *ſuſcitavit* à morte ad vitam immortalem & glorioſam; *nos* quoque miniſtros ejus ad ſimilem gloriam per ipſius meritum ſuſcitaturus eſt, ut *Joan.* c. 12. ℣. 26. & c. 17. ℣. 24. & *Rom.* c. 8. ℣. 11. Non nos ſolùm; ſed & vos qui nobis miniſtrantibus Evangelio credidiſtis, à morte ſuſcitatos nobis adjunget ſibi exhibendos. Nàm modeſtiæ causâ dixit *vobiſcum.* Ut magis appareat ipſum alios ſibi præpoſuiſſe: conſideravit enim illos, ùt finalem cauſam ſui miniſterii.

℣. 15. *Omnia enim propter vos: ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.*

Omnia bona quin & ipſa reſurrectio, vel univerſum miniſterium noſtrum ordinatur ad utilitatem & ſalutem veſtram; ideò nos æquum eſt conſortes fieri ſalutis & gloriæ veſtræ. Hoc

autem factum eſt, ut gratia Dei exundaret dum multis tribuitur, hâc verò exundante etiam *gratiarum actio* ad Deum ſimul exundare, ait *Oecum.* Vel ut in multos effuſa gratia per multas itidem perſonas gratiarum actionem pariat atque diffundat, quâ Deus glorificetur.

℣. 16. Propter quod non deficimus: ſed licèt is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur: tamen is, qui intùs eſt, renovatùr de die in diem.

Propter ſpem (inquit) illius gloriæ quam ex reſurrectione expectamus, non ſuccumbimus malis, quæ nobis Evangelii miniſtris ſupervenerunt. Etſi externus *homo noſter* quotidie affligitur & intermoritur indies, tamen *internus homo* noſter, qui ſpiritu conſtat. renovatur & refloreſcit indies, ùt *ad Rom.* 7. ℣. 22. & c. 8. ℣. 10. Sic diſtinguitur in veterem & novum, ad *Rom.* 6. ℣. 6. *Eph.* c. 4. ℣. 22. & 24. *Col.* 3. ℣. 9. & 10. Renovatur autem à vetuſtate ignorantiæ & peccati ad novitatem veritatis & juſtitiæ: quamquam in hac vita novitatem perfectam non aſſequimur, ſed demùm in futura, ùt notat *S. Thom.*

℣. 17. Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis,

Vide converſionem, ut audeas ſuſtinere afflictiones & illis confidere. Nam *momentanea*, hoc eſt breviſſimi temporis, inquit, brevitas eſt, ad hoc ut ceſſet afflictio. Non fuit autem ſatis dixiſſe momentanea, ſed addit etiam levitas; *æternum gloriæ pondus operatur:* nec utcumque hoc, ſed mirè ac *ſupra modum* id facit. Et conſidera retributionis exundantiam. Siquidem rependitur æternum levitati pondus,

afflictioni gloria. Et nec in his quieſcit retributionis exundantia, ſed addit, mirè & ſupra modum, ait *Oecum.* Nota opera bona patientiæ, quæ toleramus, afflictiones, tametſi momentaneas & leves, eſſe merita quibus æterna ac præcellens gloria futuri ſæculi retribuenda ſit, ut *ad Rom.* 8.

℣. 18. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.*

Quoniam afflictionem quæ gravis eſt, dixit levem: oſtendit quomodo levis ſit præſens afflictio: Si conſideremus (inquit) *non quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Nam ſi futura præſentibus opponas, levia apparent præſentia; ſunt enim temporalia illa quæ videmus, ut ſunt opes, honores, dignitates: illa verò æterna quæ non videmus, ſed credimus. Hoc autem refert, ne ſegnes ſimus ut uno momento deliciemus, ait *Chryſ.*

CAPUT V.

Optat terreni corporis diſſolutionem ut glorioſo induatur, ſcilicet Chriſto, quem judicem expectat: non hominibus placere oſtendit, cujus ſe legatum aſſerit, ut per eum nos Patri reconciliatos annunciet.

℣. 1. *Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.*

IN ſpecie explicat magnitudinem præmii miniſtris Evangelicis in futurum reſervati, de quo in genere locutus fuerat. *Si* (inquit) *terreſtris domus noſtra*, id eſt, hoc corpus in quo ſuper terram moramur ad tempus, velut in tabernaculo, intereat, *habemus* in ſpe *ædificationem* aliam & *domum in cælis non manufactam:* quam domum quidam glorificatum corpus, quidam vitam æternam intelligunt de qua Dominus *Joan.* 14. *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Quomodo ex hoc loco *S. Thomas* probet, ſanctorum animas ante corporis reſurrectionem frui gloriâ ac beatitudine cœleſti, vide in *Eſtio. Si* pro *poſtquam*, vel dubitanter locutus eſt propter eos, qui in adventu Domini vivi reperientur, quos abſque

diſſolutione corporis, & ſomno mortis ad immortalitatem immutandos ſignificare voluit, ut 1. *Cor.* 15. & 1. *Theſſ.* 4. ex *Cajet.* Corpus vocatur *domus*, quia eſt animæ domicilium, & *terreſtris* dicitur, non tam ideò quòd in terram reſolvitur, quàm quòd ſuper terram inhabitatur: ſicut immortale corpus domus erit cœleſtis. Dicitur *tabernaculum*, quia non diu duraturum more tabernaculorum, quæ parantur in paucos dies, ut 2. *Pet.* 1. ℣. 14. Quidam per domum non manufactam intelligunt virtutem Spiritûs S., per quam in die reſurrectionis domus corporis noſtri glorificabitur, ut *Rom.* 8. ℣. 11. Verùm nihil convenientius accipitur, quàm corpus reſurrectione glorificandum ad ſimilitudinem corporis Chriſti, quod vocatur *tabernaculum* *Heb.* 9. ℣. 11. & quod Chriſtus ipſe *templum* appellat *Joan.* 2. ℣. 19.

℣. 2. *Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cælo eſt, ſuperindui cupientes:*

Græci ἐν τούτῳ, vel *in hoc* corpore, vel propter hoc; quia ſperamus æternam domum, *ingemiſcimus cupientes* habitationem noſtram, *quæ de cælo eſt*, id eſt, animam noſtram, quæ ad imaginem Dei creata eſt & tota cœleſtis, gloriâ æternâ *ſuperindui:* ſi tamen veſtiti fide ac bonis operibus, & non nudi inveniamur. Vel intellige habitationem noſtram cœleſtem, corpus glorioſum, quod tale de cœlo futurum eſt: ex *Gaig.* Vel glorioſum corpus ipſius Chriſti, de quo 1. *Cor.* 15. ℣. 47. Nam & Chriſtum à nobis indui phraſis eſt Apoſtolica, *Rom.* c. 13. ℣. 14. & *Gal.* c. 3. ℣. 27.

℣. 3. *Si tamen veſtiti, non nudi inveniamur.*

Quod tamen non aliâ conditione ſperare li-

cet, ſcilicet habitaculo cœleſti ſuperindui: quàm ſi virtutum ac bonorum operum ornamentis induti, non autem nudi in die adventûs Domini reperiamur, ùt *Coloſ.* 3. ℣. 12. *Apoc.* 16. ℣. 15. Vel ſi modò poſtquam induti fuerimus corpore per reſurrectionem, *non nudi inveniamur* à gloriâ: reſurrectio enim communis erit omnibus; at gloria juſtis propria: ita Græci. Vel *ſuperindui cupientes*: quod quidem nobis contingeret, *ſi veſtiti* corpore, & *non nudi* inveniremur in adventu Domini. Sed quia hoc fieri non poteſt (oportet enim animam priùs exui terreno habitaculo, quàm induatur habitaculo cœleſti.) Ideò gemimus deſiderio naturæ, quo nolumus mori, retardante deſiderium gloriæ: ſic *S.Thom.* Vel idcircò conditionatè Apoſtolus locutus eſt, quia reverà quidam veſtiti invenientur, alii verò nudi. Nam electi qui ſuperſtites erunt in adventu Domini, reperientur veſtiti corpore: qui verò ante illud tempus ex hac vita migraverint, invenientur corpore nudati. Quo fiet ut hi quidem induantur corpore per reſurrectionem, ſimul accedente indumento gloriæ: Illi verò tantùm ſuperinduantur gloriâ, utpote non nudi inventi, ſed adhuc corpore veſtiti, nec eo ſpoliandi: ita *Cajetanus.* Et hic ſenſus convenit cum aliis duobus locis, quibus de reſurrectione mortuorum diſſerit Apoſtolus, ſcilicet 1. *Cor.* 15. & 1. *Theſſ.* 4.; etiam convenit *Tertul. lib. de reſur. car.* Sed an ex his conſequens ſit eos qui reſidui erunt in adventu Domini, ſinè morte tranſituros ad gloriam juxta *Tertuliani* & græcorum opinionem, cui *Cajet.* conſentit, non planè conſtat. Poſſet enim reſponderi ex mente Apoſtoli, eos non cenſeri corporibus ſuis exuendos, nudoſque futuros, quorum mors adeò brevis erit, ut neque ſomno mortis occupentur, neque

corporum reſolutionem patiantur: utpote continuò redituri ad vitam, ut 1. *Cor.* 15.

℣. 4. *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati: eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur quod mortale eſt, à vita.*

Id eſt. Dum ſumus in hoc corpore caduco & fragili, in quo velut in tabernaculo moramur, expectantes domum non manufactam æternam in cœlis, dolemus ac gemimus hac corruptibili carne velut onere depreſſi, ſuſpirantes ad incorruptionem. Non quòd velimus *ſpoliari* & hoc corpore in perpetuum privari: ſed illud magis immortali gloriâ *ſuperveſtiri*, *ut* per apprehenſionem vitæ æternæ *abſorbeatur* ipſius corruptio & mortalitas, ſicque corpus ex mortali reddatur immortale.

℣. 5. *Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus.*

Græci legunt, *effecit in hoc ipſum*, id eſt, creavit in hunc finem, ut immortales & incorruptibiles eſſemus & gloriæ ipſius participes. *Deus*, ſubaudi *eſt*, qui nos miniſtros Evangelii *in hoc ipſum effecit*; Græcè paravit, formavit: & quotidie parat & aptos reddit ad hoc ipſum, id eſt, ad induendum vel ſuperinduendum domicilium cœleſte. *Deus eſt*, hoc dicit, ne quid ſibi tribuere videantur ii, in quorum perſona loquitur. Sed ut tales eſſe doceat, qui omne meritum ſui miniſterii quo ad immortalitatem aptantur, adſcribant virtuti & gratiæ Dei. Ratio autem cur illud ipſum, ad quod aptantur ac formantur, certò ſperare debeant, eſt quia gratia vel ipſe Spiritus ſanctus, cujus multa dona magna & manifeſta jam accepimus, eſt *pignus*, id eſt, arrha futuræ gloriæ nobis data à Deo, ut de gloria immortali-

tatis adipiſcenda non dubitemus, imò certi ſimus, ſi arrham ſuo tempore repræſentemus. Eundem ſpiritum vocavit pignus datum in cordibus, *ſup.* c. 1. ex *Chryſ.*

℣. 6. *Audentes igitur ſemper, ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino:*

Id eſt. Quapropter de immortali hac gloria confidentes, nec ignari, quòd quamdiu *ſumus in hoc corpore, peregrinamur*, id eſt, longè abſumus *à Domino*, cui cupimus eſſe præſentes, ut *Philip.* 1. ℣. 23. *Theſſ.* 4. ℣. 16. *Apoc.* 14. ℣. 4. & 20. ℣. 4. Occultatis triſtibus mortis nominibus valde deſiderabilia ponit, ut notat *Chryſ.*

℣. 7. (*Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem*)

Explicat abſentiam de qua dixit, peregrinamur à Domino. *Per fidem enim ambulamus*, dum in hoc corpore mortali ſumus: hoc eſt, ænigmaticam tantùm in fide, & non claram in ſua ſpecie & eſſentia Dei cognitionem habemus, id eſt, facie ad faciem nondum videmus, ut 1. *Cor.* 13. & *Joan.* 17.

℣. 8. *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.*

Id eſt. Ex Dei promiſſione non modò confidenter expectamus gloriam corporum noſtrorum per reſurrectionem futuram in fine ſæculi, verùm etiam interim ſecundùm animas pari fiduciâ ſperamus beatam præſentiam cum Chriſto. Quâ ſpe ac fiduciâ roborati æquo animo ferimus, imò libenter ac promptâ voluntate ſuſcipimus, quòd à corpore peregrinandum nobis ſit. Ratiocinatur enim Apoſtolus in hunc modum. Dum ſumus in hoc corpore, peregrini

ſumus à Domino, quia in hac vita per fidem ambulamus, non per ſpeciem: ut ergo præſentes ſimus ad Dominum, utque non ampliùs per fidem ambulemus, ſed per ſpeciem & facie ad faciem Deum videamus; placitum & optabile nobis eſt *peregrinari à corpore*. Quæ ratiocinatio infirma eſſet, nec ullo modo concluderet optandum nobis eſſe peregrinari à corpore, ut Domino præſentes ſimus, Deum per ſpeciem viſuri: Si ad ſpeciem non perveniretur, niſi poſt reſurrectionem corporum, ùt contendunt Græci ſchiſmatici & hæretici hujus temporis, ùt notat *Eſtius*.

℣. 9. *Et ideò contendimus ſive abſentes, ſivè præſentes placere illi.*

Quoniam ergo tanta præmia nobis propoſita ſunt ac promiſſa, proptereà *contendimus*, Græcè certatim nitimur fideliter ac coram Deo miniſterium noſtrum exequendo: ut ſive degentes in hoc domicilio corporis, ſive ab eo per mortem peregrinantes, id eſt, ſeu vivi, ſeu mortui Chriſto Domino placeamus; haud dubiè poſt mortem non ſolùm placebimus ei, ſed & præſentes illi erimus, & cum eo regnabimus. Minùs rectè exponunt, qui dicunt, ſive abſentes à Chriſto, ſive præſentes.

℣. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

Rationem reddit ejus quod dixit: *contendimus ſive abſentes, ſive præſentes placere illi*; quia nimirùm idem ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum, *Act.* c. 10. ℣. 42. *Manifeſtari* refertur fortè ad judicem, quia nimirùm omnium hominum facta perfe-

ctiſſimè Chriſto judici monſtraturus eſt ſibi eſſe manifeſta; vel meliùs ad cæteros homines, quia judicium illud apparebit omnibus juſtum, ſingulis videntibus omnia bona & mala aliorum, ait *Lyran.* qui ſenſus congruit cum ℣. 5. c. 4. 1. *Ep.* ad *Cor.* Porrò *tribunal Chriſti* eſt poteſtas judiciaria: & *ante tribunal Chriſti* non aliud eſt, quàm coram Chriſto judice. *Omnes nos*, intellige omnes homines, & proinde etiam nos Apoſtolos, omneſque novæ legis miniſtros, videlicet rationem ſui miniſterii Chriſto Domino reddituros, ùt *Rom.* 14., ubi diximus quomodo ſiſtendi ſint Apoſtoli & ſeſſuri & judicaturi ſimul cum Chriſto, qui pronunciabit, *Matth.* 19. *Luc.* 21. *Ut unuſquiſque* reportet pro iis quæ in corpore *geſſit* bona vel mala, præmium vel ſupplicium, idque juxta meritorum cujuſque rationem: ex *Chryſ.*

℣. 11. ***Scientes ergò timorem Domini hominibus ſuademus, Deo autem manifeſti ſumus. Spero autem & in conſcientiis veſtris manifeſtos nos eſſe.***

Cùm igitur nos Evangelicæ legis miniſtri certò futurum ſciamus & ante oculos habeamus ſeverum illud & omnibus timendum ac tremendum judicium Chriſti Domini, nitimur *hominibus* perſuadere noſtram integritatem, ne cui ſcandalo ſimus: nam quòd ad Deum attinet, nihil opus eſt ut illi perſuadeamus: novit enim receſſus intimos cordis noſtri. Interim obſerva quòd ſi *Deo* jam *manifeſti ſumus*, non ergo Chriſto nos manifeſtandos eſſe demum, ſed hominibus coram Chriſto, ùt diximus. *Spero autem* & confido ſinceritatem noſtram, quâ in Evangelico munere verſamur, ita jam diu vobis manifeſtam & probatam eſſe, ut bene de nobis ſentiatis. Hoc dicit propter aliquos,

qui à pſeudoapoſtolis malè perſuaſi, minùs bonam habebant de *Paulo* ejuſque collegis exiſtimationem. Quam ſuſpicionem mali, ſi repellere poſſumus & neglexerimus, pœnam luimus, ait *Chryſ.*

℣. 12. *Non iterùm commendamus nos vobis, ſed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis: ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde.*

q.d. Ideòque non hæc ſcribo, quòd magnoperè ſtudeam me meoſque Evangelii ſocios iterùm vobis commendare, ùt quorum in conſcientiis ſatis manifeſti ſumus: *ſed* ut *occaſionem demus vobis* Corinthiis noſtro nomine *gloriandi:* vel ut præbeamus vobis materiam gloriandi de nobis, idque adversùs æmulos gloriæ noſtræ, qui nobis obtrectant. Hæc enim erat juſtiſſima cauſa ſui commendandi ne per ipſius vituperationem & contemptum fructus Evangelio deperiret. *Ut habeatis* in promptu quod pro nobis dicatis *adversùs eos, qui gloriantur in facie*, ſive exteriori ſpecie, id eſt, de iis quæ exteriùs apparent, gloriam captant; nimirùm ad hoc intenti, ut appareant hominibus glorioſi: *Non autem in corde*, id eſt, non ex cordis ac conſcientiæ teſtimonio, quemadmodum ipſe *Paulus* gloriabatur c. 1. Græci legunt: *Et non corde*, id eſt, & non ita ſentiunt corde, uti foris de ſe prædicant: non tales intùs ſe vident, quales exteriùs videri volunt.

℣. 13 *Sive enim mente excedimus, Deo: ſive ſobrii ſumus, vobis.*

Id eſt. Si limites rationis egreſſi magnificentiùs aliquid ac diviniùs loquimur, vel etiam de nobis magnificè ſentimus, *Deo*, id eſt, ad Dei honorem id facimus, id eſt, ne de doctrina

ipſius, nobiſque miniſtris abjectiùs ſentiatis. *Sive ſobrii ſumus.* Græcè modeſti ſumus, ac modum ſervantes ad mediocria nos & humilia demittimus. *Vobis.* Id eſt, propter vos id facimus, ut vos modeſtos eſſe doceamus: ita *Gaig.* Vel ut Syra, *ſive inſanimus* glorioſè de nobis ipſis loquentes, *Deo* inſani ſumus, id eſt, hoc ipſum facimus ad gloriam Dei: ne ſi nos ejus miniſtros vobis habeamur contemptui, ſimul ejus doctrina per nos prædicata contemnatur. Sive de nobis humiliter ac modeſtè loquimur, quod ſolent homines ſanæ mentis: *vobis* tales ſumus, hoc eſt id totum veſtri cauſâ facimus, imbecillitati veſtræ nos accommodantes, & humilitatis exempla præbentes: ita *Eſtius.*

℣. 14. *Charitas enim Chriſti urget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergò omnes mortui ſunt:*

Charitatem intellige, vel eam quâ nos Chriſtum diligimus volentes omnia facere ad ejus nutum & honorem, ut ſervos redemptitios decet, qui non ſunt ſui, ſed Domini: vel quâ Chriſtus nos diligit; *urget* exemplum charitatis: ut neque gloriæ cupiditas cogat nos inſanire, neque rursùs abjectio & puſillitas animi ſobrios nos reddat; ſed ad utrumque impellit exemplum charitatis Chriſti (ſi enim Chriſtus *pro omnibus mortuus eſt*; quid non facere, nos tanquam ejus legati debemus, ut eos pro quibus mortuus eſt, adducamus ad ſalutem?) *Æſtimantes* Græcè *judicantes*, animo reputantes. Græci non legunt *ſi*, ſed quoniam omnes mortui erant, ideò etiam pro omnibus mortuus eſt. Et fuit pretium illud ſufficiens & ſuperabundans ad omnes redimendos, atque ſalvandos. Verùm non omnibus, ſed ſolis electis ex Dei

prædeſtinantis voluntate applicatur, id eſt, Chriſtus ſuâ paſſione ſufficienter omnes redemit, ſed non omnes efficienter. Quam efficientiam attendentes alii hoc ſenſu non repudiato *Paulum* de prædeſtinatis interpretantur: quibus omnibus & ſolis efficaciter ad ſalutem prodeſt mors Chriſti: ſic *S. Thom.* exponens *Hebr.* cap. 2. ℣. 9. *Ergo omnes mortui ſunt*, morte peccati in Adam. Vel veteri vitæ, ſcilicet peccati, & vivunt vitâ juſtitiæ, ùt *Rom.* 6. Vel *ergo mortui ſunt omnes*, id eſt, ita ſe quiſque debet reputare ac ſi mortuus eſſet ſibi ipſi. Qui proinde non debet deinceps ſibi vivere, ſectando ea quæ ſibi commoda ſunt, ſed vivere Chriſto, gloriam ejus quærendo, & voluntatem ejus implendo: ex *S. Thom.* ùt *Rom.* 14. ℣. 7. Ex quo declaratur vis argumentationis Apoſtoli, conſiſtens in eo, quòd Chriſtus ſuâ morte nos redemit. Quâ ratione & ipſe factus eſt omnium noſtrûm Dominus, & nos ejus ſervi: Servus autem non ſuus eſt, ſed Domini ſui; ideòque non ſibi operatur, ſed Domino. Quare ſi pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: omnes ergo quòd ad ſuas ipſorum actiones attinet, ſibi mortui ſunt, & Chriſto Domino vivere debent. Denique jam ex his ſatis apparet, id quod dicit Apoſtolus, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, de prædeſtinatis ſive electis convenienter intelligi, tanquam ſic ratiocinetur. Si Chriſtus pro omnibus quos ad vitam elegit, mortuus eſt: Igitur omnes redemptionis ejus participes effecti, qui proinde ex electorum numero ſe eſſe meritò confidunt, mori debent indies veteri vitæ, & vivere vitam novam: aut mortui eſſe debent ſibiipſis, ut jam non ſuis commodis ſtudeant, ſed gloriæ Domini redemptoris ſui & ſaluti electorum, pro quibus redimendis ille mortuus eſt, ùt 2. *Tim.* 2. ℣. 10.

℣. 15. *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut, & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.*

Id eſt. Ad hoc unus ille *mortuus eſt pro omnibus*, ut iidem illi pro quibus mortuus eſt, quamvis vivant vitâ naturali, deinceps tamen *non ſibi vivant* quaſi liberi, facientes quidquid ſuggeſſerit propria voluntas, ſed ſibi mortui, *vivant ei qui pro ipſis mortuus eſt*: id eſt, omnes ſuæ vitæ actiones inſtituant ad nutum & voluntatem & honorem ſui Domini, qui ipſos ſuâ morte redemit; eoque redemptionis jure ſervos ſuos effecit.

℣. 16. *Itaque nos ex hoc neminem novimus ſecundùm carnem. Et ſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum: ſed nunc jam non novimus.*

Ex hoc ſcilicet tempore, Græcè *ex nunc* id eſt deinceps. Ex obſcuritate hujus verſûs plures natæ ſunt expoſitiones, quas multas refert S. Th. *in commentario*: ubi docet illud *ſecundùm carnem*, poſſe referri vel ad vocem *Neminem*, vel ad verbum *Novimus*. *Theop. & œcumen.* Interpretantur *Neminem ſecundùm carnem*, id eſt, nullum viventem ſecundùm veterem & carnalem vitam deinceps à *Paulo* cognoſci. Neque enim *Chriſtum ſecundùm carnem* (ut verbis ſequentibus affirmat) hoc modò *Paulus* aliquando cognoverat: Unde & in ea parte variare coguntur ſuam expoſitionem. Alii probabiliùs nectunt iſta verba hoc ſenſu cum *verſu præcedenti*: quoniam Chriſtus pro nobis reſurrexit, ut nos immortales redderet: idcircò nos hâc ſpe immortalitatis erecti, & in eam totis animis intenti de cætero neminem ſecundùm carnem

hanc mortalem magnifacimus: nec magnoperè curamus ea quæ ſunt præſentis ac mortalis vitæ, tam in nobis quàm in aliis: quia nec Chriſtum ipſum jam cogitamus ut mortalem, ſed ut immortalem; & proinde ejus præſentiam in carne mortali, quæ cæteris Apoſtolis contigit, quam & ego aliquando magnifeci, nunc parvipendo. Et quid mirum? Quando illa Chriſti præſentia ſecundùm carnis infirmitatem impedimento fuit Apoſtolis, quo minùs ſpiritualem Chriſti doctrinam caperent? Unde dicit ad eos *Joan.* 16, *Expedit vobis, ut ego vadam; ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Ita ferè hunc locum intellexerunt *Aug. lib.* 11. *contra Fauſtum* c. 7. & 8., *Leo* & *S. Thomas.* Expoſitio tamen hæc infirmari videtur ex eo, quòd *Paulus* nequidem hoc modo Chriſtum ſecundùm carnem unquam noverat, hoc eſt in carne mortali numquam eum viderat. Probabilior *Eſtio* videtur expoſitio deſumpta ex eo, quòd Pſeudoapoſtoli, qui utique Judæi erant, inter alia gloriarentur de nobilitate generis, quòd Hebræi, quòd Iſraëlitæ, quòd ſemen Abrahæ eſſent, ut *cap.* 11. ℣. 22. quod vocat Apoſtolus ibidem ℣. 8. gloriari ſecundùm carnem. Docet hîc uſque adeò ſe ſibi ipſi ac veteri vitæ mortuum, & in alium hominem tranſmutatum eſſe, ut jam nihil illorum magnifaciat. Docet id ipſum pleniùs in Epiſt. ad *Philip.* c. 3 & *ad Rom.* c. 4. *Et ſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum.* Quin etſi, inquit, aliquando magnum & glorioſum putavimus gentilem & conſanguineum eſſe Chriſti ſecundùm carnem, *ſed nunc* ita penitùs affectibus vitæ veteris mortui ut non ampliùs noſcamus, ſeu in hujuſmodi re gloriandum nobis cenſeamus: ita *Eſtius.*

℣. 17. *Si qua ergò in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia nova.*

Id eſt, Si quis in Chriſto per baptiſmum renovatus eſt, quantùm ad illum attinet *vetera tranſierunt*, ut neque jam vetera delicta ſequi, neque vetuſtæ legi parere debeat: Vel *ſi quis in Chriſto*, id eſt, qui in Chriſtum credit, *nova creatura* eſt: illi *vetera tranſierunt*. *Nova* igitur illis veteribus oppoſita ſunt fides, juſtitia, ſanctitas, novum teſtamentum cum ſuis inſtitutis, ac præcipuè novi teſtamenti libertas. Et in futuro ſæculo totus homo novus & beatus ſecundùm animam & corpus. Denique cœlum novum & terra nova & Hieruſalem, id eſt, Eccleſia nova, ut *Apoc.* 21. ℣. 5. & *Levit.* 16. ex *Chryſ.* ...

℣. 18. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum: & dedit nobis miniſterium reconciliationis.*

More ſuo quæ dixit eſſe *per Chriſtum*, tandem revocat ac reſolvit in Deum ut primum authorem, ac ſi dicat, Univerſum hoc beneficium renovationis, quod Chriſtus nobis promeruit, quodque jam partim habemus, partim expectamus, *ex Deo* eſt ut fonte & authore omnis boni. Non ergo quod dicit *omnia*, complectitur utrumque genus præcedens vetera & nova, ſed ſola nova. *Qui* Deus inquit, *nos* peccatores æternæ vitæ obnoxios in gratiam & amicitiam recepit, hoc eſt peccata condonavit, juſtificavit, in filios adoptavit, idque per Jeſum Chriſtum mediatorem & pacificatorem noſtrum, qui paſſione ſuâ ac morte pro peccatis noſtris Deo Patri ſatisfecit ejuſque gratiam nobis promeruit. Et injunxit ac delegavit *nobis* Apoſtolis

miniſterium reconciliationis hominibus annunciandæ: voluit nos humanæ reconciliationis, quam Chriſtus ſuâ paſſione paravit, eſſe velut executores & adminiſtros, utique per Evangelii Chriſti prædicationem. Sub qua tamen comprehende ſacramentorum ejus adminiſtrationem. Chriſtus enim ſuis Apoſtolis, quos ad *miniſterium reconciliationis* miſit, non ſolùm prædicandi Evangelii, ſed & baptizandi credentes, & peccata remittendi poteſtatem dedit, *Matt.* 28. & *Joan.* 20.

℣. 19. *Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis.*

Deus mundum ſibi reconcilians erat in Chriſto per unitatem eſſentiæ, Pater inquam in Filio, juxta dictum filii, *Joan.* 14. *Ego in Patre & Pater in me eſt.* Vel Deus erat reconcilians ſibi in Chriſto, id eſt, reconciliavit ſibi genus humanum per Chriſtum, ita Græci & *S. Thom.* *Non imputans*, hoc eſt per Chriſtum remittens hominibus peccata ipſorum, adeòque eos ſibi gratificans, ùt ait *Eph.* 1. ℣ 6. *in dilecto filio ſuo.* Nam remiſſio peccatorum ac reconciliatio non fit ſinè interna mentis ſanctificatione, *Coloſ.* 1. ℣. 22. *Mundum*, id eſt, omnes ac ſingulos homines, quia in Chriſti paſſione fuit meritum ac pretium & pœna ſufficiens ad reconciliandum Deo totum mundum & ad omnia mundi peccata tollenda, licèt hujus reconciliationis ac remiſſionis effectus non in omnibus exiſtat, ſed in iis tantùm, qui verbum reconciliationis ſibi prædicatum recipiunt: Vel meliùs, homines ex toto mundo electos ſeu prædeſtinatos ad ſalutem, ita *Gloſ.* & *Aug. tract.* 110. *in Joan.* Quomodo ad ſolos eos qui Chri-

ſto incorporantur, reſtringitur quod *Matth.* c. 1. ℣. 21. dicit Angelus, *ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Non refert an *mundum* intelligas in electis, an in omnibus vocatis aut vocandis efficaciter ad fidem: modò conſtet electos principaliter ab Apoſtolo ſignificari juxta 2. ad *Tim.* c. 2. ℣. 10.

℣. 20. *Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.*

Officium, inquit, noſtrum ſedulò exequimur *legationem* obeuntes *pro Chriſto*, id eſt, vice & loco Chriſti, *in perſona Chriſti*, cujus Apoſtoli ſumus. (Dum meminit legationis, innuit nobis principatum Chriſti, quippe magnorum principum eſt legatos mittere.) Cùm nos legatione noſtrâ fungentes exhortamur aut *obſecramus* homines, ut per fidem & pœnitentiam Deo reconcilientur; ſic accipere debent, ac ſi Deus exhortetur aut obſecret. Ille enim per nos agit, tanquam per ſuos miniſtros, qui hæc egit aliquando per Chriſtum in terra degentem. Sed poſtquam ſublatus eſt in cœlum Chriſtus, nos illius vices nunc gerimus in terra. Deus igitur primus author, Chriſtus miniſter principalis, nos miniſtri ſecundarii atque vicarii à Deo & Chriſto miſſi. Sermo eſt autem de Chriſto homine: *Obſecramus pro Chriſto*, id eſt, rogamus homines vice Chriſti, tanquam per nos obſecrante. Non dicit præcipimus, admonemus, *ſed rogamus, precamur.* Imò Deum quoque facit obſecrantem, non quidem ſimpliciter, ſed per miniſtros, ut per hoc oſtendat Evangelii præconem non ſolùm præcipiendo, increpando, admonendo: ſed etiam rogando, & obſecrando agere debere ut homines acce-

dant ad Chriſtum, ut 2. *Tim.* 4. ṽ. 2. *Rom.* 12. ṽ. 1. *Eph.* 4. ṽ. 1. ut redeant in gratiam cum Deo. Mira Dei bonitas ipſe eſt, quem homines offenderunt peccando: & tamen legatos cum precibus ad eos mittit pro reconciliatione: ex *Chryſoſt.*

ṽ. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.*

Rationem reddit quærendæ & ſperandæ reconciliationis cum Deo. Et ratio eſt magna Dei benignitas & miſericordia, quâ filium ſuum, *qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit*, id eſt, fecit eum hoſtiam ſeu ſacrificium pro peccatis noſtris, ut *Oſe.* 4. ṽ. 8. *Levit.* 4. ṽ. 29. *Num.* 6. ubi ſimiles occurrunt locutiones. Vel *fecit eum peccatum*, id eſt, hominem morti, miſeriis ac paſſionibus ſubjectum, & per hæc peccatoribus ſimilem, ut in peccato ſit ſimilitudo peccati; vel pœna peccati intelligatur: ex *Aug. in enchir. cap.* 41. & *lib.* 2. *con. Max.* cap. 2. Vel fecit eum reputari peccatorem ab hominibus, *Iſa.* 53. quo ſenſu dixit Bethſabee ad Davidem 3. *Reg.* 1. *Erimus ego & filius meus Salomon peccatores*, id eſt, reputabimur ut ſontes, ac vitâ periclitabimur. Vel *peccatum*, id eſt, magnum peccatorem, quaſi dicat Apoſtolus, Noſtri causâ tractavit eum, tanquam ipſum peccatum, ipſe ſcelus, id eſt, tanquam hominem inſigniter ſceleratum, ut *in quo poſuerit iniquitatem omnium noſtrum*, *Iſa.* 53. idque more capri emiſſarii, qui portabat omnes iniquitates filiorum Iſraël, quas ejus capiti Pontifex fuerat imprecatus, *Lev.* 16. *Fecit* igitur Chriſtum Deus *peccatum*, quando tradidit eum in mortem crucis, quo genere ſupplicii ſolent affici famoſi latrones, qualis Barrabas, & illi duo nequiſſimi

cum Domino cruci affixi, *Luc.* 23. *Gal.* 3. ỳ. 13. & *Deut.* 21. ỳ. 23. Hinc jam ſequitur Chriſtum reputatum fuiſſe magnum peccatorem, ſcilicet ab iis qui ex pœnis ſolent æſtimare peccata. *Ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*, id eſt, per ipſum Chriſtum, hoc eſt per Chriſti meritum. Eadem autem *juſtitia* dicitur *Dei* & noſtra: Dei, quia à Deo eſt: noſtra verò, quia in nobis: Dei, quia eam Deus donat: noſtra, quia nos eam recipimus: ex *Aug. lib. cont. Pelag. cap.* 7. *& lib. de gratia ad Honor. cap.* 10. Vel quæ coram Deo juſtitia eſt, id eſt, vera, ut ad *Rom.* cap. 1. ỳ. 17. c. 3. ỳ. 21. & c. 10. ỳ. 3. Itaque ſentit Apoſtolus Chriſtum pro nobis factum eſſe peccatum, ut nos per eum verè juſti efficeremur, eâ nempe juſtitiâ, quæ Deo probata ſit: ut hinc vel maximè refellatur imputativæ juſtitiæ commentum, ut ad *Rom.* 4. ex *Chryſ.*

CAPUT VI.

Hortatur ne tempus gratiæ negligant: ut in adverſis & proſperis veros ſe Dei miniſtros exhibeant: à jugo cum infidelibus ducendo revocat.

ỳ. 1. *Adjuvantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

PRoſequitur Apoſtolus declarare officium legatorum Chriſti. Græcè *cooperantes*, ſeu *adjuvantes*: alii ad homines referunt: id eſt, ad Corinthios, ut Latini & *Chryſ.* Alii ad homines & Deum, ut *Theophyl.* & *S. Thom.* Alii ad Deum ſolummodo & meliùs, ut *Oecum.* & *Lyran.* ut 1. *Cor.* 3. ỳ. 9. ut ſenſus ſit. Cùm Deus in Chriſto mundum ſibi reconciliaverit, cujus

exhibendo ſufficientem reconciliationis ejus ac juſtificationis in merito paſſionis Chriſti: nos Apoſtoli, quibus à Deo datum eſt miniſterium reconciliationis annunciandæ & exequendæ: Deo *coöperantes* tanquam ejus miniſtri cum obſecratione vos exhortamur, ut ne tantum beneficium, quod per nos vobis Corinthiis non modò prædicatum, ſed etiam impenſum eſt (quippe qui illud recepiſtis) *in vacuum* & ſinè fructu receperitis: hoc eſt, nè reddatis illud vobis inutile. Quod certè futurum eſt, ſi in fide ſuſcepta non perſeveretis, aut fidem ſinè bonis operibus arbitremini vobis ſufficere. Quod tamen beneficium priuſquam applicetur, magis in Deo intelligitur, quàm in hominibus: ut hæc *gratia* ſit benigna Dei voluntas, quâ Filium ſuum nobis dedit, ùt ad *Tit.* 2. ℣. 11. Quanquam & inhærens *gratia in vacuum* recepta rectè dicitur, quando quis in ea non perſeverat, ſed peccando eam abjicit.

℣. 2. *Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.*

Ait enim Deus, vel Scriptura *Iſa.* 49. Sunt autem verba Dei Patris ad Chriſtum, quibus teſtatur ſe eum exaudiſſe orantem pro electorum ſalute, eorum qui erant ex Gentibus colligendi; proque eadem cauſa laboranti, (ſicut dicitur *Iſaiæ* c. 53. quod laboravit anima ejus) auxiliatum fuiſſe, idque *in tempore accepto* ſeu placito: id eſt, meritò omnibus acceptabili: & in quem Gentes ad ſalutem vocare conſtituit. Apoſtolus autem accommodat eum locum Dei promittenti exauditionem & auxilium hominibus, ſi opportunitatem temporis à ſe conceſſi, quo ſalus ipſis paratur, non negligant, & gratiam

Dei non in vacuum recipiant. Vel ſic expone. Ait *enim* Deus Pater ad Filium incarnatum, *tempore accepto exaudivi te*, &c. quomodo nunc expoſita ſunt. *En* (inquit Apoſtolus) tempus illud acceptabile & ſalutiferum, de quo Deus Pater verbis Prophetæ memoratis locutus eſt ad Filium. *Nunc eſt*, nunc advenit & jam vobis annunciatum eſt, & propterea vos exhortamur, ne committatis ut gratiam hanc in vacuum receperitis. Acceptum Deo, vel meliùs hominibus, id eſt, dignum quod cum plauſu & exultatione ab omnibus acceptetur & ſuſcipiatur, utpotè mundo ſalutem adferens, id quod expreſſiùs ſignificatur per vocem *acceptabile*; quomodo Chriſtus ipſe vocatur *expectatio Gentium Gen.* 49. Et *deſideratus cunctis gentibus. Aggæi* 2. Non quòd Gentes eum aut expectarint, aut deſideraverint, (neque enim erat prænunciatus aut promiſſus Gentibus,) ſed quia Gentium futurus erat ſalvator: ideòque ab illis meritò cum ingenti deſiderio expectandus, ùt 1. *Tim.* 1. ℣. 15.

℣. 3. *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum*;

Sententia hoc modo connectitur. Coöperantes (inquit) & exhortantes perſiſtimus, nullam cuiquam *dantes offenſionem*; caventes ne quem verbò aut facto ſcandalizemus, ut miniſterium Evangelicæ prædicationis, cujus excellentiam ſuprà demonſtravi, non reprehendatur, non infametur, non malè audiat apud homines. Non dixit ut ne accuſetur: ſed ut ne ullam occaſionem habeat ullus, in quo carpere poſſit, ùt notat *Chryſ.*

℣. 4. *Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis,*

Non ſolùm, inquit, ſtudemus puri eſſe ab accuſationibus ac indignationibus ſive querelis, ſed etiam noſmetipſos exhibuimus ac oſtendimus ùt *Dei miniſtros*. Græcè *commendantes nos ipſos ut Dei miniſtros*, id eſt, uti facere convenit Dei miniſtros, quorum eſt Dei gloriam in omnibus ſpectare, *per ſuſtinentiam* ſeu *patientiam multam*; vel magnam, vel multorum malorum, quæ ſubnectit. Tribulationes ſeu præſſuræ ſunt qualeſcumque, afflictiones etiam vulgares & quotidianæ: neceſſitates graviores: anguſtiæ graviſſimæ, ùt c. 1. ex *Theoph.*

℣. 5. *In plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis,*

In verberibus ferendis, ùt c. 11. *in carceribus abundantiùs*, in ſuſtinendis tumultibus populi paſſim adverſùm nos concitatis, potiſſimùm à Judæis, ùt *Act.* 13. 14. 16. 17. 18. & 19. Labores dicit, & quòd manibus ipſe operaretur, & fatigationes quas propter prædicationem ſubibat.

℣. 6. *In caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta,*

Hactenùs recenſuit ea quibus exercetur patientia; nunc cætera proſequitur, per quæ ſe ſuoſque exhibere dicit ſemetipſos ùt Dei miniſtros. *In caſtitate.* Græcè per puritatem, per ſinceritatem. Vox Græca communis eſt ad caſtitatem & eam virtutem, quâ quis à cupiditate munerum alienus eſt. Sinceritatem vocat mo-

modeſtiam, & exhibitum ſinè ſumptu Evangelium, ſervatamque in omnibus puritatem. *In ſcientia*, in Dei ſapientia, quæ vera eſt ſcientia, ùt opponitur ſapientiæ ſæculari; quâ inflati erant pſeudo apoſtoli: vel in docendi ſtudio; vel de ſcientia loquitur, de qua 1. *Cor.* 12. & 13. *Longanimitas* eſt virtus, quâ illatæ ab aliis injuriæ æquanimiter tolerantur, ùt 1. *Cor.* 4. *In benignitate*; eſt comitas & facilitas, quâ quis aliorum moribus quantùm licet, ſeſe accommodat, aſperitati morum oppoſita. Deinde oſtendit unde hujuſmodi fuerit animus. *In ſpiritu* (inquit) ſeu per ſpiritum perſeveravimus, ſeu per fervorem Spiritûs ſancti, quo agimus. *In charitate non* ſimulata, ùt *Rom.* 12. ℣. 9. non verbis, ſed factis ſalutem hominum quærentes, etiam cum noſtro detrimento. Hâc enim re dilectionem ſuam erga Corinthios probat infrà *cap.* 11. & 12.

℣. 7. *In verbo veritatis, in virtute Dei, per arma juſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris,*

In verbo veritatis quòd alibi dixit non adulterantes ſeu non dolo tractantes *verbum Dei* c. 2. & 4. *In potentia Dei*, per quam omnia operati ſumus, ùt *Rom.* 15. ℣. 19. & 1. *Cor.* 2. ℣. 4. & ſuprà cap. 4. *A dextris*, id eſt, ſive in proſperitate, ſive in adverſitate, vel undique, omni ex parte, ùt ſenſus ſit. Commendamus nosmetipſos undequaque per virtutum opera omnis generis, vel declaramus nos Dei miniſtros in proſperis & adverſis. Monſtrat quòd arma ſint etiam tribulationes: ex *Chryſ.*

℣. 8. *Per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam: ùt ſeductores, & veraces, ſicut qui ignoti, & cogniti:*

Novit quanta res ſit non capi faſtu ob exhi-

bitos honores, vel ob ignominiam dejici per maledicta & laudes. *Ut ſeductores* ſive impoſtores, id eſt, errorum magiſtri: tales enim habebantur *Paulus* & ſocii ejus à multis Judæis: falsò tamen; quia reverà *veraces* erant. *Sicut qui ignoti*, id eſt, multis videmur *ignoti* & comtemptibiles: At reverà cognoſcimur & in pretio habemur apud probos & pios.

℣. 9. *Quaſi morientes, & ecce vivimus: ut caſtigati, & non mortificati:*

Quaſi morientes, id eſt, etſi quotidie ob innumeras afflictiones pro mortuis habemur, caſtigamur tamen à Domino & non occidimur, ùt *cap.* 4. ℣. 9. Seu videmur caſtigari quando flagris cædimur à magiſtratibus, velut malefactores & publicæ pacis perturbatores. Sed ad declarationem innocentiæ noſtræ, factum eſt divinitùs, ut inter tot perſecutiones & ſupplicia nondum ſimus occiſi.

℣. 10. *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.*

Apud extraneos propter illa quæ patimur, dolere exiſtimamur, ſemper tamen & in omnibus gaudemus; perduravimus quaſi mendici: ſed multos ditavimus aut ſpiritualibus divitiis, aut etiam terrenis. Siquidem habebant omnium apertas domos ſive familias, quæ faciebant quidquid juberent Apoſtoli. Et *Paulus* nihil habens omnia poſſidebat: præcepta enim orbi dabat: etenim (inquit) ſi fieri potuiſſet, oculos veſtros effoſſos dediſſetis mihi. *Gal.* 4. ex *Chryſ.*

℣. 11. *Os noſtrum patet ad vos ô Corinthii, cor noſtrum dilatatum eſt.*

Ubi percurrit certamina & declaravit integritatem & patientiam miniſtrorum novæ legis in genere: nunc ſpeciatim Corinthios alloquitur conteſtans ſuum erga eos affectum, ut molliat aſperitatem correptionis ſequentis. *Os noſtrum*, inquit, *apertum eſt ad vos*, vel erga vos; ſcilicet ad loquendum liberè vobiſcum, & plenè vos inſtruendos. q. d. Non poſſum ſilere & pro ſalute veſtra vos non commonefacere. *Cor noſtrum* ingenti charitate erga vos expanſum eſt, vel affectu gaudii, ut *Iſa.* 60. ℣. 5. & *Pſ.* 118. ℣. 32. & 4. ℣. 1. unde ſubdit *dilatamini & vos*. Ut quod calefacit, dilatare facit: ita & charitatis opus eſt dilatare: ex *Chryſ.*

℣. 12. *Non anguſtiamini in nobis: anguſtiamini autem in viſceribus veſtris:*

Id eſt, cùm in corde noſtro per meam amicitiam ſitis, non anguſto ibi loco ſedetis, ſed plenè in toto corde noſtro habitatis: at verò charitatis veſtræ viſcera uſque adeò anguſta ſunt, ut me in mutuam benevolentiam recipere non poſſitis: ex *Gaig.* Vel quòd anguſtiam patimini, quòd triſtes eſtis & compreſſo corde, non ex nobis id provenit, qui vobis ex charitate quàm optimè volumus, & in quibus habetis exemplum gaudii ſpiritualis: ſed ejus anguſtiæ cauſa eſt *in viſceribus veſtris*, id eſt, in vobis: ex *Hilar. in Pſ.* 118.

℣. 13. *Eamdem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico: dilatamini & vos.*

Habentes vel *afferentes*, id eſt, vos mihi parem referentes gratiam, meamque erga vos benevolentiam remunerantes effusè me diligite,

ſicut ego vos: Vel ſicut in perpetuo gaudio ſumus, licèt triſtes videamur, vobis quoque tanquam filiis annuncio. *Dilatamini & vos* interno gaudio Spiritûs ſancti.

℣. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras?*

Græci putant non modò de matrimoniis contrahendis loqui *Paulum*, ſed inhibere ne quæ cum infidelibus neceſſitudo ſit, & familiaritas, quâ fiat ut in partem illorum declinent, mores eorum & vitia ſequantur, ut *Pſ.* 105. ℣. 35. Et rationibus oſtendit quàm ſit abſurdum fideles *jugum ducere cum infidelibus*. Nam ſicut fieri non poteſt ut juſtitia conſortium habeat cum injuſtitia: ita rectè fieri non poteſt, ut fidelis qui in Chriſto factus eſt juſtitia Dei, in unum jugum coëat cum infidèli, cujus vita injuſtitiæ eſt penè perpetua. Lucem vocat fidèles; tenebras verò infideles, ut *Eph.* 5. ex *Chryſ.*

℣. 15. *Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?*

Volens ipſos omnibus modis ab incredulis diſcedere, non dixit juſtis & injuſtis, ſed quod majus erat: non dixit, operariis lucis ac tenebrarum, ſed quod plus erat; non dixit miniſtris Chriſti & Satanæ, ſed quod erat terribilius. Poſtmodùm ne videatur nudarum rerum feciſſe comparationem, ad ipſas deſcendit perſonas hoc modo. Sicut his quæ ſuprà dicta ſunt nihil invicem commune eſt, ita neque *fideli cum infideli*.

℣. 16. *Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.*

Id eſt. Sicut abſurda res eſt in templo Dei idola, id eſt, falſorum deorum ſimulacra collocare & venerari: per hunc enim perverſum uſum quodammodò deſinit eſſe templum Dei, fietque templum idolorum; ita rem vobis indignam facitis, ac vos ipſos profanatis, dum ad ſocietatem recipitis infideles idolorum cultores. Vel *quæ conſenſio* ſeu confœderatio vobis; qui *eſtis templum Dei, cum infidelibus qui ſunt templa idolorum*, id eſt, Diaboli, qui in idolis colendum ſe ingerit? Quaſi dicat. Nulla poteſt eſſe talis conſenſio, niſi cum graviſſima Dei & veſtra ipſorum injuria: ita *Eſtius* ex *Oecum.* Et notat Corinthiorum cum infidelibus communicationem, quâ propter amicitiam miſcebant ſe ſacrificiis eorum & menſis, in quibus idolothyta parata erant, ac per hoc participatione quâdam idololatræ efficiebantur, & ſocii dæmoniorum, ut 1. *Cor.* 10. Quâ autem ratione ſinguli fideles *ſint templa Dei*; ut tamen omnes unum Dei templum conſtituant, diximus 1. *Cor.* 3. ipſius autem Dei teſtimonio probamus vos eſſe templum Dei, *Levit.* 26. *Inhabitabo in illis* per gratiam quâ faciam ut me colant. *Et ambulabo in eis*, varias virtutum actiones quibus me colant, in eis excitando, atque operando. Ego me in eis Deum exhibebo gubernans & protegens eos ac benefaciens, & ipſi ſe mihi viciſſim populum præſtabunt obedientem & ex animo ſubditum: vel illi me habebunt pro Deo, ac ſpem ſalutis in me po-

nent, & ego viciſſim habebo eos pro meo populo; protecturus eos & beneficiis affecturus. Vel, ego me Deum illis præſtabo, & ùt populum meum eos diligam, protegam & beneficiis fovebo. Vel illi me pro Deo ſuo habebunt, & tanquam populus meus vero cultu ſe mihi ſubjicient.

℣. 17. *Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis:*

Vos templum Dei eſtis, nam Deus habitat & ambulat in vobis: atqui templo Dei nullus debet eſſe conſenſus cum templis idolorum; ergo recedendum vobis eſt ab iis qui templum ſunt idolorum. Non dixit, ne feceritis quippiam impurum, *ſed ne tetigeritis. Iſaiæ* c.52. Ex quo intelligendum, Apoſtolum hortari fideles non ut corporali converſatione & habitatione ſeparentur ab infidelibus; ſic enim (ùt in priore epiſtola jam dixerat) debuiſſent de mundo exire. Sed ut animo ſeparentur, malis non conſentientes, & ſicut ſtatim initio ſequentis capitis explicat, ſeſe mundantes ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs ùt & *Eph.* c.5. ℣. 11. Cæterùm quatenùs cuique periculum eſt ſuæ Salutis ex corporali cohabitatione ſeu converſatione cum infidelibus, eatenùs etiam corporaliter ſe debet abſtinere: ex *Aug. lib.* 3, *cont: Epiſt. Parm.* c. 3.

℣. 18. *Et ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens.*

Nam ſi ab illis, inquit, exieritis, manſionem apud me habebitis, *Et ego vos* in amicitiam meam *recipiam*, & in adoptionem filiorum, ſic ut per eam efficiamini divinæ conſortes naturæ, & per hoc bonorum hæredes. 2. *Pet.* 1. *Dicit Dominus* ſcilicet 2. *Reg.* c. 7. ℣. 14. vel *Jerem.* c. 31. ℣. 9. vel *Iſaiæ* c. 43. ℣. 6.

CAPUT VII.

Suam erga Corinthios dilectionem oſtendit & conſolationem quam ex illis accepit. Gaudet de illorum contriſtatione ſecundùm Deum : & de illorum obedientia gloriatur.

℣. 1. *Has ergò habentes promiſſiones, chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs, perficientes ſanctificationem in timore Dei.*

P*Romiſſiones* illæ ſunt, quòd Deus in nobis tanquam in templo ſit habitaturus & ambulaturus, quòdque nos ejus populus & filii & filiæ: ideò, quia ſcilicet templum Dei ſanctum eſſe debet & purum ab omni immunditia, & populum Dei & filios ejus, & filias decet eſſe ſanctos, omniſque fœditatis expertes. *Inquinamentum carnis* eſt, quod carne conſummatur, ùt impudicitiæ, commeſſationes, ebrietates. *Inquinamentum ſpiritûs* eſt idololatria, ſectæ, diſſentiones, æmulationes, &c. *Mundemus nos*, oſtendit ne perfectos quidem, quales erant Apoſtoli, ita prorſus mundos eſſe, ut ampliùs mundatione non egeant *Prov.* 20. ℣. 9. *Perficientes* quotidiano profectu ſanctitatem in baptiſmo inchoatam, quia nimirum ſanctitas conſiſtit in munditia carnis, & ſpiritûs inquinamento jam dicto contraria; *perficientes* inquam *in timore*, id eſt, per *timorem Dei* cujus ſcilicet templum ſumus: qui proinde vereri

debemus, ne per aliquam immunditiam *carnis aut ſpiritûs* templum Dei profanemus, & profanando violemus, ùt *in priore Epiſt.* c.3. ℣. 17.

℣. 2. *Capite nos. Neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.*

Capite nos, id eſt juxta aliquos, *Amplexamini nos*: juxta *Ambroſianum Capaces eſtote noſtri*; alludit enim ad id quod ante dixit, *dilatamini & vos*. q. d. Facite ne anguſta ſint charitatis veſtræ viſcera, ſed adeò capacia ſint, ut totos nos in amicitia continere poſſint: Vel *recipite* intra vos exhortationem meam, verba mea deſcendant in animum veſtrum, ùt *Matth.* 19. ℣. 11. Vel *ſuſcipite* nos & verba noſtra. Deinde pſeudoapoſtolos deſignans ait, *Neminem læſimus*, aut *corrupimus* impiis dogmatibus, aut *circumvenimus*, neminem fraudavimus, nihil à quoquam avaritiæ ſtudio exegimus, lucrum ſive quæſtum ex ſermone ſectantes, *infrà* c. 11.

℣. 3. *Non ad condemnationem veſtram dico. Prædiximus enim quòd in cordibus noſtris eſtis ad commoriendum, & ad convivendum.*

Id eſt, non hæc dico quòd vos arguam: vel non me excuſando vos accuſo, quaſi tales ſitis, qualem me eſſe nego. Vel non hæc dico velut tacitè vos accuſans, quòd talia de nobis ſuſpicemini. Jam enim antea *dixi* vobis in hac epiſtola, *quòd* ſitis *in cordibus noſtris*, id eſt, mihi chari & dilecti *ad commoriendum & convivendum*, adeò ut & mori & vivere vobiſcum cupiamus: vel ſive in adverſis ſive in proſperis, ut neque in his vobis invideam, nec in illis vos deſeram: Magna amicitia iſta eſt, quando & qui deſpicitur, etiam mori & vivere cum illis eligit, ait *Chryſ.*

℣. 4. *Multa mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.*

Id eſt, multùm de veſtra fide & amicitia erga me confido, gloriorque de vobis, prædicans veſtram obedientiam erga me Apoſtolum & patrem veſtrum. Maximum ſolatium ſuper malis quæ paſſus ſum, attulit mihi veſtra correctio per Titum annunciata: & tam exuberanti gaudio perfuſus ſum, ut omnem triſtitiam extinxerit.

℣. 5. *Nam & cùm veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus: foris pugnæ, intùs timores.*

Id eſt, tanta mala in nobis repentè excitata ſunt ab adverſariis, ut corpori noſtro nulla daretur relaxatio, nulla requies: vel *caro*, id eſt, nos nullam habuimus requiem. Profectiones *Pauli* ex Aſia in Macedoniam atque inde in Græciam narrat *Lucas* initio *cap.* 20. *Act. Sed omnem tribulationem*, id eſt, undique tribulationes irruebant in nos: Vel omne genus tribulationum *paſſi fuimus*. Exteriùs erat nobis repugnandum cum hoſtibus Evangelii: interiùs verò, id eſt, in animo patiebamur timores novarum perſecutionum. Vel *foris*, id eſt, ab infidelibus qui ſunt extra Eccleſiam inferebantur nobis pugnæ perſecutionum: *intùs* pro fidelibus qui ſunt in Eccleſia, angebamur timore, ne vi perſecutionum dimoverentur à fide: Vel non ſolùm ab hoſtibus manifeſtis palàm oppugnati ſumus, ſed etiam timores paſſi ab hoſtibus occultis & domeſticis, ùt *Matth.* 10. ℣. 36. Vel *foris*, id eſt, in publico multæ pugnæ; *intùs* verò, id eſt, in domibus nobis exiſtentibus timores incu-

tiuntur: & ſic nullibi quieſcimus, ut *Deut.* 32. ℣.25. Nec mirum ſi confiteatur ſuos timores, cùm Chriſtus & tædere & pavere dignatus ſit, *Marc.* 14.

℣. 6. *Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus in adventu Titi.*

Id eſt, *Deus* afflictorum & humilium conſolator infinitis afflictionibus *conſolatus eſt nos* per *adventum* & præſentiam *Titi* à vobis reverſi. Magnum aliquid eſſe ducit illius adventum. Vult enim fide dignum apud illos & amicum eis reddere virum.

℣. 7. *Non ſolùm autem in adventu ejus, ſed etiam in conſolatione, quâ conſolatus eſt in vobis, referens nobis veſtrum deſiderium, veſtrum fletum, veſtram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem.*

Non ſolùm, inquit, illius adventus mihi fuit cauſa lætitiæ, ſed etiam quòd ipſe *conſolatus* & exhilaratus fuit *in vobis*: Quoniam enim emendati fueratis, & ipſe per veſtram emendationem conſolationem accepit, & nos unà conſolationem accepimus. Non dixit à vobis, ſed *in* ſeu *de vobis*, de veſtra immutatione. Oblectavit nos (inquit) annuncians *nobis veſtrum deſiderium*, quòd me videre deſideretis. *Veſtrum luctum* amarum ob meam objurgationem quæ facta eſt per priorem epiſtolam, *veſtrum zelum*, quo accenſi fuiſtis adversùs fornicarium & pſeudoapoſtolos qui nobis detrahebant: *adeò ut magis gaviſus fuerim*, quàm fuerit triſtitia, quam ſuſtinui in meis afflictionibus & anguſtiis: aut quàm fuerit dolor quem paſſus ſum, eo quòd vos mœrore affeciſſem per epiſtolam, *ex Oecum.* Vel comparat gaudium poſterius cum priore. q. d. Tito referente

quæ jam dicta ſunt, gaudium ſuum magis ac magis crevit. Vel quòd conſolatio Titi auxerit gaudium, quod ex ejus adventu ceperat.

℣. 8. *Quoniam etſi contriſtavi vos in epiſtola, non me pœnitet: etſi pœniteret, videns quòd epiſtola illa (etſi ad horam) vos contriſtavit;*

Nam licèt contriſtaverim vos propter objurgationem prioris Epiſtolæ, nunc *non me pœnitet*, non doleo me ea ſcripſiſſe, etiamſi ante adventum Titi nondum certior factus de fructu triſtitiæ doluerim me vos contriſtaſſe; vel quia triſtitia per ſe malum quoddam eſt; vel quia metuebat ne fortè Corinthii ex triſtitia quâ eos affecerat, verterentur in odium ſui Apoſtoli, & per hoc fructus Evangelii periret: non enim doluit de epiſtola, quam ſciebat ſe ſpiritu divino ſcripſiſſe: ſed de quodam effectu epiſtolæ, quòd ſcilicet per eam Corinthios contriſtaſſet, ut proinde eâ parte optaret ſcriptam non fuiſſe. Græci dicunt pœnituiſſe, eo quòd modum exceſſiſſet increpationis, quamvis præter ſuam culpam: ex *Oecum.*; ſed prior expoſitio præplacet.

℣. 9. *Nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.*

Non gaudeo de triſtitia veſtra etſi tantùm ad horam fuerit: ſed de fructu triſtitiæ, qui eſt pœnitentia, ſeu correctio veſtra. (Quomodo medicus non gaudet de amaritudine potionis, ſed de ſanitate.) Adeò ut nullo detrimento ſitis affecti per nos, qui vobis cauſa triſtitiæ fuimus, cùm ea triſtitia procedens ex amore Dei & ju-

ſtitiæ ad pœnitentiam ſalutarem vos adduxerit. Vel ideò vos contriſtavi objurgando, ne pateremini ex me detrimentum ſpirituale: ex *Chryſ.*

℣. 10. *Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur.*

Stabilem, id eſt, fixam & immobilem, quidam legunt *impœnitibilem*, hoc eſt non pœnitendam, quia *triſtitia quæ ſecundùm Deum eſt*, parit pœnitentiam ſalutiferam, ideòque minimè pœnitendum: vel parit pœnitentiam, quæ cauſa eſt ſalutis ſemper manſuræ, & nunquam pœnitendæ: ex *Theoph.*; quare de ea non dolendum, ſed potiùs gaudendum. *Sæculi autem triſtitia* de amiſſa pecunia, dignitate, voluptate *mortem operatur* æternam, quatenùs Deus per eam graviter offenditur: vel temporalem, eo quòd immodica triſtitia morbos lethales parit, *Eccleſ.* 30. ℣. 25. *Prov.* 17. ℣. 22. Quamvis & *quæ ſecundùm Deum eſt* ex redundantia doloris in partem inferiorem animæ, corpus lædere & mortem adferre poteſt; unde Chriſtus ait, *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.*

℣. 11. *Ecce enim hoc ipſum, ſecundùm Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſolicitudinem: ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam. In omnibus exhibuiſtis vos, incontaminatos eſſe negotio.*

Id eſt, quòd *ſecundùm Deum* contriſtati eſtis ob fornicatorem, quantam in vobis peperit *ſolicitudinem*, id eſt, quàm diligentes ac ſolicitos vos fecit? Non ſolùm *ſolicitudinem*, *ſed & defenſionem* erga me, laudantes quòd tradidiſ-

ſem fornicarium Satanæ. Vel quòd Corinthii ſeſe apud Titum prolixè & ſolicitè excuſarunt ſuper negotio fornicarii, docentes quid ad ejus punitionem & correctionem egiſſent. *Sed indignationem* quam coram Tito oſtendiſtis adversùs fornicarium, *Sed timorem* erga me: nam timentium erat tanta correctio, ne ſcilicet quid iterum contingat: vel *timorem* divini judicii. *Sed deſiderium*; nam ex *Pauli* increpatione contriſtati ſecundùm Deum flagrantiùs ejus præſentiam deſiderabant. *Sed zelum*, aut pro Deo, aut pro me adversùs pſeudoapoſtolos, qui in me contumelioſi ſunt: *Sed vindictam*, ulti enim eſtis leges Dei quæ à fornicatore injuriâ affectæ erant. Ex hoc loco probatur ſatisfactio quæ pœnitentiæ pars eſt, quâ quis in ſeipſo vindicat quod malè egit. *In omnibus exhibuiſtis*, id eſt in omnibus iſtis tamquam totidem argumentis declaraſtis *vos à crimine immunes* atque vos metipſos ùt tales in præſentia Titi commendaſtis. *Negotium* vocat inceſti crimen, nolens illud exprimere propter turpitudinem, & quia pœnitentiâ deletum erat: Vel *negotium* illud, de quo altera erat objurgatio, 1. *Cor*. 6. ℣. 1.

℣. 12. *Igitur, etſi ſcripſi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui paſſus eſt: ſed ad manifeſtandam ſolicitudinem noſtram, quam habemus pro vobis*

Quod igitur per epiſtolam vos objurgavi, non tantùm nec præcipuè id feci *propter eum*, qui novercâ utendo patri *fecit injuriam*, id eſt, propter filium inceſtuoſum; ut ille puniretur, aut etiam corrigeretur; *nec* item *propter eum qui paſſus eſt* injuriam adulterii & inceſtûs, id eſt, propter patrem, ut ille vindicaretur, aut ab injuria liberaretur: Vel ſcortatorem intel-

lige, qui ſeipſum injuriâ affecit, & à ſeipſo injuriâ affectus eſt. Sed primaria cauſa non fuit propter illos, ſed propter vos, *ut manifeſtaretur ſtudium ſeu diligentia noſtra ad vos coram Deo*, id eſt, me potiſſimùm movit ſolicitudo totius Eccleſiæ, ſeu corporis veſtri, quæ apud vos erat declaranda per epiſtolam. Oſtendit præcipuam excommunicantis intentionem eſſe debere, ut à peccati contagio totum corpus ſervetur incorruptum, etiamſi fortè ſalus excommunicandi fuerit deſperata: ex *Chryſ.* & *Theoph.* Unde & in priore Epiſt. dixerat c. 5. ℣. 6. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit* & ℣. 13. *Auferte malum ex vobis ipſis. Coram Deo*, vel jurantis eſt, ut *Gal.* 1. ℣. 20. Vel ſolicitudinem ſuam ſinceram & ex charitate profectam fuiſſe ſignificat *coram Deo* judice: ex *Eſtio.*

℣. 13. *Coram Deo: ideò conſolati ſumus. In conſolatione autem noſtra, abundantiùs magis gaviſi ſumus ſuper gaudio Titi, quia refectus eſt ſpiritus ejus ab omnibus vobis.*

Id eſt, conſolationem accepimus & quidem duplicem: alteram quidem quòd ipſe non fruſtrà objurgaſſet eos per epiſtolam, ſed ipſi quod reprehenſum erat, correxerant alteram verò quòd *Titum* refocillaverant; ipſe verò ait *ob gaudium Titi*, oſtendens quòd Titus magnam ipſis haberet gratiam, ut eos magis ad amorem erga Titum traheret, quem rurſum miſſurus erat: ex *Oecum.* Quòd ſi pro *noſtra*, legatur *veſtra*, ſenſus erit. Quoniam inventi eſtis puri & incontaminati in negotio, idcircò conſolationem accepimus, atque in ea conſolatione magis gaviſi ſumus propter Titi gaudium. Vel cùm hæc omnia ita ſe habeant, conſolationem & gaudium cepimus ex vobis, utpotè qui jam

correcti nobis afflictis fueritis materia conſolationis: nam noſtrum gaudium magis auxit gaudium Titi, quod cepit ex vobis. *Refectus*, id eſt, reſocillatus ac recreatus ab anxietate, quam propter vos patiebatur, nam vos invenit correctos.

℣. 14. *Et ſi quid apud illum de vobis gloriatus ſum, non ſum confuſus: ſed ſicut omnia vobis in veritate locuti ſumus, ita & gloriatio noſtra, quæ fuit ad Titum, veritas facta eſt,*

Id eſt, non pudet me hujus gloriationis, quâ ut pater de filiis à ſe genitis & inſtitutis, *de vobis gloriatus ſum* apud Titum: ſed ſicut omnia illi in veritate locuti ſumus, *ita gloriatio noſtra quæ fuit ad Titum*, id eſt, gloriatio noſtra de vobis quâ gloriati ſumus apud Titum, *veritas facta eſt*, id eſt, vera inventa eſt: ex *Chryſ.*

℣. 15. *Et viſcera ejus abundantiùs in vobis ſunt: reminiſcentis omnium veſtrûm obedientiam: quomodo cum timore & tremore excepiſtis illum.*

℣. 16. *Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.*

Viſcera ejus, id eſt, charitas multa in vos: intimi affectus. Et cùm ipſe Titus antehac vos diligeret, nunc multò magis ex intimis viſceribus erga vos afficitur, dum recordatur quanta cum ſolicitudine eum à nobis miſſum ſuſceperitis, metuentes ne quid in vobis eſſet quod eum offenderet, ut 1. *Cor.* 2. ℣. 3. *In omnibus*, id eſt, *per omnia*, ſive objurgare oporteat, non vereor ne frangamini, ſive de vobis gloriari non timeo ne mendax appaream. Vel in *omni*, id eſt, ſive coram Tito ſic gloriari oporteat, ſive coram quovis alio. Vel *in omni re*, ſive in

omnibus ſive objurgare & averſari oporteat ſcortatorem, ſive ſuſcipere & revocare reſipiſcentem, ſive quid aliud fieri oporteat, *in omnibus confido in vobis.* Et nota hoc dici, ut viam præſtruat orationi ſubſequenti de eleëmoſyna: ex *Oecum.*

CAPUT VIII.

Hortatur Macedonum & Chriſti exemplo ad largiendas eleëmoſynas in uſum Eccleſiæ.

℣. 1. *Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ:*

IN hoc & ſequenti capite hortatur Corinthios ad largam eleëmoſynæ collationem faciendam in pauperes fideles, qui erant Jeroſolymis & in Judæa: *Gratiam* vocat tum quam Macedones habuerunt in conferendis eleëmoſynis, tum in afflictionibus ferendis: nam & quidquid boni facimus, eſt ex gratia Dei, ut 1. *Cor.* 16. Hic tamen vocat gratiam eorum qui eam tribuunt. Et totam gentem extollit dicens *in Eccleſiis*, ut notat *Chryſ.*

℣. 2. *Quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipſorum fuit, & altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum:*

Primùm vobis notum facio de fratribus Macedonibus, quòd multas afflictiones paſſi, & per eas probati magnum ex ea re gaudium perceperunt, ut *Rom.* 5. ℣. 3. Probari autem dicuntur homines per tribulationes, quia per eas

innoteſcit virtus eorum & conſtantia: Vel quòd multas experti tribulationes valde ſunt gaviſi; ſed hic commentarius refellitur ex vocabulo græco δοκιμῆ, quod in Scripturis probationem ſignificat. Quæſtio eſt de qua tribulatione Macedonum hic agat Apoſtolus. Sunt qui exiſtimant eum loqui de illa cujus mentio fit *Act.* 16.; alii de illa cujus meminit 1. ad *Theſſ.* 2; *Eſtius* verò poſt *Cajetanum* de tribulatione, de qua agit *cap. præced.* ℣. 5. Niſi magis placeat, inquit *Eſtius*, intelligere Apoſtolum in genere de tribulationibus anteà illatis. Ut ſit ſenſus, quòd in tam multis tribulationibus fuerint gaviſi & gaudeant adhuc in ſua paupertate; & hæc altera gratia quòd inter perſecutiones à pio opere nón deſiſterent. Et hoc (inquit) vobis notum facio, quòd profunda eorum paupertas exundavit in opulentam ſinceri cordis largitatem, id eſt, quamvis valde pauperes (nam direptionem bonorum fuerant paſſi, ùt 1. *Theſſ.* c. 2.) tamen abundanter & ſimplici corde contulerunt in uſum pauperum ſanctorum qui ſunt in Judæa. Collationem vocat *ſimplicitatem* quia Deo non eſt accepta ſinè ſimplicitate, & niſi fiat ut pauper ſubſidio juvetur & Deus honoretur: ex *Aug.*

℣. 3. *Quia ſecundùm virtutem teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarii fuerunt,*

Atteſtor enim illis, quòd pro viribus, & quid dico pro viribus? Etiam *ſupra* vires certè ultronei fuerint: alterum id encomium eſt; neque enim nos exhortati ſumus ipſos, ait *Oecum.*

℣. 4. *Cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam, & communicationem miniſterii, quod fit in Sanctos.*

Vel meliùs, *cum multa obſecratione* ſive oſtentatione rogantes nos ut de manibus ip-

ſorum ſuſciperemus eleëmoſynam (hanc enim *gratia* nomine tanquam beneficium & gratuitum munus appellat) *& communicationem*, id eſt, pecuniam à ſe collectam & fratribus communicandam, ut ſcilicet noſtro miniſterio perferretur in pauperes ſanctos, qui ſunt Jeroſolymis, nam *Paulus* ùt in *Actis* c. 11. & 12. legitur, huic miniſterio præfectus erat. Vocat communionem, ùt *Rom*. 12. ℣. 13.

℣. 5. *Et non ſicut ſperavimus, ſed ſemetipſos dederunt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei,*

Et non ſicut, id eſt, contrà quàm ſperabamus. Quis enim ſperaſſet ab egenis & afflictis munificentiam? Sed (inquit) præter ſpem noſtram non ſua modò, verùm ſe quoque ipſos Deo & nobis obtulerunt: ut ſcilicet tamquam vice-Chriſti tantùm ab eis acciperemus in ſubſidium pauperum, quantùm nobis placeret: *per voluntatem Dei*, id eſt, Deo tam pium affectum ſubjectionis & beneficentiæ in eorum cordibus operante: non humano modo, ait *Chryſ.*

℣. 6. *Ita ut rogaremus Titum: ut quemadmodùm cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam.*

Tam egregium & laudabile Macedonum exemplum me impulit ad hoc ut exhortarer & rogarem *Titum* ne inferiores eſſetis Macedonibus: *ut quemadmodum* dudum cùm apud vos eſſet, *incœpit: ita & perficiat* erga vos *etiam gratiam iſtam* ſeu eleëmoſynam, quæ major eſt quàm mortuos ſuſcitare. Nam hìc quidem in Chriſto benefacis aliis, illic autem ipſe tibi; ait *Chryſ.*

℣. 7. *Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientiâ, & omni ſolicitudine, inſuper & charitate veſtrâ in nos, ut & in hac gratia abundetis.*

Vide adhortationem cum encomiis: *abundatis*, hoc eſt omnia habetis in abundantia. *Fide* quidem quæ in Deum eſt, *ſermone*, id eſt, ſapientiâ: *ſcientiâ* autem quæ dogmatum eſt, ait *Oecum.* Et diligentiâ, vel *ſolicitudine*, quam habebant pro ſalute fratrum; & eâ quæ in vobis eſt *charitate* in nos, *ut in hac gratia abundetis*. Ellipſis eſt hoc loco, & ideò ante hæc verba ſupplendum, *obſecramus*, vel *facite*, ut ſit ſenſus; ſicut in illis abundatis, ita *obſecramus*, vel *vos facite*, ut in hoc quoque abundetis: ita *Gaig.* Vel pendet oratio ex hoc loco, *ita ut rogaremus Titum*, &c.

℣. 8. *Non quaſi imperans dico: ſed per aliorum ſolicitudinem, etiam veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans.*

Quoniam & multa admonuerat, & Macedones commendaverat ne cuiquam gravis videretur, ait: nolo vos urgere præcepto: quamvis alioqui poſſem ut veſter Apoſtolus, ut ad *Philem.* ℣. 8. (Hinc non colligas eleëmoſynam non eſſe in præcepto; quam etiamſi *Paulus* præcipere non poſſet, Dei tamen præceptum ſufficere deberet.) Sed, inquit, propoſito exemplo ſolicitudinis, id eſt, diligentiæ Macedonum, qui vos in hoc officii genere prævenerunt, *etiam veſtræ charitatis* indolem & ſinceritatem *probans*: id eſt, hujuſmodi opere beneficentiæ exploratam ac probatam reddere volens.

℣. 9. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopiâ vos divites eſſetis.*

Hortatur exemplo beneficentiæ Chriſti Salvatoris erga nos, quæ fuit major eâ quam exigebat à Corinthiis: à nobis edocti eſtis quòd veſtri causâ indigens rerum temporalium factus eſt in aſſumpta natura, *Matth.* 8. ℣. 20., qui non ſolùm nihil proprium poſſidere voluit, ſed inſuper penuriam pati. Sunt qui ex hoc loco refellunt opinionem eorum qui Chriſto ùt homini tribuunt regnum & dominationem temporalem totius mundi. *Cùm dives eſſet*, intellige in natura divina. Vel quia ſibi ſufficientiſſimus in bonis ſuæ divinitatis. Vel quia Dominus omnium rerum: *ut illius* paupertate in temporalibus *vos* efficeremini *divites* in ſpiritualibus. Cæterùm hoc intelligendum reliquit. Quòd ſi Chriſtus *cùm dives eſſet*, temporalem ſuſtinuit inopiam, ut ſpiritualiter vos ditaret, utique vos debetis, ut eum quodammodo imitemini, temporalia veſtra ſaltem abſque inopiæ periculo fratribus communicare: ita *Eſtius*.

℣. 10. *Et conſilium in hoc do: hoc enim vobis utile eſt, qui non ſolùm facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore:*

℣. 11. *Nunc verò & facto perficite: ut quemadmodùm promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo, quod habetis.*

Superiùs dixit ſe nolle imperare, nunc conſilium dat quale & dedit *Daniel* dicens c. 4. ℣. 24. *Conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmoſynis redime.* Unde ùt diximus, non ſequitur eleëmoſynam eſſe conſilii tantùm: nam

tenebantur ex præcepto Dei & ex lege naturæ Corinthii tanquam divites ad hoc genus miſericordiæ præſtandum, ut Rex ille apud Danielem; quod oſtendit Apoſtolus *Rom.* 15. & 1. *Cor.* 16. Rationem conſilii dat, eo quòd *utile eſt*, non ad bonum aliquod temporale, ſicut utile eſt accipientibus, ſed ad bonum ſpirituale, ſcilicet ad Deum promerendum. *Heb.* 13. ℣. 16. *Qui non ſolùm facere*, id eſt, qui non ſolùm eleëmoſynas facere cœpiſtis, *ſed velle*; ubi Græci interpretantur *velle* voluntariè facere, ac nullo exhortante: *ut quemadmodùm promptus eſt animus voluntatis*, id eſt, quemadmodum jam *ab anno priore* promptam ſanctis benefaciendi voluntatem habuiſtis: ita ſit & *perficiendi*, id eſt, ſic vos promptos ad conferendas eleëmoſynas oſtendatis *ex eo quod habetis*. q. d. Sic hortor ad perficiendum, ut tamen nihil exigam à vobis ſupra vires. Poteſt etiam verbum *habere*, referri ad *promptum animum*: ita *Gaig.*

℣. 12. *Si enim voluntas prompta eſt, ſecundum id, quod habet, accepta eſt, non ſecundùm id, quod non habet.*

Præmiſsâ enim, inquit, animi promptitudine acceptus eſt quiſpiam à Deo juxta partem quam poſſidet, ſive parva ſit, ſive nihil omninò ſit, *juxta id* (ait) *quod poſſidet*, non juxta id quod non poſſidet, exigitur.

℣. 13. *Non enim ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate.*

Non enim ſic moneo largiendum eſſe, *ut alii* ex veſtris eleëmoſynis abundent ac plus habeant quàm opus ſit ad eorum inopiam levandam, vos autem anguſtiam patiamini: ſed quòd utriſque ſufficiat, ait *Hier.*

℣. 14. *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt:*

Id eſt. Sed volo ut *in præſenti tempore ex æqualitate*, id eſt, per quandam æqualitatem *veſtra abundantia*, id eſt, opulentia *illorum inopiam ſuppleat.* Illis enim indigentibus ac vobis abundantibus multa eſt inæqualitas. Quòd ſi veſtris facultatibus illorum indigentiam ſuſtuleritis, jam fiet quædam æqualitas dum ipſi ex eo quod ſatis eſt, contenti, tantumdem habebunt, quantum & ditiſſimi: nimirùm quantum volent. Volo ergo vos illis ſubvenire, *ut fiat æqualitas*, id eſt, ut æqualiter omnibus neceſſaria ſufficiant, *ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum.* Sunt qui hanc partem de temporalibus intelligunt hoc ſenſu: ut alio tempore quando illos abundare & vos indigere continget, illi de ſua copia viciſſim veſtram ſuppleant inopiam. Sed obſtat quod habetur *Luc.* 14. *Retribuetur tibi in reſurrectione juſtorum.* Alii meliùs, ùt *Hier.* de bonis ſpiritualibus q. d. In hoc ſæculo veſtra temporalis abundantia ſuppleat illorum temporalem inopiam, ut viciſſim aliquando, nimirùm in futuro ſæculo, ſpiritualis illorum abundantia veſtræ ſpiritualis inopiæ ſupplementum ſit, ut *Luc.* c. 16. ℣. 9. 2. *Tim.* 1. ℣. 16. & 18. *Gal.* 6. ℣. 9. *Rom.* 15. ℣. 27. Eâ communione quâ in Eccleſia Chriſti aliorum merita per charitatem ad alios derivantur. In quo notanda virtus eleëmoſynæ, quæ facit hominem participem meritorum ejus in quem confertur. Ut *fiat æqualitas* etiam in ſpiritualibus inter abundantes & inopes, dum quod quibuſdam fidelibus

deeſt ad ingreſſum regni cœlorum, per aliorum Sanctorum merita, quibus in hoc ſæculo benefecerunt, ſuppletur. Fiunt enim hoc pacto ſanctis æquales in eo quod eſt, ſufficientia bona habere ad ingrediendum in æterna tabernacula.

℣. 15. *Qui multum non abundavit: & qui modicum, non minoravit.*

Scriptum eſt, Exod. 16. Quod enim ibi ſcriptum eſt de colligentibus manna, quædam figura fuit æqualitatis hujus tam temporalis quàm ſpiritualis, de qua loquitur Apoſtolus. Nam ſenſus eſt; non plus habuit qui plus colligit; neque minus habuit, qui minus collegit, ſed omnes æquè multum, nempè menſuram Gomor. Impletur autem illa figura perfectè, quando qui bonis terrenis abundant, nihil volunt boni ſuperflui retinere, ſed totum indigentibus elargiri: & qui divites ſunt ſpiritualium bonorum, quantum in ipſis eſt, communicatione meritorum alios ſibi adæquant.

℣. 16. *Gratias autem Deo, qui dedit eamdem ſolicitudinem pro vobis in corde Titi,*

Ubi de eleëmoſyna diſſeruit, quantum oportuit, conſequenter laudat eos qui ad hoc miſſi ſunt, ut dum omni carerent ſuſpicione, magis ipſos inducerent ut prompto animo conferrent. Quid eſt *eamdem*? Scilicet, eam quam & pro Theſſalonicenſibus habuit: Vel eandem quam ego: ex *Chryſ.* Dei autem opus dicit, eique gratias agit, quòd Titum ad hoc excitaverit, eo modo authoritatem & gravitatem addens contribuendi. Niſi enim magnum aliquid eſſet, nequaquam ad id excitatus eſſet *pro vobis*; nam eleëmoſyna plus prodeſt danti, quàm accipienti: vel pro *vobis* exhortandis ad collectam perficiendam: ex *S. Thom.*

℣. 17. *Quoniam exhortationem quidem ſuſcepit : ſed cùm ſolicitior eſſet, ſuâ voluntate profectus eſt ad vos.*

Id eſt, gratam habuit exhortationem noſtram: diligentior autem *cùm eſſet* ſpontaneus *exivit ad vos*, collectæ perficiendæ causâ : ſeu jam paratus eſt & accinctus ad profectionem. Vel refertur ad tempus, quo à Corinthiis legenda erat hæc Epiſtola.

℣. 18. *Miſimus etiam cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias :*

Multi hunc *fratrem Lucam* fuiſſe dicunt propter conſcriptum ab ipſo Evangelium, ùt *Hier.* Multi verò *Barnabam*, ſiquidem prædictionem non ſcriptam aiunt dictam eſſe Evangelium. Nam quæ poſt hæc ſequuntur. Barnabæ magis, *Act.* 12. & 15. aptantur. *Cujus laus eſt in Evangelio :* non enim ſolùm prædicat, inquit, ſed cum laude hoc facit; illa verò laus non ad unum, ſed ad *omnes* pervenit *Eccleſias :* ſic Græci. Alii dicunt loqui de *Apollo* : nam & de eo verum eſſe putant, laudem ejus in Evangelio fuiſſe per omnes Eccleſias : deſcribitur enim vir eloquens & potens in Scripturis *Act.* 18. Alii *Titum*, de quo meminit *cap.* 1.; hujus enim fratris laus in Evangelio fuit per omnes Eccleſias, ſive quòd propter inſignem operam, quam poſuit in Evangelio prædicando, celebratus fuerit ubique apud fideles, ſive quòd ex Evangelio per omnes Eccleſias prædicato magnam laudem adeptus fuerit, *Act.* 15.

℣. 19. *Non ſolùm autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ in hanc gratiam, quæ miniſtratur à nobis ad Domini gloriam, & deſtinatam voluntatem noſtram:*

Non ſolùm (inquit) Evangelium prædicando laudem promeretur, ſed etiam quia *deſignatus eſt ab Eccleſiis* ut eſſet *comes*, imò ſocius & collega *noſtræ peregrinationis*; ut ſimul injunctum fuerit ei miniſterium eleëmoſynæ procurandæ, quam ut 1. *Cor.* 16. *gratiam* vocat, id eſt beneficentiam ſeu gratuitam erogationem. Vel ipſum officium procurandi eleëmoſynas adminiſtratum à *Paulo* ejuſque ſocio. *Quæ* gratia (inquit) *à nobis* adminiſtrata facit, ut *Dominus Deus*, vel Chriſtus laudetur & glorificetur in beneficentia eorum, à quibus eleëmoſynæ per noſtrum miniſterium colliguntur. *Et deſtinatam voluntatem noſtram*, Græcè, *Et promptitudinem animi veſtri* excitandam. Nam & hic erat illius miniſterii fructus, qui tamen etiam ad Dei gloriam faciebat, juxta illud *Matth.* 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.*

℣. 20. *Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ miniſtratur à nobis.*

Obſervantes ne quis pravam adversùs nos habeat ſuſpicionem, tanquam pecuniam nobis ſumere velimus, eo quòd abundans & exuberans futura ſit contributio veſtra. Etenim abundans pecuniarum multitudo poſſet pravis veriſimilem injicere ſuſpicionem de nobis, niſi ideò electos ad illarum ſuſceptionem miſiſſemus: ex *Chryſ.*

℣. 21. *Providemus enim bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.*

Id eſt, enitimur ut benè audiamus Deo & hominibus, & rectè ac probè non tantùm *coram Deo* verſemur, *ſed etiam coram hominibus*, ne quem offendamus, ùt *Rom.* 12. ℣. 17. & *Prov.* 3. ℣. 4

℣. 22. *Miſimus autem cum illis & fratrem noſtrum, quem probavimus in multis ſæpe ſolicitum eſſe: nunc autem multò ſolicitiorem, confidentiâ multâ in vos,*

Ecce & tertium adjunxit, eumque non ſinè encomio: extollit enim à ſua probatione virum. Eſt autem laudis intenſio quod ait, *in multis & ſæpenumero* diligentem, *nunc autem multò ſolicitiorem*, id eſt, ſtudioſiorem veſtri *ob multam confidentiam* quam de vobis habet: vel quam habeo erga vos. Fortè rectiùs hæc pars referenda ad miſſionem trium fratrum prædictorum, quorum primus erat *Titus*, ut ſit ſenſus. Miſimus, inquam, fratres commemoratos optimè confiſi de vobis, quòd eos tamquam viros integræ ac probatæ fidei pro dignitate ipſorum & noſtra expectatione ſuſcipietis.

℣. 23: *Sive pro Tito, qui eſt ſocius meus, & in vos adjutor, ſive fratres noſtri, Apoſtoli Eccleſiarum, gloria Chriſti.*

Pro Tito, id eſt, Titi nomine, vel per Titum, qui eſt ſocius meus, ſive *per fratres noſtros Apoſtolos*. Eſt autem ſenſus. Miſimus alium Fratrem ſtudioſum veſtri, & confidentem de vobis: Vel multùm confidentes de vobis, ſive pro Tito, ſive ob Titum, qui hanc mihi aut illi peperit confidentiam. Sive ſubaudi hanc mi-

hi confidentiam pepererunt *fratres noſtri Apoſtoli Eccleſiarum*, qui tales ſunt vitâ ac moribus, ut iis glorificetur Chriſtus, ùt filius ſapiens dicitur gloria patris.

℣. 24. *Oſtenſionem ergò, quæ eſt charitatis veſtræ, & noſtræ gloriæ pro vobis, in illos oſtendite in faciem Eccleſiarum.*

Oſtenſionem, ſive ſpecimen exhibete *veſtræ charitatis* & *noſtræ gloriæ*, id eſt, gloriationis pro vobis: *Oſtendite* & quòd me amatis, & ego de vobis jure glorior. *Oſtendite* autem *in facie Eccleſiarum*, id eſt, ita ut Eccleſiæ unde ad vos miſſi ſunt, cognoſcant ex veſtra in illos noſtro nomine benevolentia, quòd nos amatis, neque immeritò de vobis glorior: pro eo autem quod eſt *in faciem*, Græci habent in perſonam Eccleſiarum. q. d. Charitatem quam in illos impenditis, in Eccleſias impenderitis: ita *Gaig.*

CAPUT IX.

Eleëmoſynas ex hilaritate dandas oſtendit, & multum illarum fructum.

℣. 1. *Nam de miniſterio, quod fit in ſanctos ex abundanti eſt mihi ſcribere vobis.*

ID eſt, de faciendis eleëmoſynis ſupervacaneum eſt *vobis* jam ab anno ſuperiore ad hoc paratis *ſcribere*.

℣. 2. *Scio enim promptum animum veſtrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaïa parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio provocavit plurimos.*

Id eſt, non modò Corinthus, ſed univerſa *Achaïa parata* eſt Sanctis largiri eleëmoſynas.

Eſt autem Achaïa provincia in qua ſita eſt Corinthus. Et veſtrum, inquit exemplum multos ad piam æmulationem quâ ſimiliter facere vellent, concitavit. *Exemplum* intelligit promptitudinis, quâ ſe paratos declaraverant ante annum. Nullam enim adhuc miſerant pecuniam.

℣. 3. *Miſi autem fratres: ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati ſitis:*

Conſidera *Pauli* providentiam. *Miſi*, inquit, illos ne vana fiat gloriatio noſtra, & mendaces inveniamur, qui vos præparatos dixerimus *in hac parte*, nempe eleëmoſynæ. Ut *quemadmodum dixi* Macedonibus vos paratos fore: vel *dixi*, id eſt, juſſi in *priore epiſtola c.* 16. *parati ſitis* in adventum meum, id eſt, ut inveniatur pecunia jam collecta, & ad mittendum parata.

℣. 4. *Ne cùm venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubeſcamus nos (ut non dicamus vos) in hac ſubſtantia.*

Græci legunt, *in hac ſubſtantia gloriationis*, id eſt, ne fortè contingat ut ſi Macedones mecum venerint, & vos offenderint imparatos, ego meique collegæ, qui de veſtra promptitudine gloriati ſumus, coram eis pudefiamus, tamquam vani in hoc argumento gloriationis, imò & vos ipſi, quod dicere durum eſt, pudefiatis in eadem *ſubſtantia* ſeu argumento gloriationis noſtræ pro vobis, ut qui non reſpondeatis promptitudini quam de vobis prædicavi: Vel ut notant Græci, ait *in hac ſubſtantia* & ſuperiùs *in hac parte*. q. d. Aliis in rebus, quibus de vobis gloriatus ſum, non vereor ne pude-

ſiam : ſatis enim apparent in vobis ea quæ prædico : ſed hìc ſolùm periclitatur & gloria mea & honor veſter, ſi non inveniamini parati : ex *Oec.*

℣. 5. *Neceſſarium ergò exiſtimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe ſic, quaſi benedictionem, non tamquam avaritiam.*

Id eſt, ut antè ad vos veniant, & præparent antè benedictionem, eleëmoſynam, quæ munus eſt beneficentiæ; ut parata ſit in adventum noſtrum : præparent autem *ſic quaſi benedictionem*, ſive quæ mereatur nomen benedictionis, id eſt, tanquam à liberali & non avaro ingenio profectam, ut larga ſit, non avara, non parca, non tenuis : Græci benedictionem vocant eleëmoſynas quæ in ſanctos conferebantur : ex *Gaig.*

℣. 6. *Hoc autem dico : Qui parcè ſeminat, parcè & metet : & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

Oſtendit ab exemplo eorum qui ſeminant, largè tribuendum eſſe, ut larga ſit retributio : rem ita quoque ſe habere apud Deum, ut qui in dandis eleëmoſynis parciùs ſeminat, minorem percipiat retributionis fructum in futuro ſæculo, qui verò largiùs ſeminat, fructum quoque percipiat copioſiorem, ùt *Gal.* 6. ℣. 8. & *Eccl.* 11. ℣. 6. Poteſt & hoc intelligi de participandis meritis Sanctorum, in quos quiſque contulerit eleëmoſynas, ùt *cap. præcedenti* ℣. 14. ut ſenſus ſit : Qui parum & parcè tribuerit illis, parum juvabitur. Meliùs tamen de retributione bonorum operum generaliter accipitur. Hinc contra Hæreticos patet hominem per opera miſericordiæ mereri retributionem futuri ſæculi : ex *Eſtio.*

℣. 7. *Unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus.*

Prout deſtinavit græcè, ſicut *proponit corde*, prout illi viſum fuerit, modò non coactus aut triſtis det, ſed hilaris, non ex *neceſſitate*, ùt qui majorum authoritate, vel aliorum exemplis impulſus ac pudore inductus dat, alioqui non tam multum daturus. *Hilarem datorem* vocat, qui libenter & ex animo dat. Hunc diligit Deus, quia benefacere ei conſtituit, opus beneficentiæ ejus magnificè remuneraturus: nam diligere Dei, eſt benefacere velle. Triſtem verò datorem, id eſt, involuntarium non diligit, quia non approbat, non remunerat. Unde ſi panem dederis triſtis, & panem & meritum perdidiſti, ait *Aug. in Pſ.* 42.

℣. 8. *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum,*

Omnem gratiam tam ſpiritualium, quàm carnalium rerum, ut abundè poſſitis tribuere: Vel poteſt Deus vobis carnalia ac parva tribuentibus, ſpiritualia & magna rependere, & facere ut exuberent, id eſt, non ſolùm implere, ſed etiam ultra neceſſitatem dare. Conſidera ſapientiam, in carnalibus ſufficientiam ipſis precatur: at in ſpiritualibus exuberantiam & opulentiam, ait *Oecum.*

℣. 9. *Sicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.*

Sicut ſcriptum eſt, *Pſalm.* 111., *Diſperſit*, id eſt, more ſeminantis ſpargit opes ſuas, ac diſtri-

diſtribuit eas *in pauperes*: quæ ſic diſpertæ, etſi videantur ei perire, *juſtitia* tamen *ejus manet in æternum* quoad fructum; quia laudem apud homines, & mercedem apud Deum conſequetur: ex *Chryſ. Juſtitiam* vocat eleëmoſynam, ut *Matth.* 6. ℣. 1.; quia juſtum eſt non ſibi ſoli retinere quod datum eſt á Deo omnibus in commune, vel eam quæ generalis eſt virtus complectens gratuitam beneficentiam.

℣. 10. *Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti: & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ:*

Deus qui per ſuam providentiam ſuppeditat *ſeminanti ſemen*, idem etiam *panem* & cætera ad victum neceſſaria ſuppeditabit in alimoniam veſtram: & ne impoſterum deſit, unde ſuſtentemini, *multiplicabit* etiam *ſemen veſtrum* jactum in terram: & quod primo loco quærendum eſt, *augebit* etiam atque ad perfectionem adducet proventus ac fructus *juſtitiæ veſtræ*, quam in erogandis eleëmoſynis oſtenderitis, ut ea ſic aucta maneat in æternum, ut 1. *Tim.* 4. ℣. 8.

℣. 11. *Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.*

q. d. Ea quæ dixi vobis, Deus præſtabit (aut præſtet,) utpote qui ſitis per omnia divites perfectæ ſimplicitatis. Vocat autem *ſimplicitatem*, candidam ac liberalem elargiendi voluntatem, quæ efficit, ut per nos gratiæ agantur Deo, id eſt, per quam, & propter quam Deo gratias agimus: ex *Gaig.*

℣. 12. *Quoniam miniſterium hujus officii non ſolùm ſupplet ea, quæ deſunt Sanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino,*

Hoc eſt, liberalitas & collatio harum pecuniarum ac ſpirituale *miniſterium*, quod à nobis adminiſtratur, *non ſolùm* hoc, inquit, aſſequitur ut expleat *ea quæ deſunt* ſive indigentiam Sanctorum, verùm etiam exuberare facit *gratiarum* actionem erga Deum, quòd per multos offeratur. Hoc autem eſt, quòd & pauperes alantur, & efficere ut gratiæ agantur Deo.

℣. 13. *Per probationem miniſterii hujus, glorificantes Deum in obedientia confeſſionis veſtræ, in Evangelium Chriſti, & ſimplicitate communicationis in illos, & in omnes,*

Id eſt, dum per noſtrum miniſterium probatâ illis veſtrâ liberalitate, *Deum glorificant* ſuper fide veſtra, quâ cum humili ſubjectione animi & externa oris confeſſione ſuſcepiſtis *Evangelium Chriſti* (Hæc enim erat prima gratiarum actionis & glorificationis divinæ materia:) & ſuper liberalitate veſtra; quâ ſimplici animo, purâque intentione participes bonorum veſtrorum temporalium feceritis ipſos ac cæteros Chriſti pauperes; ait *Eſtius*.

℣. 14. *Et in ipſorum obſecratione pro vobis, deſiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.*

Id eſt, redundabit inſuper beneficium hoc eleëmoſynæ ad hunc fructum, ut pauperes illi ſancti *pro vobis* orent Deum, quæ eſt communis obligatio pauperum eleëmoſynas accipientium. Qui *vos*, ait, *deſiderant* non propter divitias,

ſed ut ſpectatores ſint vobis datæ à Deo gratiæ. *Propter eminentem* enim, inquit, *Dei Gratiam in vobis* vos videre cupiunt. *Gratiam* vocat fidei & beneficentiæ.

℣. 15. *Gratias Deo ſuper inenarrabili dono ejus.*

Donum vocat, quòd Evangelio ſubjecti ſunt Corinthii, & quòd per eleëmôſynas tanta bona nobis tribuerit, quanta enumeravit: quòdque pro illa dabit in futuro majora, ait *Oecum.*

CAPUT X.

Dignitatem ſuam tuetur & magnificat adversùs pſeudoapoſtolos.

℣. 1. *Ipſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem, & modeſtiam Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis.*

EXpleto ſermone de eleëmoſyna; auſpicatur hoc capite & duobus ſequentibus ſermones magis increpatorios adverſùs pſeudoapoſtolos, eoſque qui ipſum calumniabantur. Et ſeipſum commendat cùm in neceſſitatem hoc faciendi incidiſſet, ne etiam prædicatio vileſceret, ſi ipſe ob ſilentium vilis ac abjectus reputaretur: & datæ ſibi cum exuberantia gratiæ præclara ponit facinora, ſuamque tolerantiam ac perpeſſa pro Chriſto certamina. *Obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti*, hoc exordio utitur, quia cupiebat non provocari ad ſeveritatem vindictæ. q. d. Oro vos per manſuetudinem Chriſti, ne me cogatis iraſci: *Ego Paulus* qui (quòd mihi

vitio vertitur ab adverſariis) cùm apud vos ſum, humiliter & ſubmiſsè me gero; cùm abſens ſum, audaciam & confidentiam cum authoritate erga vos oſtendo in epiſtolis quas ſcribo. Græci ironicè hoc dici putant in pſeudoapoſtolorum perſona: ex *Gaig*.

℣. 2. Rogo autem vos ne præſens audeam per eam confidentiam, quâ exiſtimor audere in quoſdam, qui arbitrantur nos tamquam ſecundùm carnem ambulemus.

Rogo vos, inquam, ne veſtrâ culpâ contingat, ut qui *præſens* apud vos hactenùs humiliter me geſſi, poſthac cum ea fiducia, quâ abſens *audere exiſtimor*, etiam *præſens audeam*, hoc eſt audacter & intrepidè poteſtatem meam exerceam in quoſdam ex vobis, qui malè perſuaſi à pſeudoapoſtolis, exiſtimant nos ſecundùm carnem ambulare, ſeu vivere more hominum, qui cupiditate habendi, vel metu amittendi ea, quæ carnaliter amant, omnia faciunt.

℣. 3. In carne enim ambulantes, non ſecundùm carnem militamus.

Id eſt, non carnaliter vivimus ſecundùm inclinationes & deſideria carnis. q. d. Non vindictæ gratiâ poteſtate noſtrâ utimur.

℣. 4. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes,

Et adeò non ſecundùm carnem ambulamus, ut arma quibus utimur contra adverſarios, *non ſint carnalia. Arma* verò *carnalia* dici poſſunt divitiæ, fortitudo, principatus, gloria, eloquentia. Nos itaque non his vincimus; ſed contrariis, paupertate, imbecillitate, ignomi-

niâ, ſcientiâ: ideò quoque *potentia Deo* iſta dicit. Etenim per hoc potentiam & admirationem à Deo habent, nam talia cùm ſint orbem devicerunt. Non dixit, nos ſumus potentes, ſed arma per Deum. Nam & illis nos non potentiam dedimus, ſed Deus, ait *Oecum.* Ea autem arma valent ad demoliendas & evertendas *munitiones* adverſariorum, id eſt, omnia ea per quæ illi vel oppugnabant fidei veritatem, vel ſuos errores ſtabiliebant, ut 1. *Cor.* 1. ℣. 19. & 3. ℣. 19. 20. & 21. quibus armis *conſilia* deſtruimus. Græcè *cogitationes*, ſyllogiſmos, ratiocinationes Græcorum ſapientum: ex *Chryſ.*

℣. 5. *Et omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti,*

Per celſitudinem ſignificat quidquid in ſermone vel ſcientia ſæculari grande & ſublime eſt, & apud homines admirationem excitat: Quod totum deſtruendum dicit, quatenùs extollitur *adversùs ſcientiam Dei*, quâ nimirùm Deus cognoſcitur, quam ſcientiam *S. Thom.* poſt *S. Bern.* fidem Chriſtianorum interpretatur; de qua *Iſaïæ* c. 11. *Repleta eſt terra ſcientiâ Dei. Et omnem intellectum*, omne ingenium captivum ducimus, quantumcumque excellens & ſcientiis excultum, ad obediendum & humiliter ſubmittendum ſe Chriſto per fidem: cujus rei exempla ſunt in Dionyſio Areopagita, Ariſtide, Juſtino & iis qui magicos libros combuſſerunt, *Act.* 19. Hos enim *Theoph.* pro exemplo hìc allegat.

℣. 6. *Et in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit veſtra obedientia.*

Id eſt, ad manum habentes poteſtatem ul-

ciſcendi *omnem inobedientiam*, animadvertendi in omnes inobedientes, ſcilicet eos qui Chriſti fidem ſuſceperunt, & inter fideles numerantur: qui impœnitentes & contumaces ſunt, qui ſoli ſunt excommunicandi. Ex hoc loco probat poteſtatem excommunicandi hæreticos *Auguſt. Epiſt.*50. *Cùm impleta fuerit veſtra obedientia*, id eſt, cùm vos plenè ad obedientiam reductos videro, tunc eâ poteſtate utemur. Hinc apparet Apoſtolum minari pſeudoapoſtolis ultionem tanquam inobedientibus, ſed eam differre propter Corinthios, quorum quidam adhuc inobedientes erant, ne videlicet hos eâdem pœnâ cum pſeudoapoſtolis involvere cogatur. Vel meliùs illa comminatio accipitur de iis, qui adhuc inter Corinthios magnis peccatis erant obnoxii, in quos, quia multi erant, non facilè poterat exerceri diſciplina per excommunicationem, ob periculum ſchiſmatis & manifeſtæ rebellionis: ex *Auguſt. l.* 3. *cont. Parm.* cap. 2.

℣. 7. *Quæ ſecundùm faciem ſunt, videte. Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe, hoc cogitet iterùm apud ſe: quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos.*

q. d. Itane vos Corinthii externam tantùm hominis perſonam videtis, & conſideratis? Vel ironicè. *Videte* tantùm nunc quæ *in faciem ſunt*; id eſt, conſiderate nunc tantùm me ſecundùm externam perſonam abjectum, non internam virtutem & poteſtatem. Neque eſt quòd veſtri pſeudoapoſtoli Chriſti ſe diſcipulos jactent, nam & ipſi etiam ſumus: ita *Gaig.* Vel ſeriò dictum. Moneo vos, ut ſaltem ea quæ conſpicua ſunt & omnibus nota conſideretis: ex his enim facilè vobis erit de me & æmulis meis æſtimare. q.d. *Secundùm faciem* (ùt aiunt) humilis ſum, ergo

quæ ſecundùm faciem ſunt videte, & ex iis, de me & illis judicate. *Si quis* gloriatur *ſe eſſe Chriſti, hoc* etiam perpendat *apud ſe*, quòd perinde atque Chriſti miniſter eſt, & nos miniſtri Chriſti ſumus: hâc parte non ſumus eo inferiores.

℣. 8. *Nam, & ſi ampliùs aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram: non erubeſcam.*

q. d. Satis eſt interim dixiſſe, *ita & nos. Nam ſi* quid ultrà hoc dicerem, non pudefierem, nam vera dicerem *de poteſtate noſtra* punitiva & ulciſcente adverſarios. Deinde quod odioſum erat in ſermone corrigens, ait: *Ad ædificationem.* q. d. Poteſtatem accepimus ut vos ædificaremus ad fidem non ut aliquem puniremus; quia hoc ipſum maximè eſt veſtri ædificatio, ut de medio tollantur impedimenta & offendicula; putà ſi aboleantur pſeudoapoſtoli, ait *Oecum.* Sic excommunicatio, deſtructio quædam eſt, quâ membrum à corpore præſciditur, quæ tamen non *eſt ad deſtructionem*, ſed ad *ædificationem*, quando illa præciſio fit, uti fieri debet pro ſalute & præſervatione totius corporis, imò & (quatenùs poſſibile eſt) pro ſalvatione & reſtitutione membri præciſi, ut 1. *Cor.* 5. ℣. 5. 2. *Theſſ.* 3. ℣. 14. 1. *Tim.* 1. ℣. 20. ex *Chryſ.*

℣. 9. *Ut autem non exiſtimer tamquam terrere vos per epiſtolas:*

q. d. Memini poteſtatis meæ, ſed ad ædificationem datæ, non ad deſtructionem veſtri, idque ne videar vos velle *perterrefacere per epiſtolam.* Vel poſſem gloriari de poteſtate mea, non

faciam tamen ne videar, &c. Vel ut autem non videar terrere vos velle per epiſtolam, quaſi præſens nihil audeam. Sequitur parentheſis.

℣. 10. *Quoniam quidem epiſtolæ, inquiunt, graves ſunt & fortes: præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis:*

Enallage numeri; nam loquitur de una tantùm epiſtola, quam ad Corinthios ſcripſerat, quæ, inquiebant, minax ac terribilis & authoritatis plena, maximè in fine *capitis* 4. & *toto capite* 5. ubi de inceſtuoſo Satanæ tradendo & aliis excommunicandis agitur. Cùm autem præſens eſt, humiliter, demiſsè, ac timidè ſe gerit, tanquam nullius authoritatis, ſimiliter de infirmitate loquitur Apoſtolus c. 11. & 12. Ubi *ſe in infirmitatibus gloriari*, dicit, & c. 13. *quando nos infirmi ſumus* & item *Ep.* 1. ad *Cor.* c. 2. ℣. 3. *Et ego in infirmitate* &c. *Sermo* dejectus humilis & per hoc *contemptui* expoſitus.

℣. 11. *Hoc cogitet qui ejuſmodi eſt, quia quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto.*

Id eſt, *quiſquis eſt*, qui talia dicit, *cogitet* quòd *quales ſumus abſentes* ſermone tranſmiſſo *per epiſtolam*, nempe poteſtatem noſtram ac ſeveritatem oſtendentes, *tales etiam præſentes*; nec ſolùm ſermone, ſed & opere, ſcilicet cùm opus eſt. Vel tales erimus præſentes, poſtquam illuc advenerimus, unde dicit c. 12. ℣. 20. *Timeo ne... ego inveniar qualem non vultis* & c. 13. ℣. 2. *quoniam ſi venero iterùm, non parcam.*

℣. 12. Non enim audemus inſerere, aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos commendant: ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis.

Id eſt, *non audemus nos* in illorum familiam coöptare, aut illis *comparare, qui ſeipſos commendant*, ſibique magni videntur: & hoc modo ironicè legendum, cùm alibi dicat, *nihil minùs feci à magnis illis Apoſtolis.* Alii interpretantur, *non audemus nos* illis ſimiles facere, qui ſibi placent, ſeque commendant atque aliis præferunt. *Sed ipſi in nobis noſmetipſos metientes*, id eſt, metimur nos noſtro pede & comparamus noſmetipſos nobis, non aliis. Græci pro; *ſed ipſi in nobis*, legunt *ipſi ſemetipſos & ſibimetipſi ſe comparantes, non intelligunt*; id eſt, ipſi dum ſe ad nullius regulam metiuntur, & componunt & comparant ſibi ſemetipſos, dum dedignantur ſe cum quovis alio componere, exiſtimantes nullum ſibi ſuperiorem, aut æqualem eſſe, non intelligunt quòd ridiculi ſunt hominibus, ùt *Photius* ſupplet & *Theoph.* Vel ſenſus eſt. Ipſi arrogantiâ excæcati non intelligunt ſe metiri & comparare ſemetipſos, magnoſque facere, ex ſuo ipſorum judicio, quòd eſt hominum immodicè ſibi placentium.

℣. 13. Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundùm menſuram regulæ, quâ menſus eſt nobis Deus, menſuram pertingendi uſque ad vos.

Jactabant ſe pſeudoapoſtoli omnes terrarum partes prædicando obiviſſe; ideòque majorem ſibi quàm *Paulo* habendam fidem; quibus opponit *Paulus*: *Non* ultra modum *gloriabimur*,

nos omnes regiones prædicando pervagatos, *ſed* gloriabimur *ſecundùm menſuram regulæ* à Deo nobis præſcriptæ, quâ nimirùm partitus eſt nobis portionem noſtram in opere Evangelii: quæ quidem ſic alias multas provincias, quibus prædicavimus, comprehendit, ut etiam ad vos uſque pertigerit, voſque etiam includat: ex *S. Thom.*

℣. 14. *Non enim quaſi non pertingentes ad vos, ſuperextendimus nos: uſque ad vos enim pervenimus in Evangelio Chriſti.*

Neque enim, inquit, objici nobis poteſt, quòd cùm de vobis ùt filiis gloriamur, extendamus nos ultra menſuram, quaſi reverà non pertingamus *uſque ad vos* per regulam quam partitus eſt nobis Deus.

℣. 15. *Non in immenſum gloriantes in alienis laboribus: ſpem autem habentes creſcentis fidei veſtræ, in vobis magnificari ſecundùm regulam noſtram in abundantiam,*

Id eſt, ſi ad vos non perveniſſemus, noſipſos ſuperextenderemus ultra quàm deceret ob vos gloriantes; non autem ultra menſuram noſtram, ſeu ultra quàm par eſt, gloriam noſtram extendimus & *ſuper alienis laboribus*, ùti faciunt æmuli noſtri. Atque adeò ſperamus futurum, ut creſcente & augeſcente per noſtrum miniſterium fide veſtrâ magnificemur in vobis, id eſt, majorem & auctiorem de vobis laudem acquiramus, ut etiam abundantiùs, id eſt, ampliùs quàm hactenùs gloriari poſſimus, & quidem ſecundùm regulam noſtram, id eſt, menſuram ac terminos laboris noſtri.

℣. 16. *Etiam in illa, quæ ultra vos ſunt, evangelizare, non in aliena regula in iis quæ præparata ſunt gloriari.*

Præparata vel à ſe, ut ſenſus ſit: ut *non in aliena regula*, atque in alienis laboribus, ſed in his quæ noſtro labore parta fuerint, gloriemur: vel *parata* ab aliis, id eſt, ut *non in aliena regula*, non in nationibus per alios occupatis & converſis gloriemur, quemadmodùm pſeudoapoſtoli faciunt gloriantes de aliena. *Vel præparata*, id eſt, à Deo nobis commiſſa. Conferendus eſt hic locus cum eo qui eſt *Rom.* c. 15. ubi pſeudoapoſtolorum jactantiam tacitè perſtringit, præcipuè ℣. 18. 19. & 20.

℣. 17. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.*

Non in falſis aut alienis bonis tanquam propriis, quomodo gloriabantur pſeudoapoſtoli; neque in malis, ſed in bonis, quæ quis habet à Deo per Chriſtum, *glorietur in Domino Chriſto*, 1. *Cor.* 4. ℣. 7., *Gal. ult.* ℣. 14.

℣. 18. *Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.*

Id eſt, non ſtatim in veritate *probatus eſt*, & gloriâ dignus quiſquis *ſeipſum commendat*: multi enim commendant ſeipſos à bonis non ſuis, ſed falſis aut alienis, ſicut faciebant pſeudoapoſtoli: multi quoque ſe commendant à ſuis, tanquam non aliunde acceptis, ſicut Judæi & Pelagiani. Sed ille demùm *probatus eſt quem Deus commendat*, id eſt, commendabilem ex iis quæ verè per eum operatur oſtendit. Vel cui Chriſtus per meritum ſuum verè communicat ea per quæ commendetur. Non dixit nos ſumus commendati, ſed *quem Deus commendat*; ùt notat *Chryſ.*

CAPUT XI.

In veritate & coactus in Domino commendat ſeipſum, & ſe magnis Apoſtolis confert.

℣. 1. *Utinam ſuſtineritis modicum quid inſipientiæ meæ, ſed & ſupportate me :*

COactus laudum ſuarum mentionem facere, veniam præfatur; eam enumerationem modeſtè *inſipientiam* appellans; eo quòd vulgò judicatur eſſe opus hominis inſipientis & vani. *Sed & ſupportate me :* græcè, *ſuſtinete me :* vel *ſuſtinetis me :* q. d. Imò verò *ſuſtinetis me*, facitis quod opto, perſuaſum habeo vos me ita diligere, ut facilè me toleretis inſipienter loquentem. *Sed & patimini me* etiam ineptientem, ait *Chryſ.*

℣. 2. *Æmulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.*

Ardenter vos in Deo deperio, zelatus enim ſum vos Dei zelo : vel zelotypus ſum erga vos Dei zelo. Ego enim tanquam ſpiritualium nuptiarum paranymphus & pronubus *deſpondi*, græcè, *aptavi vos uni viro*, ſcilicet *Chriſto virginem caſtam exhibere vos*, id eſt, ut vos illi exhibeam, tradam, aſſignem, tanquam virginem caſtam. Corinthiorum enim Eccleſiam alloquitur, quam licèt ex multis collectam perſonis, unam eſſe ſponſam, eamque Virginem uni viro Chriſto deſponſatam : eſtque eadem ratio de Eccleſia univerſali, cujus Eccleſiæ

particulares ſunt membra & ad quam propriè pertinent promiſſa alia. *Virginem* vocat propter integritatem fidei charitate informatæ, quæ licèt non ſit in ſingulis membris, eſt tamen & permanet in corpore Eccleſiæ. Deſponſationis tempus eſt præſens, fit enim ea per fidem & baptiſmum, tempus autem thalami nuptialis ſeculum eſt futurum, in quo conjunctio erit indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia & omnibus ejus membris, cùm dicent: *Ecce ſponſus venit*, ùt *Matth.* 25. ℣. 6. ex *Chryſ.*

℣. 3. *Timeo autem ne ſicut ſerpens Hevam ſeduxit aſtutiâ ſuâ, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.*

Metuo ne quo pacto, *ſicut* Diabolus *ſerpens* ille antiquus per ſerpentem corporeum *ſeduxit Hevam* matrem noſtram *aſtutiâ* ſeu verſutiâ ſuâ: *ita* per hos pſeudoapoſtolos *corrumpantur ſenſus* mentis veſtræ, & dimoveantur à virginali *ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto*, id eſt, à ſimplici, pura, & incorrupta fide quam habetis *in Chriſtum.* Et meritò hoc metuebat Apoſtolus, quia pſeudoapoſtoli ſerpentis illius erant miniſtri & operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, iidemque per dulces ſermones & benedictiones ſeducebant corda innocentium, ùt *Rom. ult.*, partim introducendo humanam ſapientiam, partim legem Moſaïcam miſcendo cum Evangelio Chriſti: ex *Eſtio.*

℣. 4. *Nam ſi is, qui venit, alium Chriſtum prædicat, quem non prædicavimus, aut alium ſpiritum accipitis, quem non accepiſtis: aut aliud Evangelium, quod non recepiſtis: rectè pateremini.*

Notat hîc pſeudoapoſtolos non miſſos, ſed

ſemet introducentes: unde ait, *qui venit* & non miſſus. *Si* (inquit *Theop.*) eadem illi prædicant, quæ & nos antè prædicavimus, cur eos cum tanta attentione excipitis, nos autem rejicitis? Vel *ſi alium*, id eſt, præſtantiorem alium *Chriſtum*, ſi perfectius Evangelium quàm nos prædicarent, *ſi alium ſpiritum*, id eſt, potiora Spiritûs ſancti dona ab illis acceperitis quàm à nobis, *rectè pateremini*, græcè, illorum jure exactionem ferretis: vel *rectè* illis obediretis: ex *Gaig.* Jure enim ſuſtinetur qui tradit meliora. Sed quia nullo modo in animum inducitis alium Jeſum Chriſtum agnoſcere, alium ſpiritum, aliud Evangelium, quàm à nobis prædicatum, ſicut revera non eſt aliud, ùt *Gal.* 1. Idcircò non poteſtis ad excuſationem veſtri quidquam tale prætendere: ex *Oecum.*

℣. 5. *Exiſtimo enim nihil me minùs feciſſe à magnis Apoſtolis.*

Præ magnis Apoſtolis, id eſt, nihilo me (inquit) illis inferiorem *exiſtimo*. Quidam autem hic veros Apoſtolos intelligunt, quibus ad tutandam ſuam adversùs pſeudoapoſtolos dignitatem comparare ſe cogitur: & eos qui inter Apoſtolos eximii erant & ſummi, quales *Petrus*, *Jacobus* & *Joannes*, ùt *Gal.* 2. ex *Chryſ.* Alii pſeudoapoſtolos intelligunt, per ironiam *magnos* appellans ob id quod ſequitur. *Nam etſi ſum imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ.* Hæc enim ratio nihil ad veros Apoſtolos facere videtur, qui *Paulo* nihil elegantiores erant, cùm vocentur *homines idiotæ & ſinè litteris*, *Act.* 4. Taxat autem pſeudoapoſtolos *Paulus*, qui cùm nihil præter ſermonis nitorem & eloquentiam haberent, magnos ſe Apoſtolos exiſtimarent, quibus ipsâ tantùm ſermonis eloquentiâ cedit *Paulus*; ſcientiâ ac ceteris virtutibus longè ſuperior: ex *Gaig.*

℣. 6. *Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ, in omnibus autem manifeſtati ſumus vobis.*

Aliqui inter eos, qui verſum præcedentem intelligunt de veris Apoſtolis, hunc ad illum referunt; quaſi *Paulo* fuerit objectum, quòd ſaltem eloquentiâ & ſermonis peritiâ minor eſſet *magnis Apoſtolis*; cui objectioni per hunc verſum *Paulum* reſpondere putant: Sed ſic referri non poſſe ex *Ambroſiano* notat *Eſtius*, quia alii Apoſtoli in hac parte *Paulo* non multùm præſtabant, neque Epiſtolæ eorum Paulinis quoad ſermonis compoſitionem anteponendæ ſunt. Nova igitur in hoc verſu objectio eſt adverſariorum, *Paulo* detrahentium eloquentiam, quam ſibi ipſis attribuebant. Fuerunt qui dicerent, *Paulum* magis humiliter quàm verè de ſe ipſo ſcripſiſſe: *Nam etſi imperitus* &c. Sed hos refellit *Hier. in comm. Epiſt. ad Tit.* 1, ac rurſus *in Epiſt.* 151. *ad Algas.* q. 10. ita ſcribens, illud quod ſæpe diximus, *Etſi imperitus ſermone* & nequaquam *Paulum* de humilitate, ſed de conſcientiæ veritate dixiſſe, etiam nunc approbamus: profundos enim & reconditos ſenſus lingua non explicat: & cùm ipſe ſentiat quod loquitur, in alienas aures puro non poteſt transferre ſermone. Idem exponens *cap.* 3. *Epiſtolæ ad Epheſ.* vitia ſermonis in Apoſtolo notat veluti ſolœciſmos, hyperbata, ellipſes, & alia hujuſmodi. Quotieſcumque verò, inquit, tale quid annotamus, non Apoſtolum pulſamus, ùt malevoli criminantur, ſed magis Apoſtoli aſſertores ſumus, qui abſque rhetorico nitore ſermonis & verborum compoſitione, & eloquii venuſtate nunquam ad fidem Chriſti totum mundum traducere valuiſſet, niſi evangelizaſſent eum non in ſapientia verbi, ſed in

virtute Dei. Hæc *Hier.*, ſubjungens ad eam rem ipſius Apoſtoli teſtimonium 1. *Cor.* c. 2. ℣. 1. & 4. At verò *Aug.* l. 4. *de Doct.* c. 7. ſermonis imperitiam prorſus à Paulo removet, eloquentiſſimum eum fuiſſe affirmans, idque adeò ex ipſius epiſtolis demonſtrari & conſtare cenſet. Neque tamen exiſtimat *Paulum* humiliter, non verè de ſe ipſo ſcripſiſſe, *Etſi imperitus* &c. Sed aliter quàm *Hier.* verba hæc intellexit: ſcilicet quaſi concedendo obtrectatoribus ſic locutus fuerit, non tamquam id verum agnoſceret confitendo. *Auguſtino* conſentit *Chryſ.*, quin & ipſe *Hier.* *Paulum* vocat flumen eloquentiæ Chriſtianæ *Epiſt.* 6. Erat autem *Pauli* facundia non ex ſcholis Rhetorum petita; ſed quæ linguam viri divino ſpiritu pleni, magnoque affectu de magnis rebus loquentis ſponte ſequeretur. Cæterum, ait *Eſtius*, linguæ græcæ nitorem, eloquentiam, facilitatem, qualis in ſcriptis Græcorum oratorum & philoſophorum conſpicitur, item ſermonis perſpicuitatem *Paulo* non adfuiſſe, ingenuè fatendum. Res enim clarior eſt ex ſuis epiſtolis quàm ut opus ſit probari. Atque hoc ſenſu verè ſentit *Hier.* & cum eo plerique interpretes, *Paulum* ſermone fuiſſe imperitum. Hoc igitur eſt quod dicit. Etſi quod ad ſermonem attinet, quo vobiſcum loquor aut ſcribo, ſim imperitus ac velut idiota: non tamen quoad ſcientiam earum rerum quas docere me profiteor, ſcilicet divinarum & ad veſtram ſalutem ſpectantium. Nam utique ſine hujuſmodi ſcientia, verus Chriſti Apoſtolus ac Doctor gentium eſſe non poſſem. Utrumque quod dixi, noſtis per experientiam, & imperitum me eſſe ſermone & non imperitum ſcientiâ. Græci notant ex obliquo taxari pſeudoapoſtolos, qui per hypocriſim ſua vitia tegebant, volentes videri quod non erant: ex *Oecum.*

℣. 7. *Aut numquid peccatum feci, me ipſum humilians, ut vos exaltemini? Quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis?*

Cum aculeo uſus eſt hoc ſermone. Abjectum (inquit) me ducitis & magis vilem; an peccavi, quòd meipſum fame depreſſerim, & nihil à vobis acceperim? Hoc, ait, feci *ut vos* ad ea quæ Dei ſunt *exaltaremini*. Nam videntes quòd nihil acciperem, ædificabamini: ſi autem accepiſſem, certè offendiculum paſſi fuiſſetis, ut ait *Oecum.*

℣. 8. *Alias Eccleſias expoliavi, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum.*

Id eſt, ab aliis Eccleſiis, quamvis eſſent vobis pauperiores, ut proinde ſpoliari ac denudari viderentur, accepi *ſtipendium* ac ſumptum neceſſarium, ut vobis Evangelium miniſtrarem. Deſignat autem præcipuè Eccleſias Macedoniæ.

℣. 9. *Et cùm eſſem apud vos, & egerem; nulli oneroſus fui: nam quod mihi deërat, ſuppleverunt fratres, qui venerunt à Macedonia: & in omnibus ſine onere me vobis ſervavi, & ſervabo.*

Nulli oneroſus fui: non quòd reverà onus ſit alere ſuum Apoſtolum; ſed vel ad ſignificandum jus ac debitum. q. d. Hoc jus meum à nullo veſtrûm exegi. Vel quia carnales homines judicant eſſe onus. Vel quamvis egerem *cùm apud vos eſſem*; non tamen obturpui aut elangui, id eſt, non idcircò ad prædicationem ſegnior fui: ex *Theoph. Fratres qui venerunt ex Macedonia*, non alios intellige quàm Philippenſes, ut patet *Phil.* c. 4. ℣. 15. *Et ſervabo*, ne exi-

ſtimetis, inquit, me hæc in eum finem dixiſſe, quo deinceps accipiam à vobis; non enim ſolùm ità *ſervavi*, ſed etiam *ſervabo*, in quo gravius dicit, ait *Chryſ.*

℣. 10. *Eſt veritas Chriſti in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaïæ.*

Eſt veritas Chriſti, id eſt, veritatem dico teſte Chriſto. Non patiar quod *hæc* mea *gloriatio* Evangelii gratis prædicati *infringatur in me*, ſed volo eam habere perpetuam apud vos, & per totam Achaïam: quod dicit, ut tollat occaſionem pſeudoapoſtolis gloriandi, ſi ſimiles *Paulo* invenirentur.

℣. 11. *Quare? Quia non diligo vos? Deus ſcit.*

Deus ſcit, q. d. Teſtis eſt *Deus*, qui novit illam non eſſe cauſam cur à vobis nihil velim accipere, quia vos non diligo: Vel Deus novit quod vos diligo.

℣. 12. *Quod autem facio, & faciam: ut amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem, ut in quo gloriantur, inveniantur ſicut & nos.*

Faciam, id eſt perſiſtam in prædicando gratis Evangelio per Achaïam, *ut* iſtis æmulis meis præcidam *occaſionem*, quam quærunt gloriandi adverſùm me, nempe quòd Evangelium gratis prædicent; ut (inquam) *inveniantur* in ea re nobis pares, nec habeant quod præ nobis *glorientur*: ita *Græci*. Vel cupiebant illi *Paulum* accipere ſumptus, quoniam & ipſi accipiebant, ut jactare poſſent *Paulum* aliis partibus, ut eloquentiâ & ſapientiâ humanâ, ſe inferiorem: ne hâc quidem parte præcellere; ſed parem ipſis inveniri: At *Paulus* illis

occaſionem gloriandi ſubtrahere volens, noluit accipere ſumptus; ut vel in hoc cogerentur agnoſcere ſe ab illo ſuperari: ita *Cajet.* & *Aug.* l. 2. *de ſerm. Dom.* c. 16.

℣. 13. *Nam ejuſmodi pſeudoapoſtoli, ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.*

Siquidem perſonam veritatis induti ita nocumentum exercent, & habitu Apoſtolorum amicti & pelle ovinâ intùs lupi ſunt: ingerebant ſe ipſos, mentientes ſe miſſos eſſe, ùt *Act.* 15. ℣. 24. & ſub umbra nominis & doctrinæ Chriſtianæ legalia tradebant, & impias quaſdam traditiones occultè ſervabant, ex *Theoph.* utraque in re hæreticorum Duces & Patriarchæ. *Operarii doloſi*, quatenùs operari quidem videbantur in vinea Domini, reverà autem vineam diſſipabant; vel quia ſuam, non Domini utilitatem quærebant, *Philip.* 3. ℣. 2.

℣. 14. *Et non mirum: ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis.*

Nec mirum quòd audeant ſe *transfigurare in Apoſtolos Chriſti. Nam & ipſe Satanas* eorum magiſter aſſumere ſolet perſonam boni Angeli, ſæpius inviſibiliter ſuggerendo quædam in ſe vel in ſpeciem bona, ex quibus hominem perducit in ruinam: interdum viſibiliter apparens, & oſtendens ſe tanquam *Angelum Dei*; aut in aſſumpto corpore videndum ſeſe exhibens, aut imaginariâ viſione eos ludificans.

℣. 15. *Non eſt ergò magnum, ſi miniſtri ejus transfigurentur velut miniſtri juſtitiæ: quorum finis erit ſecundùm opera ipſorum.*

Argumentatur Apoſtolus à minori: minùs enim credibile eſt, Satanam transformari poſſe

in Angelum Lucis, cùm ſit major diſtantia, quàm miniſtros ejus in *miniſtros juſtitiæ*; ideò infert Apoſtolus; *Non eſt ergo magnum*, &c. *Miniſtri juſtitiæ* ſunt Apoſtoli Chriſti, quia miniſterium juſtitiæ, id eſt, miniſterium novæ legis, per quam juſtitia comparatur, eis creditum fuerit, de quo *Suprà cap.* 3. *Quorum finis* &c. q.d. Etſi fallant homines, Deum fallere non poterunt, à quo tandem recipient mercedem ſuis operibus debitam, ut *Philip.* 3. ℣. 19. *Rom.* 6. ℣. 23.

℣. 16. *Iterùm dico, (ne quis me putet inſipientem eſſe, alioquin velut inſipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier)*

Poſt intermiſſam ſui ipſius commendationem, iterùm obteſtatur, ne hoc illi ad inſipientiam vertatur, alioquin malle ſe inſipientis nomen habere, quàm non gloriari cum detrimento Evangelii: ex *Gaig.*

℣. 17. *Quod loquor, non loquor ſecundùm Deum, ſed quaſi in inſipientia, in hac ſubſtantia gloriæ.*

Id eſt, *quod* ſtatim de hoc genere gloriationis ſecundùm nobilitatem carnalem glorior, *non loquor ſecundùm Deum:* nullum enim locum habet apud Deum nobilitas generis; feram me in hac re inſipientem dici. Vel non dicturus ſum *quaſi ſecundùm Deum*, id eſt, convenienter legi divinæ; cùm Deus neque præcipiat, neque conſulat homini laudare ſeipſum, ſed alicubi prohibeat ſicut prohibet jurare. Vel *quaſi ſecundùm Deum* græcè, *Secundùm Dominum* Chriſtum, cujus miniſtros decet omnis humilitas & modeſtia, quique non ſibi placuit, *Rom.* 15. ℣. 3. Sed *quaſi per inſipientiam*. Dicit

quaſi inſipienter ſe loqui, & quaſi non ſecundùm Deum, quia laudes ſuas prædicare quantumvis juſtâ neceſſitate coactus ſi quis id faciat, ſimilitudinem habet cum eo quod ſtulti facere ſolent. Vel *ſecundùm Deum*, id eſt, ſecundùm res divinas & ſpirituales; tanquam ſentiat ſe non ſecundùm hujuſmodi gloriaturum, ſed ſecundùm res carnales, uti ſunt genus, & circumciſio, de quibus pſeudoapoſtoli gloriabantur. At certè non de his tantùm, ſed & de iis quæ veram laudem merentur in conſequentibus gloriatur Apoſtolus; ut quòd miniſter Chriſti ſit, quòdque pro Chriſto multa paſſus fuerit.

℣. 18. *Quoniam multi gloriantur ſecundùm carnem : & ego gloriabor.*

Non addit, *& ego gloriabor ſecundùm carnem*, ſed tantùm dixit, *& ego gloriabor*; quia licèt pſeudoapoſtoli gloriarentur ſecundùm carnem, non tamen Apoſtolus, ùt notat *Cajet.* Vel quia multi, id eſt, pſeudoapoſtoli & Judæi *gloriantur* ſecundùm res carnales & externas, putà de divitiis, de generis nobilitate, de lege, de circumciſione: *ego quoque gloriabor*, non de illis modò, ſed etiam de aliis, quæ verè laudabilem me reddunt. *Gloriabor* (inquam) non ut illos malè gloriantes imiter, ſed ut eorum jactantiam reprimam, & meam apud vos authoritatem defendam, ùt *Proverb.* 26. ℣. 5. ita *S. Thom.*

℣. 19. *Libenter enim ſuffertis inſipientes : cùm ſitis ipſi ſapientes.*

Ironicè hoc ait; nam ſi verè tales fuiſſent Corinthii, non aurem præbuiſſent novis magiſtris, ipſos avertere conantibus ab Apoſtolo ſuo. q. d. Poteſtis inſipientiam meam ferre, *ipſi ſapientes cùm ſitis* & graviora multò feratis.

℣. 20. *Suſtinetis enim ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit.*

His verbis imperioſam in illos pſeudoapoſtolorum dominationem notat *S.Thomas & Caj t.* qui hoc exponunt de *ſervitute* legis Moſaicæ, ad quam Corinthios pertrahere pſeudoapoſtoli nitebantur. *Suſtinetis ſi quis devorat vos*, quo ſignificat inexplebilem pſeudoapoſtolorum aviditatem quantùm ad ſumptus vitæ quos exigebant, ut *Rom.* 16. ℣. 18. *Phil.* 3. ℣. 19. *Tit.* 1. ℣. 12. *Si quis accipit* à vobis, & quod majus eſt, ſi quis excedit ſpecie munuſculorum. *Si quis extollit* ſe ſupra vos, poteſtatem ſibi vendicat in vos. Hæc omnia faciebant pſeudoapoſtoli tanquam apoſtolico jure, quod ſibi falſo titulo arrogabant, de quo jure multa in 1. *Cor.* 9.

℣. 21. *Secundùm ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In qua quis audet (in inſipientia dico) audeo & ego:*

Senſus eſt quòd dico. *Si quis in faciem vos cædit*, id quod ad ignominiam attinet: dico non quòd facies veſtras percuſſerint, ſed de contumeliis intelligi volo quibus illi vos afficiunt, in faciem exprobrantes quòd fueritis idololatræ, peccatores immundi, quòd orti ex ignobili genere, quòd ſitis præputium. De ſeipſis verò omnia contraria prædicantes, quòd ſint populus à Deo electus, gens ſancta, filii Patriarcharum, circumciſi, &c. Hæc quæ dixi ita ab illis fiunt, ut me qui veſter ſum Apoſtolus præ ſe contemnant tanquam inferiorem, impotentiorem: qui non habeam, quemadmodùm ipſi, de quibus gloriari queam, ut ſimili ratione mihi

authoritatem apud vos comparem: quod quàm ſit falſum oſtendit: in quacumque re (inquit) quiſquam illorum *audet* gloriari, *audeo & ego*, utpote nullâ re illis inferior: quanquam hoc iterùm quaſi *per inſipientiam dico*, quia gloriari ſtultorum eſt, ob quam etiam rationem utitur verbo *audendi*, quia nec facilè, nec ſinè neceſſitate eò veniendum, ut quis ſe ipſum laudet. Vel *audeo*, id eſt, arrogo, ut ſenſus ſit. Quæcumque illi ſibi arrogant tanquam glorioſa, ego quoque mihi arrogabo: ex *Eſtio*.

℣. 22. Hebræi ſunt, & ego: Iſraëlitæ ſunt, & ego: Semen Abrahæ ſunt, & ego:

Omnes *Hebræi* non erant *Iſraëlitæ*, ſed erant etiam Moabitæ & Ammonitæ, ideò ſuam generoſitatem manifeſtavit, ut poſt *Chryſ.* notat *Oecum.* Vel ne ſuſpicio eſſet ipſum linguâ tantùm, quâ multùm gloriabantur *Hebræi*, non etiam gente Hebræum eſſe, addit, *Iſraëlitæ ſunt, & ego.* Vel potiùs ad ſignificandam nobilitatem generis, quâ negat ſe illis inferiorem, quòd divinitùs datum fuerat ipſorum patriarchæ Jacob. Addit *ſemen Abrahæ ſunt, & ego*; nam id multò adhuc honorabilius cenſebant, propter eà quòd *Abraham* & primus eorum eſſet Patriarcha, & præ cæteris eximiâ in Deum pietate ac fide fuiſſet. Quidam interrogativè hæc legunt, & tanquam idem prorſus ſignificetur.

℣. 23. Miniſtri Chriſti ſunt, (ut minùs ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſuprà modum, in mortibus frequenter.

Ut minùs ſapiens dico, hoc eſt, quamquam nonnullis deſipere videar, dicens *plus ego*: Nam

quæ deſipientia eſt quòd ſeipſum dicat miniſtrum eſſe plusquàm pſeudoapoſtoli? Vel repetit excuſationem quòd in re tanta ſe aliis anteponat. At quomodo pſeudoapoſtolos, operarios ſubdolos, miniſtros Satanæ vocat *Chriſti miniſtros*? ℞. Per rhetoricam conceſſionem dictum eſſe, q. d. Demus eſſe tales. Alii dicunt iſta legenda cum interrogatione quæ nihil affirmat. Miracula quæ fecit, ùt mortuos ſuſcitatos non recenſet, ſed labores à ſe perpeſſos, ùt notat *Theod. Abundantiùs* ait, comparationem innuit cum iis qui ſe vocabant Chriſti miniſtros, aut potiùs ſine comparatione perſonarum ipſius rêi exceſſum ſeu frequentiam ſignificat, & *mortes* vocat mortis pericula: ex *Oecum.*

℣. 24. *A Judæis quinquies, quadragenas, unâ minùs, accepi.*

Plagas intellige perpeſſas à ſuis, ſcilicet Judæis. Notandum, *Deuteron.* 25. præceptum Iſraëlitis fuiſſe, ut in flagellando fratre, id eſt, Hebræo quem dignum plagis comperiſſent, quadragenarium numerum plagarum non excederent. Judæi verò, ſive caventes ne fortè in ipſo verberandi impetu præfinitum numerum tranſilirent, ſive clementiæ & humanitatis causâ, memorato numero ſtatuerunt unam plagam demendam eſſe, etiamſi quis integrum numerum plagarum commeruiſſet. Et quia Judæi *Paulum* oderant, nec tamen morti eum adjudicare permittebantur à Romanis prohibiti, idcircò plagis eum onerabant quàm multis poterant, ſecundùm legem conſuetudine reſtrictam & moderatam, hoc eſt undequadraginta. Id autem factum quinque diverſis temporibus. Apparet autem has flagellationes fuiſſe factas in ſynagogis ad ſignificandum contra legem Moyſi, aut religionem peccatum fuiſſe, ùt *Matth.* 10. ℣. 17.

℣. 25.

℣. 25. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui;

Moris erat Romanis *virgis cædere* nocentes, Judæis flagello. *Lapidatus* Lyſtris, *Act.* 14. *Naufragium* non recenſet *Lucas*, præterquam quod paſſus eſt Romam proficiſcens, *Act.* 27. Syriaca verſio pro *in profundo* legit *ſine navigio in mari*, quaſi dicat, tractum undis extra navem in vaſto mari. *Theoph.* ſcribit aſſerere non nullos, hic ſignificari quòd in quodam puteo, cui nomen Bythos, id eſt, *profundum*, abſconditus fuerit *Paulus* poſt periculum apud Lyſtrios: & profundi carceres lacus appellantur in Scripturis. *Chryſoſtomus* hoc de carcere refellit; non enim magnum eſt aut memorandum uno die naturali fuiſſe in carcere, tametſi profundo: quocirca communis expoſitio probabilior. Sic enim dixit ſe *nocte & die in profundo maris* egiſſe, quo modo de Jona dicit Scriptura, quòd tribus diebus & noctibus fuerit in ventre ceti, *Jonæ* 2.

℣. 26. In itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus:

Pericula itinerum, fluminum & latronum commemorat: non quia infeſta fuerunt; ſed quia Evangelii cauſâ moleſtas & periculoſas profectiones ſuſceperat, ait *Chryſ. Ex genere*, id eſt, à Judæis; ex *gentibus* ſeu Gentilibus à Judæis concitatis ùt plurimùm *in civitatibus*, ùt Damaſci, Jeroſolymis, Epheſi, & alibi. *In mari*, *Act.* 20. à ſimulatis & *falſis* nomine

Chriſtianis, qui ſunt hoſtes inteſtini ac domeſtici, eòque magis periculoſi; quorum typum geſſit Judas proditor, de quo David in perſona Chriſti dicit. *Pſ.* 54. ℣. 12. *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique.... Tu verò homo unanimis, Dux meus & notus meus:* qui fraternitatem ſimulant, ùt ait *Chryſ.*

℣. 27. *In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & ſiti, in jejuniis multis, in frigore, & nuditate,*

Ærumna Græcè ſignificat laborem difficultate ac fatigatione conjunctum. *In vigiliis*, nam *Philippis* in carcere mediâ nocte Deum orat, & laudat *Act.* 16. & Mileti per triennium non ceſſavit nocte & die ab officio veri paſtoris, *Act.* 20. His adde vigilias, labores &c. de quibus agit 2. ad *Theſſ.* c. 3. ℣. 8. *In fame & ſiti* gratis Evangelium prædicans, ùt 1. *Cor.* 4. ℣. 11. & *Philip.* 4. ℣. 12. *Jejuniis* ad purificandam mentem & edomandam carnem ſponte aſſumptis, ùt 1. *Cor.* 9. ℣. 27. *Frigoris & nuditatis* meminit 1. *Cor.* 4. ℣. 11.

℣. 28. *Præter illa, quæ extrinſecùs ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum.*

q. d. *Præter illa quæ* foris & extrinſecùs mihi accidunt, id eſt, corporis afflictiones & pericula, cujuſmodi ſunt quæ recenſui: ſunt & peculiares animi dolores atque afflictiones, quibus excrucior Evangelii causâ. Nam quotidie ad me tanquam Apoſtolum Eccleſiarum, etiam earum quibus ipſe Evangelium non prædicavi, aut in quibus non fui, concurritur undique à fidelibus ob varias difficultates circa negotium Evangelicum emergentes; quæ res animum meum inquietat majorem in modum, ùt ſuprà

c.7.℣.5. Nec ideò præfuit toti Eccleſiæ *Paulus*, quaſi parem cum *Petro* ſortitus poteſtatem. Nam etſi *ſolicitudo* præfecturam conſequatur: non tamen è converſo, præfectura ſolicitudinem; ùt patet de membris pro ſe invicem ſolicitis. Vel *Omnium Eccleſiarum*, id eſt, plurimarum, ſcilicet earum quas ipſe fundaverat.

℣. 29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?*

Quis fidelium *infirmatur* animo, propendet ad lapſum, pronus eſt ad peccandum levi occaſione, quomodo qui corpore parum firmi ſunt; Et *ego non infirmor* per intimum affectum commiſerationis, metuens ac ſolicitè cavens, ne frater infirmus cadat? ùt 1. *Cor*. 9. ℣. 22. Plus eſt ſcandalizari quàm infirmari, in quantum deterius eſt cadere, quàm pronum eſſe ad caſum. *Uror*, id eſt vehementi dolore afficior, velut qui igne uritur; quod illi accidit qui proximum, quem verâ charitate diligit, videt ex alienis factis minùs rectis in ruinam impelli, quod eſt ſcandalizari.

℣. 30. *Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor.*

Quæ infirmitatis meæ ſunt, id eſt, de afflictionibus meis *gloriabor*, quandoquidem me ad gloriandum cogitis, ùt de laboribus, carceribus, plagis, inedia, nuditate, &c., propter quæ quis apud homines carnales deſpectus & contemptibilis haberi ſolet. Gloriatur autem quòd in iis *quæ infirmitatis ſunt*, maximè declaretur virtus Chriſti, nec ſic animum erigunt, ùt miracula. Ex hoc loco eloquentiam *Pauli* non ſtudio quæſitam, ſed nativam tanquam ſapientiæ famulam, oſtendit *Aug*. *l*. 4. *de Doct*. *Chriſt*. c.7.

℣. 31. *Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit quòd non mentior.*

Quæ ſuprà recenſuit, confirmat juramento, quod tacitum ineſt in verbis hujus verſûs ex *Aug. Ep.* 89. *q. ult.* & *S. Thom.* q. d. *Deus* horum omnium teſtis eſt, qui novit me non mentiri, ſed vera dicere. Abſit ut ejus abutar teſtimonio, cui omnis laus & honor debetur in omnem æternitatem, ùt *Rom.* 1. ℣. 25. ex *Chryſ.*

℣. 32. *Damaſci præpoſitus Gentis Aretæ regis, cuſtodiebat civitatem Damaſcenorum ut me comprehenderet:*

Gloriatur de periculo (ſicut in ſuperioribus) eoque tanto, ut periturus eſſet, niſi fugâ fuiſſet elapſus. Erat autem & hoc periculum à Judæis, qui *Paulum* interficere cupiebant, ſi præfectus nomine *regis Aretæ* illis tradidiſſet. *Act.* 9.

℣. 33. *Et per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus ejus.*

Per murum, id eſt, per mœnia civitatis, idque nocte & à diſcipulis, id eſt, Chriſtianis, ùt *Act.* 9. Non ita fugit, ut oves quoad curam illis debitam dimittat; alioqui mercenarius fuiſſet, ùt *Joan.* 10. Non enim oves perſecutionem patiebantur, ſed ſolus *Paulus*: qui proinde fugere potuit, ut ſe ſervaret utilitati Eccleſiæ in futurùm. Nam & hoc præcepit Dominus *Matth.* 10. ut flamma inextinguibilis ignis, ſi in mare lapſa, multis opprimentibus fluctibus mergitur, & iterùm fulgida aſcendit: ſic ſanè & *B. Paulus* nunc quidem obſcurabatur, nunc pericula tranſiens clarior redibat, patiendo victor, ait *Chryſ.*

CAPUT XII.

Revelationes ſibi factas proponit, coactus id facere.

℣. 1. *Si gloriari oportet (non expedit quidem:) veniam autem ad viſiones, & revelationes Domini.*

ID eſt, quamvis propter vos *oporteat me gloriari* ut dignitatem miniſterii mei tuear adverſùs obtrectatores: mihi tamen id *non expedit*, intellige ſimpliciter & extra caſum præſentem, aut ſimilem, tum quia ſpeciem habet jactantiæ, tum propter elationis periculum. Utitur autem hac præfatione, quòd nunc non ea quæ infirmitatis ſunt, ſed ſublime quiddam de ſe dicturus ſit: ideò & ad vitandam jactantiæ ſuſpicionem quaſi de alio quodam homine rem narrat. Cùm aliquid videtur, cujus intelligentia ſive ſignificatio videntem latet, *viſio* ſolùm eſt; ùt viſiones Pharaönis & Nabuchodonoſor, qui neſciebant quid per eas ſignificaretur: quando autem aperitur intelligentia rei viſæ, *revelatio* eſt, qualem habuerunt Joſeph & Daniel & cæteri Prophetæ, ex *Theoph.* *Domini*, id eſt, à Chriſto ſibi factæ.

℣. 2. *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit, raptum hujuſmodi uſque ad tertium cœlum.*

Id eſt, novi *hominem* quemdam Chriſtianum,

Chriſto per ſacramentum fidei incorporatum. Tempus verò rei geſtæ notat, ut ſignificaret ſe qui tamdiu rem tacitam & occultam tenuerat, ne tunc quidem proditurum fuiſſe, niſi maxima neceſſitas ipſum compuliſſet, ex *Chryſ.* Deinde ut detur intelligi quantis poſteà donis divinitùs cumulatus fuerit, quem à tam multis annis tam inſigni revelatione Chriſtus fuiſſet dignatus. Raptus hic *Pauli* contigit ipſo anno ſuæ converſionis ex *S. Thom.* Vel octennio poſt, ſcilicet anno Domini 44., quo prædicandi in gentibus Evangelii munus unà cum *Barnaba* accepit, de quo *Act.* 13. & *Gal.* c. 1. ℣. 12. & c. 2. ℣. 2. & *Gal.* 1. & 2. Senſus dubitationis *Pauli* eſt, an ea quæ vidit in raptu, viderit animâ in corpore manente, ùt Habacuc. *Dan. ult.* & *Philippus Act.* 8.; an à corpore ſeparatâ. Nam etſi dicatur anima manſiſſe conjuncta corpori, rectè tamen intelligi poteſt eam fuiſſe *raptam in tertium cælum* atque in paradiſum, propter contemplationem ſublimium & ineffabilium myſteriorum, ùt *Ezechiel.* c. 8. Jam cùm ipſe fateatur ſe ignorare, utrùm *in corpore, an extra corpus animâ* exiſtente raptus ſit: non immeritò *Auguſt. lib.* 12. *de gen. ad lit.* c. 3. & *lib. de pec. orig.* c. 23. cenſet impudentem ac temerariam eſſe inquiſitionem, utro modo raptus ille contigerit: ſed hoc intellige de inquiſitione, quâ certa cognitio quæritur, non quâ probabilis dumtaxat. Unde non eſt arguendus *S. Thomas*, qui hìc & 2. 2. q. 175. art. 5. & 6. probabile putat in hoc raptu animam *Pauli* non fuiſſe à corpore ſeparatam, ſed conjunctam manſiſſe: ſic tamen ut mens ejus ad ea videnda, vel audienda quæ in raptu vidit vel audivit, eſſet à ſenſibus corporeis alienata. Nam alioqui fatendum eſſet, *Paulum* tempore raptûs mortuum fuiſſe. Et qui duos raptus hic

diſtinguit in tertium cœlum, & in paradiſum; poſt raptum bis reſuſcitatum dicere cogeretur, quod non eſt veriſimile. Neque hæc Apoſtolus ignoravit, ſed tantùm ſcire ſe negat, id eſt, certò cognoſcere, utrùm in corpore, &c. ſicut certò ſciebat hominem raptum. Unde ſubdit, *Deus ſcit*, quod non eſt jurantis, ſed Deo tribuentis certam ſcientiam rei ſibi non certò cognitæ. *Raptum* autem dicit *hujuſmodi hominem*, id eſt, raptu quodam elevatum. Eſt enim raptus, ab eo quod eſt ſecundùm naturam, in id quod eſt ſupra naturam ex vi ſuperioris naturæ elevatio: ex *S. Thom. Tertium cœlum* intelligit ex Scriptura Empireum, ſedem beatorum, de quo *Matth.* 18. ℣. 10. & 6. ℣. 10. quod corporeum eſt, ad quod Chriſtus per Aſcenſionem fuit elevatus, & ad quod omnes electi poſt reſurrectionem corporaliter aſſumentur. Nam primum eſt aëreum, ſecundum verò ſtellatum, ſub quo planetarum orbes comprehendit Scriptura, & Damaſcen. & S. Thom.

℣. 3. *Et ſcio hujuſmodi hominem ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit:*

℣. 4. *Quoniam raptus eſt in Paradiſum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Humiliter ſcire ſe negat, quod neſcit, ut fidem mereatur in eo quod ſcire ſe affirmat. *Paradiſum* non terreſtrem, ſed cæleſtem intelligit ſupernæ beatitudinis locum *Luc.* 23. ℣. 43. Qui duas revelationes commemorari putant, ut *Anſ.* dicunt *Paulum* primò raptum fuiſſe à terra in tertium Cœlum: mox è tertio cœlo in *Paradiſum*, ex quo pulſus fuit Adam. Non tamen illis negandum eſt, quamdam rationis diverſitatem in diverſis vocabulis Apoſtolum ſignificare voluiſ-

ſe, ut dicere voluerit ſe raptum fuiſſe non ſolùm ſecundùm vim intellectivam ad cognoſcendùm quædam myſteria ſublimia, quæ inſinuantur per tertium cœlum: verùm etiam ſecundùm voluntatem ad percipiendum ex hujuſmodi cognitione ſpecialem quamdam ſuavitatem, quod intelligitur nomine Paradiſi: nam Paradiſus hortum ſignificat amœnitatis & voluptatis: ita *S. Th.* & *Caj. t. V rba*, non ſenſibilia, ſed intelligibilia, vel res ſignificat: *quæ non licet homini loqui*, ut ſenſus ſit. Non eſſe licitum homini ea verba loqui: aut non eſſe licitum ea verba loqui cuiquam homini; aut non eſſe poſſibile ea verba eloqui cuiquam homini. Sic idem Apoſtolus ſuprà c. 9. ℣. 15. *donum Dei inenarrabile* vocat; & ad *Rom.* c. 8. ℣. 26. *gemitus inenarrabiles* dixit; & *Petrus I. Epiſt.* c. 1. ℣. 8. *lætitiam inenarrabilem*. Secundum ſenſum multi tradunt, alii tertium, ut *S. Thom.* quippè cùm rei magnitudo facultatem humani ſermonis excedat. Sunt qui putant, in hoc tertio cœlo vidiſſe ordines agminum cœleſtium quos poſteà deſcripſit, *Col.* 1. ut *Greg. hom.* 4. *in Ezec.* Alii myſterium vocationis Gentium, & quæ ad religionem Chriſtianam pertinent: Alii divinam eſſentiam vidiſſe, quomodo videtur à beatis, eo ſolùm diſcrimine, quòd *Paulo* contigerit in tranſitu videre quod beati vident permanenter; ita *Beda*, *Anſelm.* & *S. Thom.* Alii non raptum eſſe quoad communicationem viſionis Dei beatis propriæ, ſed quoad communicationem myſteriorum quorumdam ineffabilium ſimiliter beatis propriam, quam eſſet perpetuò retenturus, *Ambr. lib.* 5. *de fide c. ult. Greg. l.* 18. *mor. c.* 38. & *hom.* 8. *ſup. Ezech.*

℣. 5. *Pro huju$ſ$modi gloriabor : pro me autem nihil gloriabor niſi in infirmitatibus meis.*

Id eſt, de illo tali homine, quem novi, *gloriabor*, non autem *de me* : nam illum talem hominem tantâ revelatione dignatum à Deo, quaſi finxit alterum à ſe multis infirmitatibus ſubjecto ; quia qualitates & accidentia diverſa ſunt, licèt in eundem hominem cadentia. Sicque illam ſuam excellentiam quaſi ſit alterius hominis per humilitatem diſſimulat. Quid vocet *infirmitates*, diximus c. 11.

℣. 6. *Nam, & ſi voluero gloriari, non ero inſipiens : veritatem enim dicam : parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me.*

Id eſt. *Nam etſi* de meipſo *voluero gloriari* in his quæ glorioſa videntur hominibus, ut ſunt viſiones & revelationes ? Reverâ *non ero inſipiens*, licèt aliquo modo futurus ſimilis inſipientibus : nam neceſſitate conſtitutâ gloriandi ut pſeudoapoſtolorum gloriam reprimam : *veritatem dicam. Parco autem*, id eſt, ab hujuſmodi magnis & glorioſis recenſendis abſtineo veſtri causâ, *ne quis* propter illa plus mihi tribuat ac majorem *exiſtimet*, quàm mea facta quæ videt, & meus ſermo quem audit me eſſe declarant. Etenim & Deos putaverunt propter ſignorum magnitudinem, ut notat *Chryſoſtom.*

℣. 7. *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ, qui me colaphizet.*

Et ne ob magnitudinem revelationum ex-

tollar ab hominibus: Vel ne præ magnitudine revelationum inſoleſcam & vanè glorioſus ſim.; (Nam & ipſe homo erat, inquit *Theoph.*) datus eſt palus peracutus in carne *angelus Satanas*; id eſt, adverſarius angelus: vel *angelus Satanæ* ſeu miniſter Satanæ, ut colaphis cedar. Græci *ut non extollar*. Quid ſtimulus carnis, qui & angelus Satanæ vocatur, non omnes conveniunt. *Hieron. Ep.* 25. *ad Paulum*, monitorem quemdam humanæ imbecillitatis ad revelationum humiliandam ſuperbiam *Paulo* appoſitum fuiſſe in ſimilitudinem triumphantium, quibus in curru retrò comes adhærebat: per ſingulos civium acclamationes dicens, hominem te eſſe memento. Sunt qui dolorem capitis: alii viſcerum ſtimulum interpretantur: alii *Pauli* adverſarios à Satana concitatos ad hoc, ut ejus prædicationi & piis conatibus, velut quidam ſtimuli, ſeu pali oppoſiti ubique reſiſterent: ſic *Chryſ.* Alii incentivum libidinis, quod in carne patiebatur, ut 1. *Cor.* 9. ℣. 27. & *Rom.* 7. ℣. 23. Sic *Anſelm.* & *Hier. Epiſt. ad Euſtoch.* & *ad Demetr.* Et *Aug. con.* 2. *in Pſ.* 58. & *Theoph.*; nam ſibi datum ait ad humilitatis cuſtodiam, & *ut colaphizet*; id eſt, ignominiâ afficiat & vilem reddat: Et *ſtimulus* ille eâdem ratione vocatur *angelus Satanæ*, quia diaboli partes & regnum adjuvat, incitando homines ad peccata & inquinamenta carnis: Vel quia diabolus hujuſmodi ſtimulo tanquam miniſtro ſeu angelo utitur ad regnum peccati propagandum. Vel dæmon aliquis diaboli miniſter, quo tentante & ſtimulante *Paulus* hoc malum in carne paſſus eſt. *Datus eſt mihi* à Deo, non à diabolo, ut ait *Aug. lib. de nat. & grat. cap.* 27. quod non ita intelligendum, quaſi Deus carnalis tentationis author fuerit, aut peccatum aliquod malo angelo præceperit; ſed quia per divinam ſuam

providentiam permittere voluit & ordinavit, ut *Paulus* ad hunc modum colaphizaretur: ſic *Eſtius*.

℣. 8. *Propter quod ter Dominum rogavi ut diſcederet à me:*

Id eſt, *propter* hunc ſtimulum carnis, angelum Satanæ, *ter rogavi Dominum ut diſcedere*, ſive abſiſtere eum ab ipſo juberet: non quòd contentus fuerit *ter* tantùm oraſſe pro depulſione mali tam moleſti; ſed quia, ùt ait *S. Thom.*, *ter* expreſſè, magiſque devotè & inſtanter hoc petiit. Vel ſecundùm Græcos *ter*, id eſt, frequenter: vel denique non ſæpiùs quàm *ter*, eo quòd tertiam orationem acceperit reſponſum à Domino. Hinc intelligimus etiam ſanctos ignoranter nonnumquam aliqua non impetranda poſtulaſſe: ſimul etiam diſcimus quòd importuna petitio vel reſponſum mereatur, ſi non meretur effectum, ùt notat *Hier.*

℣. 9. *Et dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.*

Nota *Paulum* obiter inſinuare aliam adhuc revelationem ſibi à Domino factam, dicente, *Sufficit tibi gratia mea.* q.d. Non eſt neceſſe ut auferatur à te ſtimulus carnis, quia ſufficit tibi ad malum hoc, quodcumque illud eſt, ſuperandum *gratia mea*, hoc eſt, favor ac benevolentia mea, quâ tibi volo benefacere: per hanc enim de angelo colaphizante victoriam reportabis. *Nam virtus* ſeu potentia mea maximè declaratur *in infirmitate*, dum per eam fit ut ſive tentatio carnis, ſive perſecutiones à malis hominibus illatæ, ſive quidquid aliud infirmitatis no-

mine poteſt hîc intelligi, ſuperetur à te, aut ne noceat, toleretur, & per hoc magis illuſtrem, fortemque te reddat. Alii virtutem Chriſti intelligunt, quæ *Paulo* inerat à Chriſto, & à qua *Paulus* ipſe fortis ac potens dicebatur. *Per infirmitates* ea ſignificat quæ patiebatur tam in corpore, quàm in animo; comprehenſis etiam tentationibus carnis & diaboli, non autem animi vitiis & peccatis. Et virtutem ponit in patientia & victoria infirmitatum, non autem in agnitione: Exauditus autem eſt in eo quod implicitè voluit, hoc eſt bonum ſuum ſalutare. *Libenter igitur* Græcè, *libentiſſimè itaque magis gloriabor in infirmitatibus meis*, magis quàm in ulla alia re quâ videar excellere, ut magis in dies ſuper me confirmetur *potentia Chriſti*, quâ nimirùm potens ſum ad ſuperandas omnes infirmitates. Et innuit quantò plus ingruat tentationum, tantò magis augeri gratiam, eſſeque diuturniorem, ùt notat *Chryſ.*

℣. 10. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto: cùm enim infirmor, tunc potens ſum.*

Propter quod, id eſt, propter inſignem utilitatem infirmitatum, quatenùs per illas in me perficitur atque *inhabitat virtus Chriſti*. Vel *propter* ſtimulum carnis ſibi à Deo datum, in quantum erat virtutis exercitium. Cùm enim, inquit, imbecillis ſum, cùm ſubjicior prædictis infirmitatibus, eaſque patior, *tunc potens ſum*, non meâ, ſed Chriſti virtute, quæ me facit omnibus illis ſuperiorem, ideòque meritò glorior, ac *placeo mihi* in illis, non in honoribus: ex *Hier.*

℣. 11. *Factus ſum inſipiens, vos me coëgiſtis. Ego enim à vobis debui commendari: nihil enim minùs fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli: tametſi nihil ſum:*

Id eſt, quòd gloriando ac me ipſum laudando *factus ſum quaſi inſipiens*, veſtra me cauſa impulit, qui tanti facitis pſeudoapoſtolos mei contemptores, qui defuiſtis veſtro officio erga me, nimiùm illis addicti. Nam veſtrarum erat partium me Apoſtolum veſtrum commendare, & meam dignitatem tueri. Nam quòd ad gratiam & functionem attinet Apoſtolici muneris, nihil inferior fui; nihil minùs præſtiti, quàm illi qui ſunt Apoſtolorum primi atque præcipui, ut *cap. ſuperiori*, quamvis *nihil ſum* ex meipſo; ex *Hieron.* & *Chryſ.*

℣. 12. *Signa tamen Apoſtolatûs mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.*

Signa Apoſtolatûs vocat opera quæ probant ipſum Apoſtolum eſſe, vel miracula. Primum ſignum vocat omnimodam patientiam. Quomodo ſigna & prodigia differunt, vide ad *Rom.* 15. & quid virtutes 1. *Cor.* 12. Uno verbo omnes explicat afflictiones, inter quas tamen ſignis & miraculis claruerit: ex *Chryſ.*

℣. 13. *Quid eſt enim, quòd minùs habuiſtis præ cæteris Eccleſiis, niſi quòd ego ipſe non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam.*

Id eſt, quia in re fuiſtis inferiores *cæteris Eccleſiis*, non iis ſolùm quæ ab aliis Apoſtolis, ſed etiam quæ à me fundatæ ſunt? Per ironiam abutitur exceptivâ particulâ *niſi*; nam non gra-

vari ſumptibus, non erat minus habere cæteris Eccleſiis, ſed præcellere. Similiter urbanâ ironiâ dicit, *donate mihi hanc injuriam.* Hæc dicebat percutiens & curans: hoc enim ſapientiæ eſt, & ſecare & obligare vulnus, ait *Chryſ.*

℣. 14. *Ecce tertio hoc paratus ſum venire ad vos: & non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Nec enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis.*

Ne exiſtiment quòd nunc tertiò venientem oporteat omninò ab eis ali; maximè quoniam de hoc quoque multis diſſeruit in ſuperioribus: hinc jam tollit primùm hanc ſuſpicionem, quoniam vos diligo, non veſtra, ut pſeudoapoſtoli: Deinde etiam à communi ſenſu & natura ſermonem confirmat, ſeipſum quidem vice patris ponens, illos autem loco filiorum, quibus magis dare debeat: ex *Hieron.*

℣. 15. *Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris: licèt plùs vos diligens, minùs diligar.*

Ego (inquit) cùm patris vicem geram erga vos, non modò non accipiam, ſed etiam præbebo non pecuniam aut poſſeſſiones, ſed meipſum & meam ipſius carnem, exemplo Chriſti, *Joan.* 10. ℣. 11.; nam hoc deſignat *ſuperimpendar* & hæc (inquit) facio pro his qui vehementer amantur, ſed minùs amant. Conſidera quot gradus commemorat: licebat accipere, ipſe non accipiebat; ecce primum opus. Et bonorum quamvis inopiâ premeretur; ecce ſecundum. Et illis prædicans; en tertium. Et impendit ſe; ecce quartum. Et non ſimpliciter ſe impendit ſed & cum incremento; ecce quintum. Et non

ſolùm pecuniam, ſed & ſeipſum; en ſextum. Et his qui non valde diligebant; ecce ſeptimum; ut notat *Chryſ.*

℣. 16. *Sed eſto: ego vos non gravavi: ſed cùm eſſem aſtutus, dolo vos cepi.*

q. d. Concesſerit fortè quis, quòd *ego* ipſe *vos* ſumptu *non gravavi*, ſed dicet me tanquam hominem aſtutum *dolo* & arte *vos circumveniſſe*, nimirùm alios ſubornando, qui pro me acciperent, cùm ipſe nollem videri quidquam accipere: ex *Chryſ.*

℣. 17. *Numquid per aliquem eorum, quos miſi ad vos, circumveni vos?*

q. d. Nihil tale feci. Græcè *avarè extorſi.*

℣. 18. *Rogavi Titum, & miſi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? Nonne eodem ſpiritu ambulavimus? Nonne iiſdem veſtigiis?*

Numquid Titus quem miſi ad vos, aliquid à vobis extorſit? *An non eodem animo* & eâdem voluntate *Titus* & ego converſati ſumus ergà vos? Per eadem veſtigia ſignificat externorum operum ſimilitudinem.

℣. 19. *Olim putatis quòd excuſemus nos apud vos? Coram Deo in Chriſto loquimur: omnia autem chariſſimi propter ædificationem veſtram.*

Veritus eſt ne aſſentatoris opinionem de eo ſumerent: ideò etiam ſuperiùs c. 3. dixit: *Incipimus iterùm nos ipſos commendare? Aut numquid egemus commendatitiis Epiſtolis?* Non ergo vobis aſſentantes, aut nos coram vobis excuſantes hæc dicimus, ſed veluti in conſpectu Dei, & eo inſpectante *loquimur.* Quomodo autem poſſibile eſſet, eum qui *coram Deo* loquitur, & *per Chriſtum loquitur*, aſſentationis

& adulationis gratiâ loqui? ait *Occum.* Duplex juramentum: Teſtis eſt Deus, qui novit animum noſtrum; teſtis eſt Chriſtus, cujus negotium agimus, ut *Gal.* 1. ℣. 20. *Rom.* 9. ℣. 1. ex *S. Th.*

℣. 20. *Timeo enim ne fortè cùm venero, non quales volo, inveniam vos: & ego inveniar à vobis, qualem non vultis: ne fortè contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſentiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos:*

Vides *Pauli* paternam providentiam? Alii peccaverunt, & *Paulus* metuit. *Ne fortè cùm venero.* Dubitat adhuc & non aſſerit. *Non quales volo, reperiam vos*, nempe corruptos, & ego quoque neceſſitate ductus *reperiar qualem nolitis*, hoc eſt puniens eos, qui immedicabiliter ægrotant. Dicit deinceps quales invenire nolit: cum his (inquit) vitiis, quæ regnant apud vos, *ut contentiones*, id eſt, verborum pugnæ, ſolo vincendi ſtudio ſuſceptæ. *Æmulationes*, dum quis dolet alium potiri bono, quod ipſe concupivit, & aſſequi non potuit. *Animoſitates*, impetus animi ad iram concitati. *Diſſentiones* in ſtudiis & factis, &c.

℣. 21. *Ne iterùm cùm venero, humiliet me Deus apud vos; & lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt.*

Sui humiliationem vocat ultionem ſumere de ſontibus, metuens, ne ſecundus hic ſuus adventus ſit iterùm in humilitate, ſicut & primus *c.* 10. Oſtendit autem quòd propter ipſos

omnia ſuſtineat, & humiliari ſive deprimi & lugere. Vel ſui humiliationem vocat illorum tranſgreſſionem, confirmans quæ jam prædixerat, *quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur, & ego non uror?* ex *Theod.* Triſtitiam verò ſuam *luctum* vocat, ut innuat eos qui peccaverunt, Deo mortuos eſſe. Vide Apoſtoli virtutem, cùm nullius mali ſibi conſcius ſit, pro aliorum delictis luget: Non dicit *& lugeam multos*, qui peccant & permanent in immunditia, ſicut intellexiſſe videtur *Aug. lib. 3. cont. Parm. c. 2.* Sed *qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam* de peccatis quæ perpetrarunt. Nam Corinthiorum quædam peccata erant præſentia, quædam verò præterita; præſentia quidem ſpiritualia, ùt *contentiones, æmulationes*, &c. de quibus ſuprà: præterita verò carnalia, de quibus hâc parte, à quibus quidam abſtinere jam videbantur, ſed nondum per pœnitentiam ſalutarem erant expurgati. Quod enim ait eos non egiſſe pœnitentiam, de fructibus dignis pœnitentiæ intelligendum eſt, quos nondum fecerant, ad quos proinde compellendi erant Apoſtolicâ poteſtate, ut notat *Eſtius* poſt *S. Thomam.*

J. BENCE

CAPUT XIII.

Minatur Corinthiis niſi reſipuerint, ſe cum animadverſione venturum ad illos, & benè iis precatur.

℣. 1. *Ecce tertio hoc venio ad vos: in ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum.*

ID eſt, Tertius hic erit adventus *ad vos:* erat enim in procinctu; quaſi tertius adventus tertium futurum ſit teſtimonium. Vel ut ſignificet ſe in judicandis & puniendis peccatoribus proceſſurum juxta formam divinæ legis, ſcilicet auditis duobus aut tribus, ut *Deut.* 19.

℣. 2. *Prædixi, & prædico, ut præſens, & nunc abſens iis, qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam ſi venero iterùm, non parcam.*

Ecce rurſum alii tres teſtes, bis præſentem prædixiſſe, & nunc ſemel in abſentia: Scripturam autem quæ de tribus eſt teſtibus, retulit ad tres adventus, & tres admonitiones. Iis quidem qui deliquerunt, ut corrigantur; *reliquis* verò *omnibus* ut teſtes ſint, quòd nulla ſit in me cauſa, ſi eos qui non reſipuerint puniero, vel ut teſtes ſint denunciationis ac præmonitionis meæ. *Non parcam*, virgam Eccleſiaſticæ diſciplinæ comminatur, ut excommunicatio-

nem & rigorem ſatisfactionis. Non ultrà differam, ſi incorrigibiles invenero, quod abſit, ſed planè intentabo pœnas: ex *Chryſ.*

℣. 3. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus, qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis?*

Græci ſinè interrogatione legunt, *quandoquidem probationem quæritis loquentis in me Chriſti:* cujus lectionis ſenſus eſt dico me non parciturum: *quandoquidem* ita vos geritis, quaſi dubitetis & experimento probare velitis an Chriſtus in me loquatur, id eſt, an ex poteſtate à Chriſto accepta tanquam verus ejus Apoſtolus ego hæc loquar, quæ dixi de puniendis impœnitentibus. Vel ùt Latini, q. d. An vultis experiri eſſe præceptorem veſtrum, qui poſſim vos caſtigare? Hoc autem dicit, ut eos provocet ad pœnitentiam maturè agendam, ne cogatur eos punire, *ait Oecum. Qui in vobis* ſive *erga vos*, verbum eſt comminatorium. q. d. Experimentum habetis ab his quæ vobis contigerunt, quòd non ſit imbecillis Chriſtus, non ſolùm per miracula virtute ejus facta, quibus adducti eſtis ad fidem, ſed etiam in punitione delinquentium, velut illius fornicarii, 1. *Cor.* 5. & eorum qui indignè ſumpſerant corpus & ſanguinem Domini, quorum alii in varias ægritudines inciderant, alii morte abrepti erant, 1. *Cor.* 11. Quantò magis *in vobis* carptoribus fuit ait *Hier.*

℣. 4. *Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate: ſed vivit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi ſumus in illo: ſed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.*

Quamvis *crucifixus* fuit & in cruce mortuus

ſecundùm carnem infirmam, paſſibilem, mortalem & hominum dæmonumque injuriis obnoxiam: *vivit* tamen nunc vitâ immortali & impaſſibili *ex virtute* & potentiâ *Dei* Patris, qui revocavit eum de morte ad vitam, non ultrà moriturum. Itaque jam non ampliùs infirmus, ſed potens eſt: cujus proinde potentiam vos etiam in miniſtro ejus timere debetis. Vel *ex infirmitate* noſtra, id eſt, propter peccata noſtra *crucifixus eſt*, ex *Hil. 9. de Trin.* Sic igitur & *nos* Apoſtoli *infirmi ſumus*, utpote multis injuriis, periculis & afflictionibus obnoxii, idque *in illo*, hoc eſt propter Chriſtum, & verbum ejus; vel *in illo* tanquam exemplari, cui nos ejus miniſtri conformamur, ſuprà *c. 4.* ℣. 20. & *Joan.* 15. ℣. 10. Sed tamen etiam *vivimus* cum Chriſto, id eſt, Chriſto viventi ex virtute nos quoque aſſimilamur, in eo quòd *ex* eadem *Dei virtute vivimus. Erga vos*, id eſt, potentes ſumus veſtri reſpectu, ut non ſolùm miracula apud vos patrare, ſed etiam vos peccantes punire poſſimus. Si legas, *vivemus*, ſenſus erit: ſed inſtar Chriſti virtute Dei potentes erimus erga vos: tunc nimirùm cùm res poſtulabit, ut poteſtatem in vos exerceamus.

℣. 5. *Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide: ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos quia Chriſtus Jeſus in vobis eſt? Niſi fortè reprobi eſtis.*

Non ſolùm (inquit) in me loquitur Chriſtus per poteſtatem ab ipſo datam, verùm etiam ſi volueritis vos ipſos explorare ac probare, cognoſcetis *in vobis Chriſtum eſſe per fidem.* Nota non loqui de fide, quæ omnibus Chriſtianis communis eſt, & à charitate ſeparari poteſt; tum quia ſcire poterant Corinthii ſinè novâ probatione, ſe talem fidem habere: *ex Aug. l.* 13.

de Trin. c. 1. & *S. Thom.*; tum quia per hujuſmodi fidem non continuò Chriſtus in nobis eſſe dicitur. Sed vel de fide per dilectionem operante: hanc enim ut humanâ quâdam & conjecturali certitudine quiſque ſe habere ſciat, probare ſeipſum debet ex operibus & intentione. Vel loquitur de fide miraculorum efficaci & cum dono prophetiæ & linguarum conjuncta, quæ fides ſignum eſſe ſolet Chriſti habitantis in eo fidelium cœtu in quo ipſa viget. *An non cognoſcitis*, &c. q. d. Per experimentum fidei, in qua probatione adhibitâ invenitis vos eſſe, planè *cognoſcitis Jeſum Chriſtum eſſe in vobis*, ut proinde de me, cujus miniſterio fidem accepiſtis, ambigere non debeatis, quòd loquatur in me Chriſtus. Malè ex hoc colligunt Hæretici, hominem juſtum certò ſcire ſe eſſe filium Dei, & Chriſtum in ſe inhabitantem habere. Nam quòd certum eſt, probatione non eget. At neque poſt probationem quiſquam certus eſt omnimodâ certitudine Chriſtum in ſe habitare, ſed morali dumtaxat, ex *S. Thom.* Et Apoſtolus videtur non de ſingulis loqui, ſed de Eccleſia Corinthiorum. Certiùs autem cognoſcitur in Eccleſia aliqua particulari Chriſtum per gratiam habitare, quàm in uno quopiam homine. Exceptio verò illa, *niſi fortè*, &c. refertur ad illud extremum *in vobis*, vel ad verbum *cognoſcitis*, ut ſenſus ſit. Omninò cognoſcitis experimento certorum effectum Chriſtum eſſe in vobis, *niſi* quâ parte *reprobi eſtis*, id eſt, viles ac degeneres effecti, utpote carentes ac deſtituti ſignis illis, ex quibus excellentiam veſtram cognoſcatis. Neque enim reprobi hic dicuntur, qui contra prædeſtinatos diſtingui ſolent, ut patet ex ſequentibus: ex *Cajet.*

℣. 6. *Spero autem quòd cognoſcetis, quia nos non ſumus reprobi.*

Græcè, *cognoſcetis*, ut ſit comminatio. q. d. Si fortè non cognoſcitis Chriſtum in vobis eſſe, propterea quòd plerique veſtrûm vitâ corrupti dudum exciderunt à priſtinis Spiritûs ſancti donis: At ſpero vos experientiâ cognituros, quòd nos *non ſimus reprobi*, id eſt, viles ac poteſtate deſtituti; faciam ut cognoſcatis authoritatem meam, nec patiar me contemni. Vide quomodò iterùm dulciorem reddit ſermonem, & mitigat timorem dicens, ùt notat *Chryſ.*

℣. 7. *Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, ſed ut vos quod bonum eſt faciatis: nos autem ut reprobi ſimus.*

Vide mentem *Pauli*: deſpiciebatur, ſubſannabatur tanquam nihil poſſet, ſed in litteris tantùm gloriaretur: & non modò differt, illato adversùs illos ſupplicio propriam manifeſtare potentiam; verùm etiam precatur, ne quando in neceſſitatem incidat hanc demonſtrandi, ne quidquam mali faciant dignum cenſurâ Eccleſiaſticâ & Apoſtolicâ. Non hoc, inquit, deſideramus & à Deo petimus, ut nos judicando & vos puniendo videamur eſſe magnæ authoritatis, id eſt, ut nos habeamur in pretio ùt pſeudoapoſtoli; facilè patiar me haberi *ut reprobum*, id eſt, vilem, gloriæ ac poteſtatis expertem; nec volo ullam meæ dignitatis haberi rationem, dummodò vos conſtanter in bono perſeveretis, & nihil admittatis, quod me cogat oſtendere poteſtatem quàm à Chriſto accepi; quod & in Saphira ac Mago factum eſt, *Act.* 5. & 8. ùt ait *Chryſ.*

℣. 8. *Non enim poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate.*

Id eſt, poteſtas mea punitiva nullum habet uſum, quamdiu veritas & juſtitia ſervatur; quia non eſt *contra veritatem*, ut illa deſtruatur, *ſed pro veritate* conſervanda: utpote data contra tranſgreſſores, non contra juſtos, ùt 1. *Tim.* 1. ℣. 9. *Rom.* 13. ℣. 9. Sic *veritatem*, pro eo quod rectum & juſtum eſt, accipit: vel pro pietate, ùt ait *Oecum.*

℣. 9. *Gaudemus enim, quoniam nos infirmi ſumus, vos autem potentes eſtis. Hoc & oramus veſtram conſummationem.*

F *Quoniam*, Græcè *cùm* vel *ſi quando*. Non ſolùm, inquit, alieni ſumus à cupiditate oſtentandæ poteſtatis noſtræ, ſed etiam *gaudemus ſi quando nos infirmi* & impotentes *ſimus*, videlicet ſubtractâ nobis materiâ noſtræ poteſtatis: & viciſſim *vos potentes*, & adversùs quos ego nihil poſſim ob correctam vitam veſtram: ex *Chryſ.* Vel gaudeo vos eſſe potentes, etſi ego infirmus ac reprobus habear, non valens uti poteſtate. *Hoc* quod dixi, ſcilicet ut potentes ſitis votis & precibus ad Deum fuſis, optamus, *veſtram* inquam *perfectionem*, ſeu ut in omni bono conſummati ſitis, correctis vitiis ac ſublatis diſſidiis: ex *Eſtio.*

℣. 10. *Ideò hæc abſens ſcribo, ut non præſens duriùs agam ſecundùm poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem.*

Propterea ita ſcripſi volens in litteris eſſe ſeveritatem, & non operibus eam demonſtrari: Vel *abſens ſcribo* & vos moneo, ne cùm præ-

ſens fuero & vos incorrectos invenero, cogar uti ſeveritate *ſecundùm poteſtatem quam Dominus dedit mihi*, &c. ut dictum & expoſitum eſt c. 10. *Non in deſtructionem*; ad quam ſibi pſeudoapoſtoli poteſtatem uſurpant, ut notat *Hier.*

℣. 11. *De cetero, fratres, gaudete, perfecti eſtote, exhortamini, idem ſapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum.*

Epilogus eſt Epiſtolæ, gaudete, ſalvete, valete. Græci de gaudio exponunt, quia contriſtaverat Corinthios. Integri eſtote, corrigite vitia priora, conſolationem accipite, unanimes eſtote, pacificamini, vel in pace agite, non ſint inter vos rixæ & contentiones: *& Deus* parens concordiæ, & *pacis* author, *erit vobiſcum* per ampliora gratiæ ſuæ dona. *Salutate invicem in oſculo ſancto.* Hoc ipſum in duabus præcedentibus Epiſtolis audivimus.

℣. 12. *Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes ſancti.*

Id eſt, fratres ſeu Chriſtiani qui apud vos ſunt. Cur Chriſtiani dicantur ſancti, ſuperiùs diximus.

℣. 13. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritûs ſit cum omnibus vobis. Amen.*

Id eſt, gratuita beneficentia *Chriſti* redemptoris noſtri, & *charitas* quâ Deus Pater nos dilexit, & *participatio* ſeu larga effuſio donorum *Spiritûs ſancti ſit cum omnibus vobis*; ſcilicet per multiplices effectus gratiæ Chriſti, & charitatis Patris, & communicativæ bonitatis Spiritûs ſancti. Omnes in his donis vult eſſe perfectos, ait *Hier.*

IN EPISTOLAM
B. PAULI
APOSTOLI
ad Galatas.

ARGUMENTUM.

GAlatæ ab Apoſtolo converſi cùm legitimè in Chriſtum credidiſſent, ſeducti ſunt à pſeudoapoſtolis aſſerentibus unà cum baptiſmo circumciſione opus eſſe: ideò hanc illis ſcribit Epiſtolam, & acriter objurgat quòd circumciderentur, & Sabbatha, ac Neomenias ſervarent. Gratiæ Chriſti ad benè ſanctéque vivendum neceſſitatem oſtendit, legis infirmitatem arguit, cerémoniarum ceſſationem prædicat: ſuam adverſus pſeudoapoſtolos dignitatem vendicat. Latini ab Epheſo, Græci ab urbe Roma ſcriptam Epiſtolam aſſerunt.

CAPUT I.

Increpat Galatas, quòd à doctrina per ipſum tradita receſſiſſent: oſtendens ſe Apoſtolum à Deo Patre & Chriſto delegatum, ab aliis Apoſtolis non fuiſſe edoctum.

℣. 1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum à mortuis:*

SUſpicionem tollit ne hominum dicatur diſcipulus. Nam Apoſtolus creatus, ſeu miſſus ſum *non ab hominibus*, inquit, veluti à collegio Apoſtolorum, quomodò *Matthias* Apoſtolus factus eſt; aut ſuffragiis alicujus Eccleſiæ, quomodò Barnabas & Silas. *Neque per hominem* mortalem, qualis erat Chriſtus, quando duodecim elegit; ſed per hominem immortalem, qualis idem Chriſtus poſt reſurrectionem: Vel non per hominem purum, qualis erat Petrus, per quem creatus fuit Clemens; ùt Timotheus & Titus per Paulum: *ſed per Jeſum Chriſtum*, qui non eſt purus homo, ſed homo Deus, ex *Hier. Et Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum à mortuis.* Hoc addit, ut tacitè ſaltem innuat, à Deo Patre per Chriſtum immortalem reſurrectione, ſe conſtitutum Apoſtolum, quod nulli contigerat aliorum. Non enim *Act.* 13. Paulus & Barna-

bas creati ſunt Apoſtoli; ſed tantùm cum ceremonia manuum impoſitionis, adhibitâ oratione & jejunio, miſſi ſunt ad opus prædicationis Evangelicæ, ad quod jam aſſumpti & deſignati erant à Spiritu ſancto: ſicut Petrus & Joannes miſſi ſunt ad Samaritanos, non tamen ordinati Apoſtoli; ſed multò ante à Chriſto. Porrò commonefacit eos ſummi beneficii in nos collati, omiſſis iis quæ Dei majeſtatem commendant: quia attentiùs homines plerique audiunt hos ſermones, qui ejuſdem in homines beneficentiam declarant, ùt ait *Chryſ.*

℣. 2. *Et qui mecum ſunt omnes fratres, Eccleſiis Galatiæ.*

Subintellige *ſcribit.* Ut doceat ſe non ſuâ, ſed omnium fratrum ſententiâ ſcribere pluribus Galatarum Eccleſiis, quas ſeduxerant pſeudoapoſtoli.

℣. 3. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto,*

De hac ſalutationis forma in aliis Epiſtolis diximus.

℣. 4. *Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, ſecundùm voluntatem Dei & Patris noſtri,*

Dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, & præterita abolens & in futurum præſervans. Hoc autem recenſet, ut innuat non à ceremoniis legis, ſed ex cruce Chriſti remiſſionem peccatorum expectandam: quâ ſegregavit nos de numero peccatorum & vocavit in ſortem ſanctorum. Cùm enim ait, *pro peccatis noſtris*, & iterùm *ut eriperet nos de præſenti ſæculo malo*, hoc eſt ex malis actionibus, ait *Chryſ.* ſic diem

malum dicimus, non ipſum tempus, ſed actionem incuſantes. In electorum perſona loquitur, quia qui ſegregantur ex maſſa impiorum, electi ſunt: qui verò relinquuntur, reprobi. Quem verò dixit patrem Chriſti per naturam, nunc patrem noſtrum vocat propter adoptionem filiorum Dei. *Secundùm voluntatem Dei* refertur ad illud, *qui dedit ſemetipſum*, ut ſenſus ſit: Chriſtum tradidiſſe ſeipſum in mortem ex voluntate, decreto, & præcepto Patris: vel ad effectum hujus ſpontaneæ traditionis: nam voluntatis ac beneplaciti divini eſt peccata noſtra deleri, noſque eripi è maſſa perdita: ex *Eſtio*.

℣. 5. *Cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.*

Conſideratis per ea quæ dicta ſunt de ineffabilibus Dei beneficiis, in glorificationem concluſit ſermonem, neque enim poterat ipſa exprimere: ex *Chryſ.*

℣. 6. *Miror quòd ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti in aliud Evangelium:*

Id eſt, *miror* vos *tam citò* poſt fidem Chriſti ſuſceptam *ab eo qui vos* admirabili benignitate *vocavit in gratiam Chriſti* filii ſui, id eſt, ad participationem gratuitorum ejus beneficiorum; vel per gratiam Chriſti, id eſt, per meritum ejus gratuitò vobis applicatum; transferri ſeu traduci *in aliud Evangelium*, hoc eſt, diverſum ab eo quod à me vobis prædicatum eſt, ſive in aliam doctrinam quæ pro Evangelio vobis obtruditur.

℣. 7. *Quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti.*

Quod (inquit) ſolum unum eſt, & *non eſt*

aliud præter ipſum. *Niſi* quòd *quidam ſunt qui turbant vos*, volentes vos pervertere, *Chriſtique Evangelium evertere*, id eſt, aliud docere quàm quod Chriſtus per Apoſtolos docendum tradidit. Non enim præcepit homines circumcidi, cæteraſque legis ceremonias obſervari, ſed ab hoc jugo fideles ſuos liberavit. Dixit ſubverti Evangelium. Quemadmodùm enim in moneta regia qui paululùm aliquid amputarit de impreſſa imagine, totum numiſma reddidit adulterinum: ita quiſquis ſanæ fidei vel minimam particulam ſubverterit, in totum corrumpitur, ab hoc initio ſemper ad deteriora procedens, ùt pluribus probat *Chryſ.*

℣. 8. *Sed licèt nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.*

Ne quis dicat quòd inani gloriâ propriæ favet prædicationi, ſeipſum primùm execratur, ſi quid in Evangelio immutare velit. Ne mihi (inquit) dicas Petrum, Jacobum, & Joannem: ſed ſi ſupernæ quoque poteſtates evertant Evangelium, *anathema ſint*. Hoc autem ait, non quòd Petrus, & qui cum eò erant, & ſupernæ virtutes aliud prædicarent: ſed volens impoſtorum ora obſtruere, qui à Petri dignitate imponebant illis, ùt notat *Oecum.* Malè ex hoc loco hæretici contendunt traditiones eccleſiaſticas evellere; nam ſi juxta illorum intelligentiam *præter*, ſignificaret id quod quocumque modo diverſum eſt ab iis quæ jam tum tradita erant, Joannes Apoſtolus eſſet anathema, quia poſteà ſcripſit Evangelium & Apocalypſim, in quibus multa ſunt ab aliis non antè tradita. Quin & ipſe *Paulus* anathema foret ſibi; qui & in hac epiſtola, & in aliis poſteà ſcriptis quædam docuit & tradidit, anteà Galatis non tradita, qui

etiam 1. *Theſ.* 3. ℣. 10. promittit ſe completurum ea quæ deerant fidei ipſorum. Igitur, *præter*, non ſignificat quod quocumque modo diverſum eſt, ſed ita diverſum, ut ſit etiam diverſum, & contrarium. Et anathema fertur non in eos ſolùm, qui apertè contraria docent, aut talia quæ totum Evangelium ſubvertunt; ſed etiam in illos qui aliquid addunt, quantumvis minimum, quo Evangelium, ſeu pars aliqua doctrinæ ab Apoſtolo traditæ labefactetur: ita *Chryſoſtom.* & *Theophyl.*

℣. 9. *Sicut prædiximus, & nunc iterùm dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.*

Ut prædiximus, vel alio tempore, vel jam antè. Id enim repetit inculcationis causâ. Hunc locum ſimiliter de eo quod contrarium ſit traditis & acceptis, exponit *Aug. tract.* 98. *in Joan.* 16. Quid ſit anathema, vide *Rom.* 9. & 1. *Corinth. ult.*

℣. 10. *Modò enim hominibus ſuadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.*

Græcè, nunquid adhuc homines perſuadeo, an Deum? q. d. Non homines prædico, ſed Chriſtum; neque de humanis rebus perſuaſio mea eſt, ſed de divinis. Vel an apud homines cauſam dico, an apud Deum? ex *Chryſ.* id eſt, non apud homines judices, ſed apud tribunal Dei cauſam hanc ago, illique meam doctrinam, ùt judici meo probare ſtudeo: vel an quod doceo & prædico, ad hominum gloriam prædico, ac non potiùs ad gloriam Dei? Num ſtudium meum eſt ut hominibus placeam, an potiùs ut placeam Deo? ùt Iſa. 30. Pſ. 52. 1. Cor. 10. Si

adhuc ſtuderem hominibus placere, ſicut olim in Judaiſmo, non eſſem factus Chriſtianus, non addixiſſem me Chriſto in ſervitutem; vel ſi adhuc, ùt olim, ſectarer hominum gratiam, non eſſem idoneus Chriſti ſervus, non eſſem dignus eo nomine; quia miniſterium quo Chriſto ſervio in Evangelio, non ſincerè, non ſicut oportet, obirem. Obliquè notat pſeudoapoſtolos: ex *Chryſ.*

℣. 11. *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod Evangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem:*

Quia non eſt ſecundùm hominem, id eſt, non eſt humanum inventum, ùt exponit *Auguſtinus*, dicens Evangelium quod ſecundùm hominem eſt, mendacium eſſe, quia omnis homo mendax: vel *non eſſe ſecundùm hominem*, id eſt non eſſe mihi traditum hominis cujuſpiam miniſterio, ſcilicet ejus qui tantùm homo ſit; ſed ab ipſo Chriſto per ſeipſum, ait *Chryſ.*

℣. 12. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti.*

Aliqui calumniantes Apoſtolum dicebant, eum non à Chriſto, ùt *Petrus*, ſed ab hominibus munus evangelizandi accepiſſe, & ideò non oportere ei parere: quas calumnias Paulus hic refellit dicens ab ipſo Chriſto ſibi factam immediatè revelationem; qui dignatus eſt ipſi totius Chriſtianæ religionis myſteria patefacere: volens ejus prædicationem apud homines non eſſe minoris authoritatis, quàm erat Petri, Jacobi, & cæterorum qui Chriſtum in carne viderant ac docentem audierant. Revelatio autem illi facta eſt, quando Damaſcum proficiſcens in itinere Chriſti vocem audivit, &

cæcatis oculis verum mundi lumen intuitus eſt, ait *Hieron.* Vel quando raptus fuit in paradiſum: ex *S. Thom.* 2. *Cor.* 12. Vel non longè poſt converſionem ejus. At quomodò (inquiunt) probari poteſt incredulis, quòd Deus per ſe nullo hominis interventu tibi patefecerit illa arcana myſteria? Probat hoc (inquit) illa ſuperior mea converſatio. Niſi enim Deus fuiſſet qui effulſerat, haudquaquam adeò repentè fuiſſem immutatus: ita *Chryſ.*

℣. 13. *Audiſtis enim converſationem meam aliquando in Judaïſmo: quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam.*

Quoniam factam ipſi à Chriſto revelationem ignorabant Galatæ, confirmare vult ex eo quòd oſtendat ſe priùs fuiſſe perſecutorem, nunc autem repentè tranſmutatum eſſe: quòd niſi divina ſibi aliqua viſio facta fuiſſet, nequaquam repentè adeò tranſmutatus eſſet: ex *Chryſ.*; ut ex hoc perſuaſi ipſum eſſe diſcipulum Chriſti, non eum deſpicerent: nequaquam autem ex Palæſtina in Galatiam uſque rumor pervaſiſſet, niſi vehemens perſecutor fuiſſet. Hanc tamen *Chryſ.* & Græcorum interpretationem minùs aptam putat *Eſtius*, qui dicit, Apoſtolum hoc verſu *converſationem* ſuam *in Judaïſmo* narrare, ut fidem Evangelio ſuo conciliet ex iis quæ geſſit, antequam eſſet ad fidem Chriſti converſus; Faciliùs enim creditur homini, in quo tanta è contrario in contrarium accidit mutatio, qualis hìc deſcribitur, ex *Hier.* Judaïſmum vocat ſectam Judaïcam eorum qui legem Moſaïcam mordicùs retinebant, non admittentes abrogationem ejus per Chriſtum. Vel eorum qui putant ex ceremoniis & lege ſalutem eſſe, aut ſinè illis non eſſe, ex *Aug. Epiſt.* 19. ad

Hier. *Perſequebar Eccleſiam Dei.* q: d. Chriſtianos; in quo manifeſtiùs ſignificat magnitudinem ſui peccati, ut qui diſperdere voluerit eum cœtum quem Deus congregabat. *Et expugnabam illam*, ut dicatur deſtruxiſſe & evertiſſe quantùm in ipſo erat: neque enim expugnari poterat, quam Chriſtus ita fundavit, ut portæ inferi nunquam adversùs eam ſint prævalituræ.

℣. 14. *Et proficiebam in Judaïſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.*

Et ita *proficiebam in Judaïſmo*, ut ſuperarem pleroſque meæ ætatis ſocios Judæos, *abundantiùs æmulator exiſtens*, id eſt, plus æquo ſtudioſus traditorum à patribus inſtitutorum; quia voluit ea valere ultra tempus à Deo conſtitutum; aut traditiones intelligit præter Moyſen à majoribus excogitatas: Vel totum genus traditionum à majoribus acceptarum, comprehensâ etiam lege Moſaicâ; nam generatim pro traditionibus & inſtitutis Judaïcæ gentis pugnabat *Saulus*: Oſtenditque ſe non humano feciſſe affectu, ſed zelo divino, errante quidem, ſed zelo tamen, ait *Chryſ.*

℣. 15. *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam,*

Qui me ſegregavit &c. Secundùm *S. Thom.* & *Cajet.* Sic intelligendum ad litteram; qui fecit me naſci ſecundùm carnem *ex utero matris meæ*, quam *Theocritam* nuncupatam fuiſſe Stapulenſis ex Zozimo Papa refert. Nonnulli matrem hìc ſynagogam interpretantur à cujus utero ſegregatus, quando à Judaïſmi tenebris ad lumen veræ fidei tranſlatus eſt. Vel meliùs præ-

deſtinatio hic ſignificatur ex *Hier.* & Græcis, ut ſenſus ſit : Qui me jam ab ipſo nativitatis meæ exordio prædeſtinavit, ac peculiariter ex hominum numero delegit; tale quid enim ſibi vult ſegregandi vocabulum : ut *Rom.* 1. ℣. 1. & *Act.* 13. ℣. 2. Nam ſegregatio quæ ab hominibus fit in tempore, reſpondet illi quæ ab æterno facta eſt in mente divina. Illud *ex utero*, tempus, non rem à qua facta eſt ſeparatio, ſignificat ; ſimiles in Scriptura expreſſiones ſunt, ut *Pſalm.* 21. ℣. 9. & *Pſ.* 57. ℣. 3. & *Pſ.* 70. ℣. 7. Et quod dicit *ab utero*, non negat ab æterno ſe prædeſtinatum, ſive ad gratiam fidei, ſive ad prædicandum Evangelium ; ſed hoc quod dicit ſatis eſt ad ſignificandum id quod paſſim inculcat, nullis ſuis meritis electum ſe eſſe à Deo, ſed gratuitâ ejus bonitate. *Et vocavit* in tempore *per gratiam* efficacem, ad eam rem ad quam ab æterno prædeſtinatus eſt non ſuis meritis, ut notat *Hier.* Si autem *ab utero matris ſuæ*, id eſt à tempore quo natus eſt, ſegregatus & electus fuerit, utique divinâ diſpenſatione, medio tempore uſque ad converſionem ſuam relictus fuit, ut adeò repentina ejus mutatio multis foret major confirmatio, *Paulum* non ab hominibus, ſed à Deo accepiſſe Evangelium, ut notat *Oecum.*

℣. 16. *Ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in gentibus : continuò non acquievi carni & ſanguini,*

Ut revelaret, id eſt, ad revelandum : dependet autem ab utroque verbo *ſegregavit* & *vocavit*. Nam ſenſus eſt, Deum ab æterno prædeſtinaſſe, & in tempore vocaſſe *Paulum*, *ut Filium ſuum* in ipſo *revelaret*, id eſt, ut ipſi *Paulo* Chriſtum Filium ſuum, quem anteà perſequebatur, notum faceret inſpiratione fidei

& cognitionis myſteriorum ad fidem Chriſti pertinentium. Vel *in me*, id eſt, *per me* tanquam Apoſtolum & præconem Filium ſuum fideique ejus myſteria manifeſta mundo faceret. *Ut evangelizarem*, non ad proximè præcedentem partem referendum, ſed ad, *cum autem placuit*, eſt enim ſic totus locus ordinandus. Poſtquam Deo, qui olim me ſegregavit & poſteà per gratiam ſuam vocavit ad hoc, ut Filium ſuum per me revelaret, viſum eſt ut ad quod ab eo ſegregatus & vocatus eram, facto exequerer, id eſt, Filium ejus prædicarem apud Gentes, *continuò non acquievi*, Græcè *non contuli cum carne & ſanguine*, non communicavi negotium prædicationis cum quoquam mortalium: nempe idcircò, ùt *Chryſ.* exponit, quòd Evangelium per revelationem Jeſu Chriſti acceptum, cum hominibus, tametſi Chriſti Apoſtolis, tanquam dubium & ab eis aut corrigendum aut ſupplendum, communicare res indigna & abſurda videretur. Nam ex revelatione certus erat de ſui Evangelii veritate & plenitudine. Vel certè non contulit, ne videretur ab hominibus aut per homines accepiſſe Evangelium, & per hoc inferior cæteris Apoſtolis putaretur. Vel nomine *carnis & ſanguinis* carnales homines intelligi vult, ut ſenſus ſit. Non contuli Evangelium meum cum Judæis, aut aliis hominibus carni deditis: Vel *continuò* ſignificat non ſtatim à ſua vocatione communicaſſe cum hominibus Evangelium ſibi revelatum: ſed tamen id eum poſteà feciſſe, non quaſi de incerto, ſed ne in vacuum curreret, poſteà quàm Evangelium ejus ab obtrectatoribus cœpit in dubium revocari; ſive tunc quidem cum Apoſtolis de eo conferre voluiſſet: ùt *c. ſeq.* ſic *Chryſ.*

℣. 17. *Neque veni Jeroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos: ſed abii in Arabiam: & iterùm reverſus ſum Damaſcum:*

q. d. Ne quidem cum Apoſtolis contuli qui Jeroſolymis erant, & ante me Apoſtoli fuerunt, utpote à Chriſto in terris agente ad Apoſtolatum vocati. Quid in Arabia *Paulus* egerit annis tribus, non conſtat: præclara quædam, quæ ſcripta non ſunt, ibi præſtitiſſe, ait *Chryſ.*

℣. 18. *Deindè poſt annos tres veni Jeroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim:*

Rediit Petri inviſendi gratiâ *Jeroſolymam*, non ut conferret cum eo ſuum Evangelium, aut diſceret aliquid ab eo, ſed ſtudio cognoſcendi propiùs tantum virum, quem Chriſtus & Apoſtolorum principem & ſuæ Eccleſiæ paſtorem conſtituiſſet & aliis multis prærogativis ornaſſet: quique propterea ſummi nominis erat apud Chriſtianos. Sic autem velle videre, honorare erat, ut ne quis ſuſpicaretur *Petrum* à *Paulo* contemptum, aut minoris quàm oportuit æſtimatum. *Et manſi apud eum* non ampliùs *diebus* 15. Quod utique ſpatium temporis addiſcendo Evangelio, quod aliis prædicandum eſſet, ſufficere non poterat. q. d. Triennium jam Evangelium Chriſti prædicaveram magna cum fiducia, partim in Arabia, partim Damaſci: nec intereà quemdam Apoſtolorum conveni. Et quidem poſteà *Petrum* adivi, ſed tantùm honoris causâ: ut viderem non ut diſcerem, quod ſatis arguit brevitas temporis quod apud eum manſi: ex *Hieron.*

℣. 19 *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini.*

Hic eſt *Jacobus*, non Zebedæi filius frater

Joannis; ſed *Jacobus* Alphæi, qui minor dicitur, cognatus Domini, atque ideò Hebræorum more *frater*, quamquàm & *frater* dicatur præ aliis, quòd Chriſto ſimillimus fuerit. Hic primus Hieroſolymorum Epiſcopus, qui canonicam Epiſtolam ſcripſit: ex *Gaig*. Ne quis putet quamvis non à *Petro*, tamen ab alio quopiam Apoſtolorum Chriſti inſtitutum fuiſſe *Paulum* ad evangelizandum, hoc quoque removet; negans ſe quemquam alium ex Apoſtolis vidiſſe, niſi *Jacobum fratrem Domini*: atque hunc vidiſſe tantùm, non ab eo edoctum. Ubi ſciendum Apoſtolum loqui de eo tempore, quo poſt tres annos ſupradictos Jeroſolymam reverſus eſt, ut ſupplendum ſit, *& tunc alium Apoſtolorum neminem vidi*. Nam poſteà plures ex Apoſtolis eum vidiſſe, tum ex Actis Apoſtolorum, tum ex proximo capite hujus Epiſtolæ manifeſtum eſt: verùm id longè poſt eà nempe poſt annos 14.

℣. 20. *Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior.*

Quia ſingula quæ dixerat probare non poterat, aut teſtibus aut certâ ratione; ne conficta putarentur, juramento confirmat: q.d. Deum ut præſentem & omnia videntem teſtem adduco, quòd nihil horum confixerim.

℣. 21. *Deinde veni in partes Syriæ, & Ciliciæ.*

Id eſt, poſt 15. dies quibus manſi Jeroſolymæ, reliqui Judæam ac diſceſſi in regiones *Syriæ & Ciliciæ*.

℣. 22. *Eram autem ignotus facie Eccleſiis Judææ, quæ erant in Chriſto:*

Tam breve tempus ſe in Judæa fuiſſe ait, ut etiam vultu credentibus eſſet *ignotus*. Ex hoc etiam oſtendit, non *Petrum*, non *Jacobum*, non

Joannem ſe habuiſſe doctores; ſed Chriſtum qui ſibi Evangelium revelaſſet, ait *Hieron.*

℣. 23. *Tantùm autem auditum habebant: Quoniam, qui perſequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat:*

Id eſt, tantùm auditu & famâ cognoverant: rumor hujuſmodi ferebatur ad eos à dicentibus. *Quoniam*, &c. Vaſtabat autem fidem, quia Chriſti fidelibus fidem extinguere perſequendo tentabat.

℣. 24. *Et in me clarificabant Deum.*

Quidquid enim *in me* agebatur, gratiæ Dei erat; *in me* vel propter me *glorificabant Deum*, non hunc aut illum præceptorem, ſiquidem mihi revelaverat & me docuerat prædicationem: ſic *Act.* 11. ℣. 18. ex *Oecum.*

CAPUT II.

Aperit quare cum Apoſtolis Evangelium ſuum contulerit, & Petrum exemplo cogentem Gentes judaïzare reprehenderit. Non juſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem Jeſu Chriſti.

℣. 1. *Deinde poſt annos quatuordecim, iterùm aſcendi Jeroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito.*

PAulus poſt converſionem quinquies aſcendit *Jeroſolymam*, *Act.* c. 9. iterùm *cap.* 12. item c. 15. deinde *cap.* 18. licèt ibi expreſsè non dicatur, ſatis tamen probatur partim ex Græco codice, partim ex *verſ.* 20. 21. 22. poſtremò *Act.* c. 21. Fuit autem ex *Baron.* an-

Dom. 51. hæc tertia profectio. Porrò 14. *annos* dicit, vel à triennio poſt ſuam converſionem quando Petrum Jeroſolymis vidit, ùt jam ſint 17. anni, ùt putat *Hieron.* Vel meliùs 14. ab ipſa converſione, ex *Beda* & *S. Thom.* *Aſcendi autem cum Barnaba & Tito*, quia hos habebat ſocios & teſtes ſuæ prædicationis, licèt frementibus adverſus *Paulum* fratribus, qui circumciſionem neceſſariam prædicabant.

℣. 2. *Aſcendi autem ſecundùm revelationem: & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe: ne fortè in vacuum currerem, aut cucurriſſem.*

Id eſt, monitus revelatione divinâ, non ea generali de Evangelio ac Gentium vocatione, de qua *c. præced.* ℣. 12.; ſed ſpeciali, quâ juſſus fuit ob controverſiam jam excitatam petere Jeroſolymam. *Evangelium* (inquit) *meum cum illis contuli*, cum iis qui erant in pretio ac magni nominis, ſeu qui erant aliquid, & principibus, (Petrum, Jacobum & Joannem intelligit) non ùt diſcerem quod priùs neſciebam, aut quaſi cauſæ meæ parùm fiderem, ſed ne ſinè fructu prædicarem Evangelium, aut hactenùs prædicaſſem, dum ſcilicet à falſis fratribus paſſim traducor apud eos, quibus hactenùs prædicavi & quibus adhuc prædico, tanquam diverſam & diſſonantem à cæteris doctrinam evulgans. *Curſum ſuum* vocat opus Evangelicæ prædicationis, quòd in eo obeundo magna cum alacritate verſaretur, ùt 1. *Cor.* 9. ℣. 26. Oſtendit autem hic locus, quàm ſit neceſſarium, doctrinam etiam bonam & divinitùs acceptam communicari cum iis qui præſunt Eccleſiæ, ut ab illis examinata & probata cum fructu prædicari & cum ſecuritate & certitudine poſſit à fidelibus

ſuſcipi: ex *Hier. Ep.* 89. *ad Aug. cap.* 2. & *Aug. lib.* 28. *cont. Fauſt. cap.* 4. & *l.* 2. *qq. Evang. cap.* 40. Publicè autem ſic contulit, ut oſtenderet Gentes non debere circumcidi & ſervare legem Moyſi, unde nata erat quæſtio, ùt *Act.* 15. Privato autem & ſecreto colloquio cum Apoſtolis habito placuit ipſos quoque Judæos ab obſervantia legis Moſaïcæ, utpote jam extinctæ & mortuæ per Chriſtum eſſe liberandos, quod publicè declarari nondum oportebat, ne Judæi fideles, qui legem Moſaïcam mordicùs ſibi retinendam putabant, offenderentur atque à fide Chriſti reſilirent, ùt *Act.* 21.

℣. 3. *Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm eſſet Gentilis, compulſus eſt circumcidi:*

Arguebant levitatis *Paulum*, quòd modò circumciſionem commendaret, modò tolleret; contra quos oſtendit nullâ ſe ratione adduci potuiſſe, ut *Titum* Gentilem circumcideret: non eſt, inquit, *compulſus circumcidi*. Quòd ſi Apoſtoli, cum quibus contulit quod in Gentibus prædicabat, ſenſiſſent obſervationem Moſaïcæ legis neceſſariam eſſe Chriſtianis, utique *Titum* Gentilem, quem ſecum aſſumpſerat, juſſiſſent circumcidi, præſertim inſtantibus Judæis, ut id fieret; atqui factum id non eſt.

℣. 4. *Sed propter ſubintroductos falſos fratres, qui ſubintroïerunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigerent.*

Sed, ſuperfluum eſt ex *Hieron.*, tractimque legendum: *Non eſt compulſus circumcidi propter falſos fratres*, id eſt, quamvis plerique ad circumcidendum *Titum* me compellerent: licèt

id ſinè ulla ſpe in circumciſionem facere poſſent, quod in *Timotheo* factum legimus: adduci tamen non potuit *Paulus ob falſos fratres*, qui ſuo exemplo cæteros ad circumciſionem impuliſſent, & rurſum ſub legis jugum redegiſſent, quibus ne ad tempus quidem cedere voluerit. Vel *Sed* ſumitur pro *per*, & ſenſus eſt; ſed neque *Titus* compulſus eſt circumcidi etiam *per falſos fratres*; id eſt quamquam falſi fratres urgerent, ut Gentiles Chriſto adſcripti circumciderentur, *Act.* 15. ex *Gaig. Super introductos*, ſive *ſubinductitios*, aut *ſuperinductitios*, ut eſt apud *Tertul.* l.5. *cont. Marc.* c. 3. eos intelligit Apoſtolus, qui cùm laterent quales eſſent, obiter ac furtim exploratorum more fuerant introducti, aut ingreſſi in Eccleſiam, ut de hæreticis in ſua Epiſt. loquitur *Judas*, quòd ſolo nomine *fratres*, id eſt, Chriſtiani eſſent, reipſa verò hoſtes inteſtini, quorum anteſignanus Cerinthus, ex *Epiph. hæreſ.* 28. *Libertatem* intelligit, quâ fideles à jugo legis ceremonialis erant liberi, *quam habemus in Chriſto*, hoc eſt in Chriſtianiſmo, vel per Chriſtum ejuſque meritum, ut eâ libertate exploratâ & cognitâ nobis eam extorquerent, aut nos accuſarent, noſque unâ ſecum ſervituti legis ſubjicerent. Id enim exploratoris eſt ad hoc cognoſcere velle, ut accuſes, auferas aut expugnes. Vel qui ſe ingeſſerunt in conventum Jeroſolymitanum exploraturi, utrùm nos etiam apud Apoſtolos legis ceremonias non obſervaremus, ac ne apud eos quidem *Titum* circumcidi pateremur, (hanc enim ſuam & eorum qui ſecum erant, libertatem vocat:) Ut ſi fortè comperiſſent nos metu Apoſtolorum circumcidiſſe *Titum*, eo exemplo & præſcriptione traderent nos in ſervitutem legis; aut ſi id non feciſſemus, accuſarent nos apud Apoſtolos, & eorum authoritate tentarent cogere nos ad legem ſervandam: ex *Eſtio*.

℣. 5. *Quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos:*

Quidam legunt, *quibus ad horam ceſſimus*, ut *Tertul. l. 5. cont. Marc. c.* 3., ut ſenſus ſit. *Titum* non fuiſſe compulſum circumcidi, tanquam è contrario ſubjungat, *ſed propter ſubingreſſos fratres, qui, &c. ad horam ceſſimus ſubjectione*, id eſt, metu ſeditionis, quam parati erant adversùm nos commovere: *ad horam*, id eſt, pro tempore ſubjicimus nos legi, ſive permittendo tandem ut *Titus* circumcideretur, ſive aliàs ad vitandam Judæorum offenſionem circumcidendo Timotheum, *Act.* 16. & tondendo mihi in Cenchreis caput ex voto, *Act.* 18. & ex *Jacobi* conſilio ſecundùm legem me purificando, *Act.* 21. ex *S. Thom.* Meliùs tamen eſt lectio negativa, ut ſenſus totius loci ſit. Sed neque *Titus* comes meus, cùm Gentilis & incircumciſus eſſet, ac mecum inter Apoſtolos verſaretur, compulſus aut juſſus eſt circumcidi, *propter ſubintroductos* autem *falſos fratres qui ſubintroïerant*, &c. vehementer urgebamur: id eſt, quamquam propter illos urgeremur ut *Titum* pateremur circumcidi, quibus tamen tantoperè inſtantibus nec ad tempus quidem *ceſſimus*, ſubjiciendo nos eorum voluntati aut tradendo nos in ſubjectionem & ſervitutem legis: idque *ut veritas* & ſinceritas *Evangelii*, quæ docet legem abrogatam eſſe per Chriſtum, noſque per gratiam & non per legem ſalvari; apud vos Galatas ac cæteros Gentiles *permaneat*, apud quos utique non permaneret, ſi meo exemplo fidelibus author eſſem judaïzandi.

℣. 6. *Ab iis autem, qui videbantur eſſe aliquid, (quales aliquando fuerint, nihil meâ intereſt. Deus perſonam hominis non accipit) mihi enim qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt.*

Ab iis qui magni eſſe *videbantur*, nempe Petro & cæteris: *quales aliquando fuerint*, ſive Deo placeant, ſive non; eo quòd circumciſionem permittant: *nihil* (inquit) *meâ refert*; ſcio enim quòd quiſque Deo rationem reddet, & Deus nequaquam eos verebitur, quamquam Coryphæi ſint: nam *perſonam hominis Deus non accipit*; Non detegit *Paulus* quòd diſpenſatoriè circumciſionem concederent, ſed alio modo aſtutè tractat ſermonem, tanquam bellum cum *Petro* ac cæteris ſuſciperet; quia Deo (inquit) rationem dabunt: hoc autem dicit propter iſtorum imbecillitatem: nam diſceſſiſſent ab ipſis fideles ex Judæis qui circumciſione gaudebant, eo quòd non in veritate ſuſciperent circumciſionem, ſed diſpenſatione quâdam & condeſcenſione, ùt ait *Oecum. Quales aliquando fuerint*, oſtendit ipſos quoque jam ceſſaſſe, ne diſpenſativè circumciſionem ampliùs concederent. Neque enim dicit quales ſint, ſed *quales aliquando fuerint*: Vel ante Apoſtolatum, vel ante acceptum Spiritum Sanctum, ait *Oecum.* quales fuerint nolo diſcutere. Vel qui nunc ſunt in pretio, fuerunt aliquando abjecti, illiterati, piſcatores: Ego contrà doctus in lege, clarus inter Judæos, ſed hæc non commemoro: non enim refert qualis quis fuerit, ſed qualis ſit. q. d. Deus in eligendis ad Apoſtolatum hominibus nullam prioris vitæ eorum rationem habet, nec conſiderat quales fuerint, ſed elegit *quos voluit Marc.* 3. ℣. 13.; tam potens ex perſecutore quàm ex piſcatore facere prædicatores, &c.

Apoſtolos. Mihi in illa communicatione quam de Evangelio meo cum præcipuis Apoſtolis habui, *nihil illi contulerunt*, nihil ab eis accepi, nihil didici, nihil per eam collationem mihi acceſſit: ſic *Chryſ.*

℣. 7. *Sed econtra cùm vidiſſent quòd creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis:*

Non ſolùm, inquit, nihil correxerunt in mea prædicatione, *ſed contrà* etiam laudaverunt. Eſt autem litteræ ordinatio hujuſmodi: imò contra cùm *vidiſſent concreditum* mihi fuiſſe *Evangelium præputii*, & poſt multa ſuo tenori redditur oratio, *dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis*. Hoc igitur tantùm abfuit ut corrigeretur in eo prædicatio, ut etiam dextras ſocietatis acciperent, quod indicium erat me eorum prædicationem ſuſcipere. *Evangelium præputii*, hoc eſt gentium præputiatarum: ita *Oecum.* & *Chryſ.* Non ſentit Apoſtolus *Petrum* ſolius circumciſionis fuiſſe Apoſtolum, ac multò minùs circumciſionis fuiſſe paſtorem atque Epiſcopum, cùm ex *Act.* 9. conſtet *Petrum* etiam Gentibus Evangelium prædicaſſe, quomodo viciſſim *Paulus* non ſolùm Gentibus, ſed & Judæis prædicavit, ùt ex iiſdem *Actis* & epiſtolis conſtat; ſed ſignificat Dei mittentis voluntatem fuiſſe, ut præcipuè Gentibus ipſe, *Petrus* autem Judæis Evangelium prædicaret: ſic *Hieron.*

℣. 8. (*Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes*)

Verbum Græcum efficacem in aliquo operationem ſignificat. Nam qui efficax fuit *Petro ad Apoſtolatum circumciſionis*, efficax fuit & in me erga Gentes, ùt legit *Oecum.* Efficaciam hanc

prædicationis tria potiſſimùm declarabant, miracula prædicantium, chariſmata Spiritûs ſancti diffuſa in credentes, & credentium multitudo. Eſt igitur argumentum ab effectu ſeu fructu miniſterii, quem præcipuum *Petrus*, operante Deo, fecit apud Judæos, *Paulus inter Gentes.* q.d. In nullo ſum inferior: ex *Hier.*

℣. 9. *Et cùm cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis: ut nos in Gentes, ipſi autem in circumciſionem:*

Datæ ſibi gratiæ teſtes producit *Petrum* & eos qui cum ipſo erant. *Qui* erant, inquit, *columnæ fidei*, & omnibus *eſſe videbantur*, *dextras dederunt*; id eſt, nos aſciverunt in ſocios & coapoſtolos, *ut nos in Gentes*, ſubaudi prædicatum iremus, *ipſi autem in circumciſionem*, id eſt, Gentem Judaïcam prædicatum irent: ita *Oecum. & Gaig.* Porrò *Jacobum* primo loco nominat ad honorem Domini, cujus erat frater, & quia Jeroſolymorum erat Epiſcopus, ubi hæc gerebantur; idemque maximi. Sunt qui *Cepham* hunc à *Paulo* reprehenſum dicunt non Apoſtolorum, ſed ex 70. Chriſti diſcipulis unum fuiſſe, ùt *Euſeb. l.* 1. *Hiſt. Eccl.* c. 12. & *Oecum.* quod refellit *Hier.* & *Greg. hom.* 18. *in Ezech.*

℣. 10. *Tantùm ut pauperum memores eſſemus, quod etiam ſolicitus fui hoc ipſum facere.*

Prædicatione (inquit) diviſi pauperes habemus indiviſos. Hi verò pauperes erant, qui à ſuis contribulibus incredulis bonorum direptionem propter fidem in Chriſtum paſſi erant ùt notat *Oecum.* Vel quia venditis poſſeſſioni-

bus ac pretio ad pedes Apoſtolorum poſito, ſicut *in Actis Lucas* memorat *cap.* 11. 12., paulatim ac tempore procedente egere cœperunt: ut neceſſe habuerint aliorum fidelium, qui in aliis mundi partibus habitantes ſua non reliquerunt, eleëmoſynis ſuſtentari: ex *Hieron.* & *Chryſoſt.*

℣. 11. *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam: in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.*

Ad hujus loci cognitionem notandum eſt, quòd cùm Antiochiæ *Petrus* ageret, promiſcuè cum Gentibus quibuſlibet cibis veſcebatur; hæc illo agente, ſupervenere ab Jeroſolymis ex Judæis Chriſtiani nondum planè Moyſen dedocti, qui Gentium conſortia ferrent iniquiùs, neque ferebat eorum infirmitas caſtigari duriùs: ſenſim enim erant ab illa ſuperſtitione avocandi: Hi cùm futurum eſſet ut promiſcuâ *Petri* cum Gentibus heſitatione offenderentur, Genti ſuæ conſultum volens, à Gentilium menſa ſe ſubtrahebat: unde contigit offendi Gentes ſuſpicantes ſe à *Petro* velut impuras contemni, ac certis cibis, velut in lege abſtinendum eſſe: quinimò plerique ex Judæis ad fidem converſi & inter eos *Barnabas* ex illo *Petri* facto nutare cœperunt. *Paulus* autem utrique populo cautum volens, *Petro in faciem reſtitit*, ut videntes Judæi *Petrum* palam objurgari, nec repugnari, nec repugnare, intelligerent vel ex ipſo ſilentio nihil jam eſſe immundum, ſimiliter & Gentes: ita *Gaig*. An autem hoc loco peccaverit *Petrus*, multa fuit intra *Auguſtinum* & *Hieronymum* digladiatio, *Auguſtino* aſſerente quòd peccarit per imprudentem diſſimulationem; *Hieronymo* autem cum Græcis ſentiente *Petrum* non peccaſſe, ſed de induſtria ſic inter

Petrum & Paulum conveniſſe, ut ex reprehenſione *Petri* captatâ occaſione utrumque populum à ceremoniis illis avocaret. *In faciem*, vult ut idem ſit quod ſpecie externâ & per ſimulationem: ſic *Chryſ.* ùt 2. *Cor.* c. 5. ℣. 12. & c. 10. ℣. 7. Alii *in faciem*, idem eſſe volunt quod coram & in præſentia reſiſtere, ùt *Act.* 25. ℣. 16. *Reprehenſibilis erat* utique ab Evangelica veritate, cui hoc factum adverſabatur. Vel *reprehenſus* non à me, ſed utique ab aliis, ùt legit *Chryſ.* Vide *Eſtium.*

℣. 12. ***Priùs enim quàm venirent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat: cùm autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe timens eos, qui ex circumciſione erant.***

Exponit cauſam ob quam reprehenſibilem dixerat *Petrum*, ita ut in facie reſiſtendum ei fuerit. Nam *priuſquam*, inquit, Hieroſolymis Antiochiam *veniſſent quidam à Jacobo*, ſive miſſi, ſive ſponte profecti, haud dubium quin hi fuerint Judæi legis æmulatores (etenim Jacobus Jeroſolymorum Epiſcopus erat, & propter Judæos ipſe etiam legem ſervabat) *cùm Gentibus edebat* Petrus, ſinè diſcrimine cibis utens communibus lege neglectâ. Quo ſanè facto ſuo palàm jactabatur legis obſervationem non eſſe Gentibus neceſſariam, quando nec ipſe qui Judæus erat, legem apud eos ſervaret. Facit autem hujus loci commemoratio plurimùm pro *Pauli* doctrina, dum oſtendit *Petrum* Apoſtolorum principem legis obſervationem neglexiſſe, & non niſi timore Judæorum ad eam obſervandam adductum fuiſſe: non quia ſibi periculum ab illis metueret, qui jam didicerat nec mortem pro Chriſto timere: ſed quòd timeret ne Judæi facto ſuo offenſi, legis æmu-

latione novas turbas excitarent, quibus curſus Evangelii impediretur. Vel *eos* pro *eis*, poſitum. Ne ſcilicet ſuo facto offenſi, à fide reſilirent, aut certè ſcandalum aliquod ex ſuo cum Gentilibus convictu paterentur, videntes Apoſtolum ſuum aliud in Judæa agere, aliud inter Gentiles: ſic Græci.

℣. 13. *Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem.*

Judæos intelligit, qui cum *Petro* erant, non qui à *Jacobo* venerant. Verè autem & non ſimulatè, ùt putavit *Hieronymus*, *Paulus* & cæteri Judæi Chriſtiani legem ſervabant, ſive eam putarent obſervatu neceſſariam, ùt qui venerant à *Jacobo*; ſive non, ùt *Petrus* & fratres qui cum eo erant. Simulabant autem hi unà cum *Petro*, quia ſubtrahendo ſe à menſa Gentilium, legem ſervabant perindè ùt alii Judæi, licèt non eodem animo. Eò autem res, inquit, progreſſa eſt, ut etiam *Barnabas* collega meus in Apoſtolatu Gentium, idemque me ſenior, illorum exemplo, maximè *Petri*, *duceretur in* eandem cum illis *ſimulationem*, quâ ſcilicet à Gentilium convictu ſeſe ſubtraheret. Unde fiebat, ut erroris malum à tantis viris, altero circumciſionis, altero Gentium Apoſtolo, tractum latiùs inter utriuſque populi fideles ſerperet: ex *Eſtio*.

℣. 14. *Sed cùm vidiſſem quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: ſi tu, cùm Judæus ſis, gentiliter vivis, & non Judaicè: quomodo Gentes cogis Judaïzare?*

Non rectè ambularent, id eſt, non recto pede incederent: non quòd aberrarent, quaſi putarent

rent legem Moyſi neceſſariò ſervandam, ſed quòd claudicarent & inconſtanter & variè ſeſe gererent apud Gentiles modò cum illis edentes, modò ſeſe ſubtrahentes. Unde non eſt quòd hæreticus ex his verbis calumniam inferat *Petro*, tanquam is in dogmate fidei, vel erraverit opinione vel aliquo modo vacillaverit; tantùm enim imprudentiâ facti peccavit, quia ſimulatione ſuâ præbuit noxii erroris occaſionem Gentilibus, ut exiſtimarent eum neceſſariam adhuc credere legis obſervationem, & proinde ſibi etiam tanti Apoſtoli exemplo legem eſſe ſervandam. Nihil etiam à *Paulo* fuit peccatum adverſùs ordinem fraternæ correptionis in eo quòd publicè *Petrum* objurgavit abſque prævia privata admonitione. Nam neceſſitas publica ita fieri poſtulabat, ut omnes illius objurgatione ſanarentur, ait *Aug.* Solum autem *Petrum* alloquitur, eo quòd is ſuo exemplo *Barnabæ* & comitibus author fuiſſet ſimulationis; quòdque eo correcto, cujus erat apud omnes ſumma authoritas, aliorum correctio facilè ſecutura eſſet. Sic autem corripit; *Si tu, Petre,* (inquit) qui Judæus es, ex Judæis natus, poſtquam didiciſti legem morte Chriſti abolitam eſſe, non ampliùs eam ſervas, ſed negligis, quaſi ea ad te non pertineret (quod eſt *gentiliter & non Judaïcè* vivere) quid eſt quòd nunc hâc tuâ ſimulatione, tuoque exemplo etiam *Gentes*, quæ ſunt extra legis profeſſionem, *cogis Judaïcè vivere*, id eſt, legem Judaïcam obſervare? q.d. Quæ ratio eſt ut tu Gentiles ad Judaïſmum provoces, qui Judæus cum ſis, Judaïſmo renunciaſti? Sic *Eſtius*.

℣. 15. *Nos naturâ Judæi, & non ex Gentibus peccatores.*

Hoc quod ait *nos*, in ſua & Petri perſonâ

dicit: tametſi poſſint & utriuſque comites Judæi comprehendi, in quibus & *Barnabas*. *Naturâ Judæi*, id eſt, à nativitate; non ùt proſelyti, qui ex Gentibus in Judaïſmum coaptabantur. Quod addit *& non ex Gentibus peccatores*: tale eſt. Et non ex populo Gentium, quibus lex data non fuit, nati *peccatores*, id eſt, carentes regulâ divinæ legis & per hoc abeuntes in omne peccatum præcipites. Putat *Aug.*, Paulum hìc ex Judæorum conſuetudine Gentes appellare peccatores; quod nomen, inquit, Gentibus impoſuerunt Judæi ex vetuſta quadam ſuperbia, tamquam ipſi juſti eſſent. Hæc ad *Petrum* & ad Galatas diriguntur.

℣. 16. *Scientes autem quòd non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.*

Græci non legunt *autem*, ut hæc pars cum præcedenti conjungatur. Per *opera legis* intelligit tam moralia, quàm ceremonialia, ùt *Rom.* 3. à quibus removet juſtitiam. Juſtificatur autem homo *per fidem Chriſti*, quatenùs per eam Chriſtum redemptorem agnoſcens, ex ejus merito remiſſionem peccatorum, atque juſtitiam expectat à Deo, & percipit. *Et nos*, inquit, tametſi nati ſub lege, *credimus in Chriſtum Jeſum*, ſcilicet ut per ejus fidem juſtificemur, & non per legis ceremonias, circumciſionem, aut quæcumque opera ſolo legis adminiculo facta. Non enim credimus in Chriſtum, ut ex lege juſtificemur, ſed ut ex ipſa fide Chriſti: ex

Hieron.

℣. 17. *Quod ſi quærentes juſtificari in Chriſto, inventi ſumus & ipſi peccatores, numquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit.*

Id eſt, *quod ſi nos*, hoc eſt, ego *Paulus* & tu *Petre*, dum quærimus juſtitiam ex fide Chriſti (quod nobis fundamentum eſt & ratio negligendæ legis) propter hoc invenimur & deprehendimur *etiam ipſi peccatores*; tales enim à Judaïzantibus judicamur, quaſi ſimiles Gentilibus, qui quòd ſinè lege vivant, peccatores vocantur, ut ſuprà v. 15. Num ergo fatebimur *Chriſtum peccati miniſtrum* & procuratorem eſſe, qui fideles ſuos avocet à lege prohibente & puniente peccatum? Vel ſi quærimus juſtitiam ex Chriſto, ergo non eam habuimus ex lege; & proinde manſimus peccatores, donec ad Chriſtum veniremus; qui non peccati, ſed juſtitiæ miniſter eſt: ex *Hier.*

℣. 18. *Si enim quæ deſtruxi, iterùm hæc ædifico; prævaricatorem me conſtituo.*

Deſtruximus (inquit) legem eâ relictâ ad Chriſtum currendo. Si ergo rurſum eam erigere conamur, eo ipſo tranſgreſſores ſumus, quòd à nobis ſoluta rurſus firmare nitimur: Vel planè aſtruo & confirmo me *prævaricatorem* legis tamdiu fuiſſe, quamdiu eam poſthabui: ſic *Chryſ.*

℣. 19. *Ego enim per legem, legi mortuus ſum, ut Deo vivam: Chriſto confixus ſum cruci.*

Ego (inquit) legi obtemperando conſtitui meipſum *legi mortuum.* Si quidem lex mihi Chriſtum præſignavit, & illi quidem *mortuus*

ſum, quia juxta illam jam non converſor, Chriſti verò dogmata ſequor: Vel per legem Evangelicam *mortuus ſum* legi Moyſi. Quomodo igitur mortificatus, ac perinde me ad illam habens quaſi ejus nulla ſit utilitas, ſervabo ipſam? Vel per ipſam legem ac graves obſervationes eorum quæ in ipſa continebantur, *mortuus ſum* peccato per ipſam. Num igitur æquum eſt ſervare eam quæ interimit? *Ut Deo vivam*, nempe per veram juſtitiam, quæ nova vita eſt, vel per æternam vitam: unà cum *Chriſto confixus ſum cruci*, per baptiſmum: lex igitur quod in ſe erat, occidit; Chriſtus autem vivificavit, quomodo ergo ſervabo legem? ait *Oecum.*

℣. 20. *Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Quòd autem nunc vivo in carne: in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

Per baptiſmum Chriſto commortuus *vivo* nunc per veram juſtitiam, *vivo* (inquam) *non ego*, id eſt, non vetus ille homo, qualis eram; *vel vivo non ego*, hoc eſt; quòd jam vivo vitâ juſtitiæ, ex meipſo non habeo, *ſed vivit in me Chriſtus*, id eſt, Chriſtus qui à morte reſurrexit ad vitam, mihi totius vitæ meæ ſpiritualis, hoc eſt, omnis juſtitiæ author eſt: totum quod vivo, illi debeo, qui in me vivit, & efficax eſt per gratiam ſuam, ùt *Rom.* 6. ℣. 11. *Matth.* 10. ℣. 20. Ex quo notandum opera juſtorum, non tam ipſorum eſſe, quàm Spiritûs Chriſti mentes eorum inhabitantis: unde nec mirum quòd digna ſint æternæ vitæ, ex *Eſtio*. *Vivere in carne*; hoc loco non eſt ſecundùm carnem vivere, ùt *Rom.* 8. ℣. 5. & 8. Sed idem eſt quod vivere mortali hâc vitâ, ùt *Phil.* 1. ℣. 22. Unde 2. *Cor.* 10. utrumque diſtinguens ait: *In carne ambulantes, non ſecundùm carnem militamus.*

Itaque ſenſus eſt, quòd in carne hac mortali variis tentationibus obnoxia juſtè vivo, non legi acceptum fero, ſed fidei quam habeo in Chriſtum filium Dei, qui me ſervum peccati, & preſſum onere legis, per quam à peccato liberari non poteram, nihil tale merentem dilexit: non divinâ tantùm dilectione ab æterno quâ Deus eſt, ſed etiam humano affectu, quatenùs homo. Et quod argumentum eſt excellentiſſimæ dilectionis, *ſemetipſum* in mortem *tradidit*, ut me à morte redimeret ac vitæ reſtitueret: ut tantam oporteat unumquemque gratiam reddere Chriſto, quantam ſi pro ipſo ſolo mortuus eſſet, exhiberet, ex *Theoph.* Nam de ſe loquens vult idem intelligi de quolibet juſto, ait *Chryſ.*

℣. 21. *Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem juſtitia, ergò gratìs Chriſtus mortuus eſt.*

Non abjicio, ſed econtrà *gratiam Dei* apprehendo tanquam juſtificantem. *Si enim per legem juſtitia* eſt, id eſt, ſi ſufficiebat ad juſtificationem legis obſervatio, *Chriſtus gratis*, id eſt, fruſtrà *mortuus eſt*; neque opus erat eum de cœlo avocari, & in terris mori pro noſtra juſtificatione, ait *Gaig.*

CAPUT III.

Juſtitia non ex lege, ſed ex promiſſione & fide; lex pædagogus fuit ducens ad Chriſtum.

℣. 1. *O Inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jeſus Chriſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus?*

STultos vocat, verè enim ſtultum eſt à Chriſto diſcedere, & legi adhærere ſtudio corrigendi, non conviciandi, ùt *Luc.* 24. ℣. 25. *Quis vos* impedivit *veritati non obedire*? ex *Hier.*, non acquieſcere, non credere. q. d. Quis ita menti veſtræ, velut præſtigiator, falſis perſuaſionibus illudere potuit, ut veritatem ante oculos poſitam, & paulò ante cognitam atque receptam jam non videretis, ſed pro ea aliud Evangelium, quod non eſt aliud, amplecteremini? Vel quis ita fœlicitati veſtræ, tanquam faſcinator invidit, ut oculos mentis, quibus nuper Chriſtum fide cognitum recepiſtis, malevolo aſpectu atque inſpiratione Judaïci erroris inficeret, voſque ſalutaris doctrinæ cibum ſtomacho nauſeante revomere cogeret? Sic *Hier.*, qui non *proſcriptus* ſed *præſcriptus* legit ex Græco, id eſt, ante-ſcriptus; quia olim de ejus paſſione & morte ac cæteris ad eum pertinentibus multa, à Galatis perlecta, ſcripſerint Prophetæ. Vel ùt Græci. *Quis vos* Galatas *faſcinavit*? Quibus per meam prædicationem palam velut in

tabula depictus eſt, & ut apertè cognoſci poſſet, propoſitus eſt Chriſtus, perinde ac ſi apud vos eſſet crucifixus; ut non minùs, imò magis ac certiùs illum crucifixum fidei oculis aſpéxeritis, quàm multi eorum; qui coram viderunt eum crucifigi? Vel *crucifixus in vobis*, hoc eſt, multa paſſus in vobis: nam etſi jam *Chriſtus* ſit impaſſibilis; patitur tamen in membris, ut *Col.* I. ℣. 24. ſic dixit Petro: *Vado Romam iterùm crucifigi.* Ex *Cajet.* Vel *in vobis crucifixus*, per virtutem, quà paſſionis ejus virtutem in vobis experti eſtis per dona Spiritûs ſancti quæ in vos effuſa ſunt: ita *Arias.*

℣. 2. *Hoc ſolùm à vobis volo diſcere: ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?*

Quærit *Paulus* unde ſpiritum ſanctum accepiſtis, dona operandi miracula, & variis linguis loquendi? Num *ex operibus legis*? Quod dici nequit, quia ſpiritum accepiſtis antequam ad legem Moſaïcam vos converteretis. An verò quod reſtat, & negare non poteſtis, *ex fide* Chriſti, quam auditâ prædicatione meâ ſuſcepiſtis? Hinc colligit ſtultè egiſſe qui à fide Chriſti ad legem Moyſi tranſire voluerint: ex *Chryſ.*

℣. 3. *Sic ſtulti eſtis, ut cùm ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini?*

Id eſt, ſic inſipientes eſtis, ut cùm fides veſtra à ſpiritualibus donis & gratiis cœperit, nunc carnalibus ceremoniis, legeque carnali conſummari & perfici vos poſſe putetis? Lex ceremonialis *caro* ſeu carnalis vocatur, quia tantùm valebat ad juſtitiam & emundationem carnis, ut *Heb.* 9.; vel quia carnalem populum cui data fuit, ad ſpiritum elevare non potuit, ſed in carne reliquit: Spiritum verò vocat ſpiritualem gratiam: ex *Theodoro.*

℣. 4. *Tanta paſſi eſtis ſinè cauſa? Si tamen ſinè cauſa.*

℣. 5. *Qui ergò tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei?*

Id eſt, *tantùmne* afflictionum Chriſti gratiâ pertuliſtis fruſtrà? Quod utique futurum erat, ſi à gratia Chriſti ad legem Moyſis, id eſt, à ſpiritu ad carnem prolaberentur. Verùm ùt Græci aiunt, ne in deſperationem eos injiciat, ſubdit, correctione quâdam rhetoricâ, *ſi tamen ſinè cauſa.* q. d. Sed ſpero meliora: nam confido vos redituros à lege ad gratiam, ut non fruſtrà tot & tanta paſſi fueritis. *Qui ergo* dat *vobis Spiritum* ſanctum, vel dona ipſius: & *operatur*, Græcè cum efficacia *in vobis virtutes*, id eſt, vim edendi miracula, *ex operibus legis* ſubintellige id facit, an *ex auditu fidei*? An quia fidem Chriſti receperatis? Prius dici non poteſt, quia lex erat vobis tunc incognita. Reſtat igitur ut tantorum beneficiorum in vobis cauſam agnoſcatis fidem gratiæ Chriſti, à qua proinde ad legem transferre minimè debuiſtis: ex *Eſtio.*

℣. 6. *Sicut ſcriptum eſt: Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.*

Supplendum eſt *utique ex auditu fidei*, *ſicut ſcriptum eſt: Abraham credidit:* Vel ex operibus id fecit, an non magis ex auditu fidei? *Sicut ſcriptum eſt*, adjectitium eſſe Græca & Syra exemplaria monſtrant. Non ergo Scripturæ teſtimonium allegat Apoſtolus, ſed exemplum ſolum adducit, in quo tamen Scripturæ verbis utitur, quæ ſunt *Gen.* 15. q.d. Sic Deus vobis ſpiritum ſubminiſtrat, & virtutes ope-

ratur ex fide, & non ex operibus legis, ſicut Abrahæ non ex operibus legis obtigit juſtitiá, ſed per fidem quâ credidit Deo etiam antequam eſſet circumciſus, ùt diximus ad *Rom.* 4. Significat autem Apoſtolus chariſmata Spiritûs non ſinè juſtitiæ dono Galatis data fuiſſe. Neque enim in multitudinem aliquam effundebatur ſpiritus quoad chariſmata, niſi ſimul effunderetur quoad juſtitiam, cui chariſmata ſerviebant, tametſi in ſingulis id non oporteat, ùt notat *Eſtius*.

℣. 7. *Cognoſcite ergò quia qui ex fide ſunt, ii ſunt filii Abrahæ.*

Infert ex eo quod adduxerat exemplo Abrahæ cui fides ad juſtitiam fuit imputata, eos qui ex fide juſtificati ſunt aut ex ea juſtitiam & ſalutem expectant, eſſe filios Abrahæ potiùs quàm illos qui juſtitiam ex lege quærunt, eo quòd Abrahæ per imitationem aſſimilentur, ſive Judæi ſive Græci non carnaliter circumciſi: ex *Hieron.*

℣. 8. *Providens autem Scriptura quia ex fide juſtificat Gentes Deus, prænunciavit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes Gentes.*

Scripturæ, pro eo qui nobis per Scripturam loquitur, id eſt, Spiritu ſancto. Ut ſit ſenſus. Quia præviderat ac decreverat Deus juſtificare *Gentes ex fide*, ideò ad hoc ſignificandum in Scriptura narratur jam olim annunciaſſe *Abrahæ*, tanquam omnium credentium patri, ut rem lætiſſimam, quòd *in te*, hoc eſt in ſemine tuo, ſive ratione ſeminis ex te naſcituri benedictionem conſequentur *omnes Gentes*: Judæos etiam comprehendens. Porrò benedictionem non carnalem, ſenſu Judaïco; ſed ſpiritualem

oportet intelligi, quæ conſiſtit in ſanctitate & juſtitia & beatitudine vitæ æternæ, quam accepturi ſunt illi qui audient à Chriſto, *venite benedicti patris mei* : ex *Eſtio*.

℣. 9. *Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.*

Igitur qui ex fide ſunt, id eſt, fideles imitantes fidem Abrahæ. q. d. Abrahæ facta eſt promiſſio, quòd in ipſo *benedicentur omnes Gentes* : At Abraham ipſe per fidem quâ promiſſioni credidit, Deo placuit & benedictionem promeruit ; ergo quicumque ex fide juſtitiam & benedictionem expectant, eam cum Abraham, qui Deo credidit, aſſequuntur : non autem illi qui ſunt ex operibus legis. Non enim circumciſæ ſunt Gentes, ut poſſint ex operibus benedici : ex *Hieron*.

℣. 10. *Quicumque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim : maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in Libro legis ut faciat ea.*

Id eſt, *quicumque* legis operibus hærent, & confidunt, *maledicto ſunt* obnoxii : quia omnia legis opera perficere non poſſunt. *Deuter.* 27. *Maledictus*, id eſt, execrabilis & pœnis à lege comminatis obnoxius ac devotus, qui non perfecerit omnia, ùt *Jac.* 2. ℣. 10. quorum tranſgreſſio mortalis eſſe ſolet : ex *Eſtio*.

℣. 11. *Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt : quia juſtus ex fide vivit.*

Neminem apud Deum juſtificari per legem hoc argumento manifeſtum eſt, quia teſte Prophetâ, *juſtus ex fide vivet*, ùt Græci & Syri legunt, ùt dixi *Rom.* 1. ; quia quòd juſtus eſt

& juſtè operatur & juſtus permanet, habet ex fide in Chriſtum redemptorem, tanquam radice ex qua naſcatur & tanquam fundamento cui innitatur tota ejus juſtitia. Nam Deus ordinavit, non juſtificare niſi credentes in Chriſtum filium ſuum unigenitum, mediatorem ac redemptorem. Vult enim beneficium redemptionis & juſtificationis agnoſci per fidem. Non enim dixit, juſtus ex lege vivet, ſed ex fide, ut notat *Chryſ.*

℣. 12. *Lex autem non eſt ex fide, ſed, qui fecerit ea, vivet in illis.*

Id eſt, opera ex lege facta non poſſunt eſſe opera fidei. Si enim ex lege juſtitia, jam non ex fide, ſed gratis Chriſtus mortuus eſt. *Sed qui fecerit ea, vivet in illis.* Sententia hæc etiam *Rom.* 10. legitur & deſumpta eſt ex *Lev.* 18., tametſi *Hier.*, hujus loci immemor (ait *Eſtius*) eam referat ad *Ezech.* 20. ubi ſimile quid dicitur. Senſus eſt, *qui fecerit ea* quæ lex præcipit, ita ſaltem ut manifeſto opere eam non tranſgrediatur, per ea legis opera ſupplicium mortis evadet & *vivet* vitâ temporali. Vel de vera legis obedientia intelligitur ſic. Lex autem non eſt ex fide, tametſi qui fecerit ea quæ lex præcipit, ex eorum obſervatione vivet vitâ juſtitiæ, veræque ſalutis, quia *factores legis juſtificabuntur. Rom.* 2. Sed ex lege præcepta legis implere & in iis vivere, nemo poteſt; hoc enim non fit niſi per fidem, quia juſtus ex fide vivet. Gratia verò ex fide ſervat ac juſtificat, ait *Chryſ.*

℣. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt: maledictus omnis qui pendet in ligno:*

Nos tam Judæos, quàm Gentiles *Chriſtus redemit* à pœna, quam lex cum execratione

minatur: præſtitit autem id nobis Chriſtus, dum *factus eſt* ipſe *pro nobis maledictum*, id eſt, noſtram in ſe maledictionem ſuſcepit: ſed & peccatum dicitur, quia noſtra in ſe peccata portavit, ut 2. *Cor.* 5. ℣. 6. & *Iſa.* 53. ℣. 21. Si enim maledicti & execrabiles erant Deo, qui pro ſuis ſceleribus ſuſpendebantur in ligno, *Chriſtus* igitur ſicut aſſumendo naturam mortalem venit in ſimilitudinem carnis peccati: ita ſuſpenſus in cruce ſuſtinuit ſimilitudinem maledicti, de quo *Deut.* 21. Dicitur ergo *factus pro nobis maledictum*, quia pro noſtra redemptione ac ſalute crucifixus ſimilitudinem geſſit hominis à Deo maledicti & pro tali reputatus eſt ab hominibus, *& cum ſceleratis reputatus eſt*: Sic pro nobis factus dicitur peccatum, id eſt, ob pœnam peccatoribus ſimilis, & pro tali reputatus: ſic *Hier.* & *Aug.*

℣. 14. *Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu, ut pollicitationem Spiritûs accipiamus per fidem.*

Ut in Gentibus &c. id eſt, ut per Chriſtum Gentes benedictionem ſibi in Abrahamo promiſſam perciperent, ait *Gaig.* Quæ totam hominis renovationem & beatitudinem complectitur, ut per fidem quâ in Chriſtum credimus, acciperemus Spiritum ſanctum nobis promiſſum, hoc eſt, ſpiritum charitatis & adoptionis filiorum Dei, non Spiritum ſervitutis in timore, quem qui ſub lege erant, acceperant. Proinde crux ſuſtulit execrationem, fides invexit juſtitiam, juſtitia verò gratiam Spiritûs allexit, ait *Chryſoſt.*

℣. 15. *Fratres (ſecundùm hominem dico) tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat.*

Vult oſtendere *Paulus* exemplo Abrahæ,

nihil opus eſſe lege ad aſſequendam Chriſti benedictionem. *Fratres*, inquit, *ſecundùm hominem dico*, id eſt, humanâ ratione, humanoque exemplo docere vos, *hominis confirmatum teſtamentum*, id eſt, authoritate corroboratum *nemo ſpernit*, Græcè *rejicit*, irritum facit aut *ſuperordinat*: id eſt, quidpiam illi adjicit, ut *Gaig. ex Theoph.* Abrahæ autem & ſemini ejus factæ ſunt promiſſiones de benedictione Gentium, quod eſt teſtamentum ipſi Abrahæ à Deo confirmatum, & juramento corroboratum, *Gen.* 22. Hominis autem teſtamentum, nemo infirmare poteſt, nec illi quidpiam adjicere: multò minùs ergo *teſtamentum* hoc, id eſt, promiſſio Abrahæ facta irritari poteſt & antiquari, aut illi quidpiam adjici. Lex igitur 430. annos poſt Abrahæ promiſſionem lata, teſtamentum illud, id eſt, promiſſam per Chriſtum benedictionem irritam facere non poteſt, neque abrogare, aut illi quidquam addere: abrogaret autem, ſi ipſâ & circumciſione, non Chriſto & baptiſmo opus eſſet ad illam benedictionem aſſequendam: aut ſi unà cum Chriſto illis opus eſſet, ſuperadderet aliquid ad hoc teſtamentum. Quod ſi in teſtamento hominis fieri non poteſt, quomodo admittimus in teſtamento per Deum facto, & corroborato? ita *Gaig.*

℣. 16. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit: & ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in uno: & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.*

Id eſt, atqui *promiſſiones* voce divinâ *factæ ſunt Abrahæ*; quia ſermo promiſſionis ad eum factus eſt, & quia promiſſum eſt ei: *& ſemini ejus*, & quia ei promiſſum eſt, & quia per illud promiſſiones erant adimplendæ. Dicit *promiſſiones*, quia non ſemel, ſed ſæpiùs facta eſt pro-

miſſio; tametſi res principaliter promiſſa, hoc eſt benedictio Gentium, ſit in omnibus eadem, ùt *Gen.* 12. 13. 15. 17. 22. Hoc poſtremum, *qui eſt Chriſtus*, interpretatio eſt Apoſtoli, quâ promiſſionem illam, & *ſemini tuo*, de Chriſto docet accipiendam. *Et ſemini ejus*, Hebraiſmus eſt, q. d. *De ſemine ejus*. Et *ſemen* in Scripturis aliquando de uno tantùm homine dicitur, ideò *Paulus* interpretatur quòd ex numero ſingulari, *unus*, id eſt, Chriſtus fuerit ſignificatus, ex *S. Thom.* Et in Chriſto omnes Chriſtiani fide imitantes Abraham, hi namque ſunt illud ſemen, cui promiſſio facta eſt: cùm Chriſtus propriè ſit ſemen, per quod promiſſio ſit adimplenda, in quo tamen etiam illi omnes per unam fidem ad ſingularitatem rediguntur, ùt ait *Aug.*

℣. 17. *Hoc autem dico, teſtamentum confirmatum à Deo: quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt Lex, non irritum facit ad evacuandam promiſſionem.*

℣. 18. *Nam ſi ex lege hæreditas, jam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donavit Deus.*

Hoc autem dico, id eſt, iſtud autem ipſum aſſero, quòd *lex* 430. *annos* lata poſt promiſſionem Abrahæ factam *teſtamentum* ſive ex Hebr. & Græco *pactum*, *à Deo* juramento *confirmatum*, *irritum non facit*, id eſt, infirmare illud non poteſt *ad evacuandam promiſſionem*, adeò, ut promiſſio per illud teſtamentum facta aboleatur. *Nam ſi ex lege eſſet hæreditas*, id eſt, ſi per legis obſervationem cœleſtem illam hæreditatem adipiſceremur, *jam non ex promiſſione* eſſet illa hæreditas, id eſt, non in virtute promiſſionis hæreditatem illam adipiſceremur,

Abrahæ autem, & in eo Gentibus *per repromiſſionem donavit Deus* hujuſmodi benedictionem & hæreditatem; non ergo ex lege eſt hæreditas: quia Deus non ex conditione legis, ſed gratuito & irrevocabili dono dandam promiſit hæreditatem: igitur hæreditas, benedictio, juſtitia non eſt ex lege: ex *Gaig*.

℣. 19. *Quid igitur lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per Angelos in manu mediatoris.*

Quid igitur lex, id eſt, quid proderat ſi benedictionem non conferebat? *Propter transgreſſiones poſita eſt*, græcè *appoſita* ſeu *addita eſt*. Additam autem dicit, ne putetur lex promiſſioni ſucceſſiſſe, eamque removiſſe. Igitur manente promiſſione lex adjuncta eſt & ſubinducta, idque *propter tranſgreſſiones*, ſcilicet coërcendas terrore & minis: ut ſaltem metu retraherentur homines à manifeſtis tranſgreſſionibus: ex *Hier.* & *Chryſ.* Vel ut per legem ex occaſione augeretur peccatum, ut *Rom.* c. 3. ℣. 20. c. 4. ℣. 15. c. 5. ℣. 20. c. 7. ℣. 7. 1. *Cor* 15. ℣. 56. & 2. *Cor*. 3. ℣. 6. Ex *Aug. l.* 5. *cont. Fauſt. c.* 8. & *S. Thom.* ut ſic infirmitatis ſuæ convictus ſuperbus animus intelligeret legem ſibi ad juſtitiam non ſufficere, ſed ad eam conſequendam potentiori remedio & auxilio opus eſſe, nempe gratiâ Chriſti. Ideo lex introducta fuit, non ut ſemper duraret, ſed ad tempus, *donec veniret ſemen*, cui promiſſio facta erat, ut in eo benedicerentur omnes Gentes, quod ſemen eſt Chriſtus. *Ordinata*, id eſt, adminiſtrata *per Angelos*, id eſt, Sacerdotes Moyſen & Aaron; ſive ut Græci, verè per ipſos Angelos. *In manu*, id eſt, in virtute & poteſtate Chriſti *mediatoris*. Bene autem per

Chriſtum datam legem aſſeruit, ut oſtendat ejus eſſe illam deſtruere, cujus fuit & conſtruere. Nam Chriſtum Dei & hominem vocat *mediatorem* 1. *Tim*. 2. ℣. 2. populum illum hoc modo præparantem in ſuum adventum: ſic *Aug*. Alii Moyſen intelligunt, quod multò probabilius eſt: nam Chriſtus non veteris, ſed novi teſtamenti mediator eſt, *Hebr*. 8. & 12. Moyſes verò ſequeſtrum & medium, quoad legiſlationem, inter Dominum & filios Iſraël ſe vocat *Deut*. 5. Lex enim per manum Moyſi data eſt à Deo *Levit*. 10. & 26. *Joſ*. 14. 17. 21. & 22. *Paral*. 33. 34. 35. 2. *Eſd* 8. 9. & 10. per Angelos ergo data eſt, ſed interveniente miniſterio Moyſis: ex *Theod*.

℣. 20. *Mediator autem unius non eſt: Deus autem unus eſt.*

Mediator eſt, qui inter duos quaſi medius negotium aliquod duos illos concernens agit: qualis fuit Moyſes, ùt ipſe ait *Deut*. 5. *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos, ut annunciarem vobis verba ejus. Timuiſtis enim ignem &c*. Qui verſu præc. Chriſtum mediatorem interpretantur, hanc partem variè exponunt, ùt videre eſt apud *Chryſ*. *Theoph*. & *Oecum*. Tametſi res clara ſit ex illis Apoſtoli 1. *ad Tim*. 2. verbis, *Unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*. Meliùs tamen, & textui conformiùs per Mediatorem hic & verſu præc. Moyſes intelligitur. Senſus eſt. *Mediator autem* qui ex officio medius agit inter plures, *unius non eſt*, ſed plurium ſcilicet illorum inter quos quaſi medius eſt; ſic Moyſes medius inter Deum & homines legem veterem tulit. *Deus autem* qui promiſit Abrahæ hæreditatem, de qua ℣. 18., *unus eſt* & cùm ſupremus ſit omnium Dominus, mediatorem agere non

poteſt; & quidem ſinè ullius mediatoris ope promiſſionem illam per ſe ipſum Abrahæ facere dignatus eſt, ita ut ſolus Deus in illa promiſſione intervenerit. Per quæ Apoſtolus docet præëminentiam promiſſionis, & proinde novæ legis ſupra legem veterem. Nec quemquam movere debet, quòd Deus miniſterio Angeli promiſerit Abrahæ hæreditatem. Nam multi probabiliter ſuſtinent, ipſum Dei filium Abrahæ, aliiſque Patriarchis apparuiſſe: etiamſi tamen Angelus apparuiſſet, quo mediante Deus Abrahæ &c. locutus fuiſſet; Angelus hìc non egit mediatorem, ſed Dei ipſius perſonam in omnibus iſtis apparitionibus repræſentans, Dei nomine & authoritate loquebatur. Non ita Moyſes qui propriam præ ſe ferens perſonam agebat ſequeſtrum & Mediatorem, ùt de ſe ipſo dicit *Deut.* 5. ℣. 5.

℣. 21. *Lex ergò adversùs promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet vivificare, verè ex lege eſſet juſtitia.*

Probat his verbis legem non eſſe datam adversùs promiſſiones, nec illis contrariam. Nam ſi lex vivificare poſſet, vitâ ſcilicet ſpirituali, *verè ex lege eſſet juſtitia*, id eſt, verè lex juſtificaret, ſalvaret, & benedictionem adferret; ſed vivificare non poteſt, ergo nec juſtificare, nec benedictionem adferre: Non igitur promiſſionibus eſt contraria. Eſſet enim illis contraria, ſi ipſa per ſe benedictionem adferre poſſet: excluderet enim promiſſiones, adeòque illis adverſaretur, ut ait *Gaig*.

℣. 22. *Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.*

Sed concluſit, id eſt, coarctavit lex Moſaïca

continuitque, *Rom.* 11. ℣. 32. omnes *ſub peccato*, dum per ſui tranſgreſſionem peccatores omnes conſtituit, ut dum promiſſam benedictionem & juſtificationem præſtare non poteſt, *promiſſio* id eſt promiſſa illa benedictio, *daretur credentibus ex fide*, id eſt; per fidem Jeſu Chriſti, ut ad *Rom.* 5. ℣. 20.

℣. 23. *Priùs autem quàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat.*

Loquitur in perſona Judæorum, qui legem acceperant, & ait. *Priuſquam autem veniret* tempus revelandæ fidei (ſcilicet in adventu Chriſti) *ſub legis* imperio ac poteſtate velut in cuſtodia *concluſi* ſervabamur, ne prorumperemus in manifeſta crimina, ſed pœnarum timore coërciti, ab idololatria & aliis hujuſmodi gravioribus abſtineremus; ſervabamur, inquam, *in eam fidem, quæ revelanda erat*: id eſt, ut hâc ratione duceremur ad eam fidem, quæ ſuo tempore manifeſtanda erat per Chriſti & Apoſtolorum ejus prædicationem. Igitur *hic modus* ſignificatur, quòd lex præparavit homines ad Chriſtum, dum ſcilicet timore eos continens & coarctans, quaſi ſervos cogeret aſpirare ad libertatem filiorum Dei, promiſſam in Chriſto per fidem: ex *Aug.*

℣. 24. *Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur.*

Lex (inquit) inſtar pædagogi nos tamquam parvulos ad vitia proclives timore coërcuit & præparavit, duxitque ad Chriſtum verum juſtitiæ Doctorem ac magiſtrum, *ut ex fide* ejus juſtitiam conſequeremur; & temporalium donorum illectamentis continuit. Unde concludit legem non adverſari fidei, ſicut Pædagogus non adverſatur præceptori, ſed adjuvat: ex *Chryſ.*

ỿ. 25. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo.

At quemadmodum jam formatâ ætate adoleſcentior factus puer, ubi magiſtri ac præceptoris fidei committitur, cedit pædagogi authoritas, ità *ubi venit fides*, ubi magiſter adfuit Chriſtus, cujus fidei crediti ſumus, & in cujus fidem credidimus, *jam non ſumus ſub pædagogo*, jam legis minas & tyrannidem evaſimus. Et quemadmodum ſi lucerna quæ noctu præluxit, jam ortâ die vetat nos obtueri ſolem, non ſolùm non præſtaret officium, verùm etiam læderet: itidem & lex ſi obſtaret ad meliora pergentibus, ait *Chryſ.*

ỿ. 26. Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

Tacitè objectioni reſpondet, pædagogum illum Judæis quidem opportunum fuiſſe, per quem ad Chriſtum adducerentur, non tamen omnibus hominibus neceſſarium, cùm ſinè eo fides haberi poſſit, per quam omnes efficiamur filii Dei. Ait ergo, quamvis lex nobis Judæis pædagogus fuerit ad Chriſtum, non ideò tamen vobis illa accerſenda eſt, ut ad Chriſtum ducamini, regenerandi in filios Dei. *Omnes enim* vos etiam ſinè legis opera *filii Dei eſtis per fidem*, quâ in Chriſtum creditis, & per hoc à ſervitute legis liberi æqualiter ſive Judæi, ſivè Gentes: ex *Hier.*

ỿ. 27. Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

Probat Galatas eſſe filios Dei, quia per baptiſmum *Chriſtum induerunt. Induere Chriſtum*, ut ex aliorum locorum collatione patet, eſt Chriſto fieri conformem imitatione virtutum & bonorum operum quæ in Chriſto tamquam in

capite perfectiſſimè fuerunt. Unde *Rom.* 13. poſt enumerationem virtutum à quibus abſtinendum admonet, ſubjungit : *ſed induimini Dominum Jeſum Chriſtum.* Ex quo liquet non omnes omninò baptizatos Chriſtum induiſſe, ſed eos tantùm qui baptiſmo juſtificati ſunt. Quòd ergo dicit omnes in Chriſto baptizatos Chriſtum induiſſe, ſic intelligendum, quantùm eſt ex virtute baptiſmi : ex *Eſtio.*

℣. 28. *Non eſt Judæus, neque Græcus : non eſt ſervus, neque liber : non eſt maſculus, neque femina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.*

Id eſt, non refert quâ quiſque ſit conditione, modò credat : *omnes enim credentes unum* ſunt *in Chriſto* ; id eſt, uno eodemque loco apud eum, quos ſinè diſcrimine ſalvaturus eſt. In negotio juſtitiæ adipiſcendæ per Chriſtum nulla habetur ratio, ſitne Judæus quiſpiam, an Gentilis, ſervus an liber, mas an fœmina. Vel omnes unus eſtis in Chriſto, hoc eſt eandem formam, eandem figuram habetis omnes : videlicet Chriſti, non Angeli, non Archangeli, ſed univerſorum Domini, ait *Chryſ.*

℣. 29. *Si autem vos Chriſti. Ergò ſemen Abrahæ eſtis, ſecundùm promiſſionem hæredes.*

Si eſtis, (inquit) corpus Chriſti, & *ſemen Abrahæ eſtis*, ac filii non ſolùm fidei imitatione, ſed etiam incorporationis jure, ut quod Chriſto capiti convenit, toti ejus corpori Eccleſiæ tribuatur. Et eſtis hæredes promiſſionis, quæ data eſt ſemini ipſius ; æquè ad vos ut ad Judæos hæreditas benedictionis pertinet, cùm pertineatis ad ſemen illi promiſſum, quòd eſt Chriſtus : ex *Hier.*

CAPUT IV.

Oſtendit Judæos ad tempus fuiſſe ſub ſervitute, donec veniret Chriſtus, & filios Novi Teſtamenti non eſſe ſub ſervitute.

℣. 1. *Dico autem: quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cùm ſit Dominus omnium:*

Judæos qui ſub lege ſunt puero hæredi comparat, ipſam verò legem tutoribus, quorum curæ ſubjicitur, donec ad hæreditatem introducatur: & perinde ùt ſervus alieno regitur arbitrio, nec liberum uſum habet bonorum à patre relictorum, quamvis jure hæreditatis ac voluntate paternâ, eorum *ſit Dominus*. Parvulos dicit non ætate, ſed animo: ex *Chryſ.*

℣. 2. *Sed ſub tutoribus, & actoribus eſt uſque ad præfinitum tempus à patre:*

Sed ſub curatoribus Græcè *œconomis* agit, quorum arbitrio tum ipſe, tum bona ejus hæreditaria reguntur, donec *tempus* teſtamento *præfinitum à patre*, aut legibus decretum advenerit, quo ipſe ſuarum rerum curam ſuſcipiat.

℣. 3. *Ita & nos cùm eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſervientes.*

Ita & nos Judæi, cùm tamquam adhuc *parvuli* ad percipiendam promiſſæ benedictionis hæreditatem, quæ nobis ex prædeſtinatione Dei

competebat, nondum eſſemus idonei, *ſub elementis mundi*, id eſt, ſub corporalibus ſignis & carnalibus ceremoniis legis Moſaïcæ *eramus* velut quâdam ſervitute preſſi. Parvulos vocat, quia tam intellectu; quàm affectu ſimiles erant pueris. Nam de Deo & rebus divinis, & nominatim de juſtitia hominis apud Deum carnaliter ſapiebant: rebus quoque ſenſibilibus, quibus pueri delectantur, addicti erant. Eoſdem ſervos ſub lege fuiſſe dicit, tum propter onus legis ceremonialis eis impoſitum *quod*, inquit Petrus Act. 15, *neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus*: tum quia ſignis ita adhærebant, ut ea pro rebus acciperent, ſignificationem eorum nôn intelligentes, tum denique propter timorem ſervilem quo continebantur in officio, ùt *Rom.* 8. ℣. 15.

℣. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege,*

Id eſt, ubi tempus impletum eſt quod erat à Deo Patre præfinitum & præordinatum, liberamur à ſervitute legis & hæreditatem filiis promiſſam accipimus. Ad hoc enim emiſit Deus in terram Filium ſuum unigenitum, ſibi conſubſtantialem, *factum ex muliere*, quia de mulieris ſubſtantia carnem accepit: Et ſicut Eva ex utero ſolo, ita Chriſtus ex muliere ſola, *factus ſub lege*, quia legem ſervavit circumciſus: ut humilitatis exemplum nobis præberet, & populo in quo naſci dignatus eſt, quoad inſtituta divina conformem ſe redderet; legemque paternam honoraret. Denique ut legalis ſervitutis ſimilitudinem in carne ſua gerens, eos qui ſub lege erant redimeret, quamvis nullo præcepto ad eam ſervandam obligatus: quod ipſe in Evangelio ſignificavit, quando dixit Dominum eſſe filium hominis etiam Sabbathi. *Matth.* 12.

℣. 5. Ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

Id eſt, dato pretio eximeret à ſervitute legis & ſuos faceret, factus ſub lege, & noſtræ naturæ particeps effectus, ut nos homines efficeremur per adoptionem filii Dei, utque hæreditatem adoptionis jure debitam conſequeremur. Dicens enim *reciperemus*, oſtendit ipſam anteà fuiſſe debitam, ſed nos non potuiſſe accipere propter mentis infantiam, ait *Oecum.* Non quòd juſti veteris teſtamenti non fuerint participes adoptionis Chriſti: contrarium enim clariſſimè docet Apoſtolus ad *Heb.* c. 2. ℣. 10. Sed quòd amplior & copioſior virtus paſſionis Chriſti, qui in plenitudine temporis miſſus eſt, poſt paſſionem & reſurrectionem Evangelio per orbem prædicato manaverit, inquit *Eſtius.*

℣. 6. Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra clamantem: Abba, Pater.

Galatas Gentiles alloquitur; occupans quod ab illis dici poterat: Si Judæis eo gradu contigit filiorum adoptio, ut priùs ſub lege eſſent tanquam ſub tutore; & ſi Chriſtus ſub lege factus eſt, ut eos qui ſub lege erant redimeret: debemus & nos priùs eſſe ſub lege, ut per Chriſtum redimamur, & filiorum adoptionem accipiamus. Ad hoc reſpondet. Vos Galatæ jam non indigetis legis tutelâ, quia *eſtis filii*, non ſicut hæres parvulus nihil differens à ſervo, ſed in ſtatu libertatis filiorum conſtituti. Quòd autem tales filii ſitis, indè liquet, quia *miſit Deus* in corda veſtra *Spiritum filii ſui clamantem*, id eſt, *in quo clamatis, Abba Pater*, ùt *Rom.* 8. ℣. 15. Probat Galatas jam eſſe filios Dei teſtimonio

Spiritûs ſancti, quòd nimirùm impulſi à Spiritu filii Dei, magno cordis affectu in orationibus ſuis Deum Patrem appellarent dicentes: *Abba*, *Pater*; vocabulo ex duabus linguis geminato. Vel, quia divinâ prædeſtinatione eratis filii, ideò nunc in plenitudine temporis dedit Deus in cordibus veſtris Spiritum, per quem, ùt filii ipſum invocaretis, dicentes, *Abba Pater*. Et nota Trinitatis ſignificationem. Pater emiſit, Filius carnem aſſumpſit, Spiritus coöperatus eſt, qui in corda noſtra ingreſſus docet nos dicere *Abba Pater*: ex *Oecum*.

℣. 7. *Itaque jam non eſt ſervus, ſed filius: Quòd ſi filius: & hæres per Deum.*

Tu igitur, qui per Spiritum filii Dei clamas ad Deum, *Abba*, *Pater*, non ampliùs *jam ſervus es* ab hæreditate alienus; ſed vel ipſius Spiritûs ſancti teſtimonio *filius*. *Quòd ſi filius es*, quamvis adoptivus, igitur *& hæres* illius cujus es filius, ſcilicet Dei, per meritum Chriſti filii ejus naturalis. Hæc autem hæreditas non poſt mortem patris expectatur, ſed vivente patre accipitur, partim quidem in præſenti vita ſecundùm varia Spiritûs ſancti dona, pleniſſimè verò in vita futura: ex *Eſtio*.

℣. 8. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui naturâ non ſunt Dii, ſerviebatis.*

Tunc, id eſt, priuſquam eſſetis filii; non ùt Judæi Deum ſerviliter colebatis, ſed *Deum* verum *ignorantes ſerviebatis* iis qui naturaliter *dii non ſunt*: ſed hominum opinione pro diis habentur.

℣. 9. *Nunc autem cùm cognoveritis Deum, immò cogniti ſitis à Deo: quomodo convertimini iterùm ad infirma, & egena elementa, quibus denuò ſervire vultis?*

Nunc autem poſteaquam ab illa ignorantia converſi, *Deum cognoviſtis*, *imò* verò *cogniti* atque dilecti eſtis *à Deo*, id eſt, per ejus dilectionem attracti ad eum cognoſcendum gratiâ præveniente, ùt 1. *Joannis* 4. ℣. 10. & 1. *Cor.* 8. ℣. 3.; quâ à ſervitute falſorum deorum vos avocavit, inſuper & filios ſuos fecit: *quomodo* vultis iterùm in ſervitutem relabi? *Quomodo* vos convertitis *iterùm ad infirma & egena elementa*, ut de novo quaſi nullam antea ſervitutem paſſi, ſub illis ſervire velitis? Volebant enim Galatæ denuò ſervire elementis mundi, & ad ea iterùm convertebantur, non eadem numero & ſpecie, ſed genere. *Egena* enim *elementa* vocat legem Moyſi, ejuſque inutiles ceremonias, ad quæ pſeudoapoſtoli obſervanda Galatas compellebant, ùt notat *Gaig.* Qui enim ſervierant idolis, ſervire volebant ſub ſignis & ceremoniis Judaïcæ legis. De quibus dicit, *dies obſervatis*, &c. Vocat *infirma & egena elementa*, quia poſt Chriſti paſſionem viribus deſtituta ſunt, & quia nihil conferebant ad juſtitiam & ſalutem vitæ æternæ, *Heb.* c. 7. ℣. 18. c. 10. ℣. 1. & 4. Si qui tamen veteri lege durante Sacramentis ejus & ſacrificiis utebantur ex fide mediatoris, gratiam per ea conſequebantur, non ùt erant veteris legis inſtituta, carnali populo tradita, ſed quatenus eis accidebat, ut cum ejuſmodi fidei devotione (quæ ad novam legem pertinet) exercerentur. Vel erant *infirma & egena elementa* Judæis carnalibus, qui ex illis exſpectabant juſtitiam, non ſpiritualibus qui illis bené ute-

bantur; vel qui illis plus tribuebant, quàm ipſis competebat: ex *Eſtio.*

℣. 16. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos.*

Dies, quos obſervabant Galatæ, à pſeudo-apoſtolis edocti erant, verbi gratiâ Sabbathum, Neomenias, Scenopegia, &c. ſolemnitates Judaïcas. *Menſes*, ùt primum & ſeptimum feſtorum causâ celebriores. *Tempora*, quale eſt, ait *Hier.* ter per annos ſingulos Hieroſolymam venire. *Annos* denique, ùt ſeptimum annum remiſſionis, & quinquageſimum jubilæi. Ex his porrò liquet, quàm pravè hæretici hanc Apoſtoli ſententiam detorqueant contra conſuetudinem, quâ certos quoſdam dies feſtos annuâ celebritate recurrentes & certa jejuniorum tempora ex Eccleſiæ præcepto fideles obſervant. Hæc enim Eccleſiaſtica dierum ac temporum obſervatio, neque ad ſuperſtitionem gentilium pertinet, neque ad legem à Chriſto abrogatam, ſed ex Apoſtolica traditione deſcendit. Quòd ſi (ùt hæretici volunt,) omnis dierum obſervatio damnanda eſſet, neque ad iter agendum, neque ad ſerendum & metendum & ad alia hujuſmodi, commodos & opportunos dies exſpectare liceret, & abolendus ab iis eſſet dies Dominicus, cujus obſervatio Apoſtolica eſt, ùt quadrageſimæ jejunium: ex *Hier.*

℣. 11. *Timeo vos, ne fortè ſinè cauſa laboraverim in vobis.*

Timeo vobis aut de vobis; fruſtraneus enim redditur labor prædicationis erga eos, qui in fide ſuſcepta non perſeverant, ùt 2. *Petri* 2. ℣. 22.

℣. 12. *Eſtote ſicut ego, quia & ego ſicut vos: fratres obſecro vos: nihil me læſiſtis.*

Id eſt, imitamini meipſum, quia fervens olim

ceremoniarum zelator, nunc per Chriſtum illas negligo, *quia ego ſicut vos*, ſubaudi aliquando fui nimirùm legis ſtudioſus: ſic *Græci* & *Gaig*. Vel Judaïcas obſervationes meo exemplo abjicite, neque legem ſervitutis patiamini vobis imponi. Nam & ego me veſtræ infirmitati accommodavi, ut vos Chriſto lucrifacerem. Hactenùs Galatas argumentis & rationibus preſſit, interdum increpationes admiſcuit: nunc precatur & obſecrat; ſic enim Epiſcopo & Doctori faciendum eſſe præcipit 2.*Tim*.4. ℣.2. q.d. Quòd in ſuperioribus vos duriùs increpavi; non feci contumelioſè quaſi injuriâ laceſſitus, ùt iracundi ſolent; ſed amore, ac ſtudio veſtræ ſalutis. Negat ſe *læſum* ab illis, vel quia defuit animus lædendi: vel quia magis in Chriſtum erat hæc injuria, quàm in Paulum: vel certè quia de tempore quo apud Galatas fuerat converſatus, loquitur, non de doctrina ſua, quem deſerebant: ex *Eſtio*.

℣. 13. *Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem: & tentationem veſtram in carne mea*

Evangelizavi vobis per infirmitatem carnis, veſtræ ſcilicet, id eſt, prout infirmitas veſtra ferre poterat, non de altioribus myſteriis, ſed quatenùs ferre valebatis: ex *Hier*. Vel *per infirmitatem carnis*, ſcilicet ipſius Apoſtoli; & juxta aliquos ùt refert *Hier*., intelligitur graviſſimus dolor capitis quem fuiſſe angelum ſatanæ, de quo conqueritur 2.*Cor*. c.12. putant aliqui. Verùm magis placet alia *S.Hier*. expoſitio, quâ *per Carnis infirmitatem* generaliter intelliguntur adverſitates & afflictiones exteriùs illatas ab adverſariis perſecutoribus, quæ infirmitatum nomine 2. *Cor*. c. 11. & 12. appellantur. Poteſt tamen, & quidem probabilius ait Eſtius, intel-

ligi illa infirmitas de qua 2. *Cor.* c. 10. ℣. 10. & 1. *Cor.* c. 2. ℣. 3. agit; quam Apoſtolus etiam vas fictile vocat, in quo theſaurum gratiæ portat: dicit *Hier.* *Et tentationem veſtram*, Græci legunt *meam*; & vocant tentationem *Pauli* afflictiones, vincula, plagas & incarcerationes quas *in carne* ſuſtinebat.

℣. 14. *Non ſpreviſtis, neque reſpuiſtis: ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Jeſum.*

Non ſpreviſtis ſcilicet tentationem, id eſt, nequaquam me ob hujuſmodi afflictiones expuliſtis: *ſed velut Angelum Dei excepiſtis. Hier.* & *Ambr.* legunt ℣. 13. *tentationem veſtram* paſſivè, id eſt, cùm ego virium veſtrarum periculum faciens, voſque tentans humiliter vobis abjecta & humilia prædicarem, hanc veſtri *tentationem*, hoc virium veſtrarum experimentum *non ſpreviſtis*, id eſt, non me ob hujuſmodi quandam veſtri diffidentiam expuliſtis. Veram ergo tentationem in carne mea non ſpreviſtis, id eſt, quòd ego in carne conſtitutus tentavi & periculum virium veſtrarum feci, non iniquè accepiſtis, neque me ob id ſpreviſtis. Sed ſicut Angelum cœlitùs à Deo miſſum, & quòd ampliùs eſt, ſuſcepiſtis me *ſicut Chriſtum Jeſum*: quia conſideraſtis in me non humilitatem meæ perſonæ, ſed dignitatem ejus, cujus ſum miniſter & Apoſtolus. Bene dicit *ſicut Angelum Dei*, quia verè *Paulus* Angelus, id eſt, nuncius Dei erat: ſed minor Angelis, quibus ſe comparat, ex *Hier.*

℣. 15. *Ubi eſt ergò beatitudo veſtra? Teſtimonium enim perbibeo vobis, quia, ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.*

Ubi nunc plauſus illi & verba quibus me

beatum appellabatis? q. d. Nunc videmini longè aliter de me ſentire, quandoquidem ab Evangelio quod vobis prædicavi, receſſiſtis. Vel tanta cum benevolentia me vobis evangelizantem excepiſtis, ut ego vos præ multis aliis beatos prædicarem. *At* nunc cogor vos ſtultos & inſenſatos vocare : ita *Hier.* & Græci.

℣. 16. *Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis?*

Aliam (inquit) non video odii cauſam, quàm quòd vera vobis & ad ſalutem ducentia tradam dogmata, propter quæ adaugere vos dilectionem erga me oportebat.

℣. 17. *Æmulantur vos non benè: ſed excludere vos volunt, ut illos æmulemini.*

Non benè, id eſt, non ad bonum finem; eandem in Chriſtum fidem vobiſcum amplectuntur, ſed ut vobis ab hac excluſis ſe ſequi perſuadeant: quia ad veſtri dumtaxat deceptionem hujuſmodi res ab ipſis excogitata eſt. *Non bene.* Eſt enim & zelus rectus, quando quis ita æmulatur, ut imitetur virtutem. Eſt & zelus malus, ubi quis ita æmulatur, ut probum virtute dejiciat: ita excludere vos à vera cognitione volunt, ut poſteà effecti magiſtri veſtri ad eandem æmulationem vos abducant & ad legem ferant.

℣. 18. *Bonum autem æmulamini in bono ſemper: & non tantùm cùm præſens ſum apud vos.*

Græci legunt, *bonum eſt æmulari ſemper in bono*, id eſt, bonum eſt ſemper ſtudio affici in rem bonam. Quòd autem habet interpres, *bonum æmulamini ſemper in bono*, poteſt ad rem bonam & bonum præceptorem referri, quia prædixerat, *volunt vos excludere*, ut illos

æmulemini; *bonum autem* præceptorem *æmulamini* in re bona ſemper, non tantùm in præſentia mea, ſed in abſentia etiam: ſic *Hier.*

℣. 19. *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.*

q. d. Semel vos Chriſto peperi, quando ad fidem Chriſti perduxi, eâque ratione filioli mei eſtis generatione ſpirituali: ſed quia à veritate Evangelii vobis traditi, tanquam à vita defeciſtis; nunc *iterùm vos parturio*, id eſt, magno nixu & labore conor ad Evangelii veritatem revocare, idque tantiſper ago *donec Chriſtus in vobis formetur*, id eſt, donec perfectam Chriſti formam accipiatis, hoc eſt rectam fidem de Chriſto, quâ nimirùm credatis Chriſtum vobis ad ſalutem ſufficere, ſinè legalium obſervatione. Non enim omninò à Chriſto receſſerant, ſed Chriſto legem velut in ſubſidium adjungere volebant.

℣. 20. *Vellem autem eſſe apud vos modò, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis.*

Conſidera vim amoris: mihi (inquit) non ſufficiunt ſatis literæ: ipſe adeſſe vobis cuperem & immutare lamentis ac queſtibus verborum doctrinam, quam vobis nunc trado, ſicut vos per lamenta docui. *Quoniam confundor*, Græcè *hæreo*? Etenim hæſito, inops conſilii, ait *Cyrillus*, quid dicam de vobis? Unde accidit, ut cùm adeò ſublimati eſſetis cognitione Evangelii, nunc dejecti ſitis, ac humi detracti, rurſum legi adhærentes? Vel *confundor in vobis*, quia pudore afficior propter vos, qui tam leviter receſſeritis ab eo quod ego vos docui: ex *Aug.*

℣. 21. *Dicite mihi qui ſub lege vultis eſſe: legem non legiſtis?*

Poſt preces & blandimenta quibus affectum movit Apoſtolus, nunc rurſus Galatas urget argumentis ex Scriptura, quæ legem tradit contra eos *qui ſub lege eſſe* volebant. Etenim lex ipſa docet, non eſſe bonum ſub lege teneri.

℣. 22. *Scriptum eſt enim: quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera.*

Non eſt (inquit) ſinè myſterio quod Scriptura narrat, *Abraham duos* ſuſcepiſſe *filios*, Iſmaël & Iſaac: illum ex Agar ancilla, hunc verò ex Sara libera; Iſmaël carnis, Iſaac fidei: ex *Hièron.*

℣. 23. *Sed qui de ancilla, ſecundùm carnem natus eſt: qui autem de libera, per repromiſſionem:*

Secundùm carnem, id eſt, naturalem generationem de juvene & fœcunda. Iſaac verò præter naturæ ordinem ex nonagenaria & jam effœta Sara natus eſt, virtute divinæ promiſſionis, *Rom.* 4. Ex *Hieron.*

℣. 24. *Quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta. Unum quidem in monte Sina, in ſervitutem generans: quæ eſt Agar:*

Allegoria eſt, cùm manente hiſtoriæ veritate aliud verbis, aliud ſenſu prætenditur. Ita verè quidem hæc de duobus Abrahæ filiis hiſtoria, ſicuti narratur, contigit: Sed illa res geſta ulteriorem alterius rei habet ſignificationem. Nam per hos cum matribus *duo teſtamenta* ſignificantur, duæque leges, & duo populi: *unum*

teſtamentum ſcilicet vetus, lex eſt Moyſi in monte Sina, vel Sinaï data, quæ dicitur *à Paulo, in ſervitutem generans* filios, quia ex ipſa generatione ſervituti obnoxios. Qui enim ex matrè ſerva naſcitur, niſi quid aliud obſtet, ſervus naſcitur: Dicitur itaque vetùs teſtamentum à monte Sina profectum; quia in illo monte lata eſt lex, cujus obſervatio veteris teſtamenti, id eſt, pacti inter Deum & veterem populum initi conditio fuit; ſed minimè à populo ſervata: Servitus autem ad quam filios generabat vetus teſtamentum, poſita erat partim in importabili jugo præceptorum ceremonialium, partim in affectu & timore ſervili, quo regebantur filii veteris teſtamenti, *quæ eſt Agar.* Id eſt, *Agar* cum filio ſuo *Iſmaël* legem veterem præfigurabat: ex *Gaig.*

℣. 25. Sina enim mons eſt in Arabia, qui conjunctus eſt ei, quæ nunc eſt Jeruſalem, & ſervit cum filiis ſuis.

Rectè per Agar ancillam, vetus teſtamentum figuratum eſt, vel quia *Sina mons Arabiæ* etiam Agar appellatur: vel meliùs quòd per Agar ancillam ſignificetur idem cum eo, quod Sina mons Arabiæ per typum ſignificat. q. d. *Agar* & *Sina* ejuſdem rei gerunt ſignificationem ſcilicet veteris teſtamenti. Vel benè teſtamentum illud vetus generans in ſervitutem ortum eſt à monte Sina, quia mons ille ſitus eſt in Arabia, quæ regio eſt extra terram promiſſionis; ut intelligatur filios veteris teſtamenti non pertinere ad promiſſionem Abrahæ factam. Vel quia mons ille horridus in Arabia, longè extra fines ſitus, proinde aptiſſimus ad ſignificandam veteris teſtamenti qualitatem, quæ eſt timorem & horrorem incutere & ſervos facere promiſſionis exortes & ab hæreditate alienos. *Qui conjunctus*

ſeu conterminus eſt civitati *Hieruſalem*, à qua diſtat itinere 20. dierum; quia per radices illuc uſque protenditur, vel quià è regione ſitus; vel *conjunctus* dicitur per continuationem itineris Iſraëlitarum ex illo monte proficiſcentium in terram promiſſionis, & in ipſam Hieruſalem: ex *S. Thom.* Vel *conjunctus* Græcè dicitur, quia cognationem habet cum iſta terrena Hieruſalem, eique congruit quoad myſticam ſignificationem. Nam Sina vetus teſtamentum ſignificat; terrena Hieruſalem principatus eſt legis veteris teſtamenti. In monte Sina lex vetus data eſt: in terrena Hieruſalem principatus eſt legis veteris propter templum & ceremonias & ſtudium legis retinendæ. Denique idem eſt populus continuitate ſucceſſionis, qui legem in monte Sina accepit, & qui nunc in Hieruſalem habitans, pro eadem lege pugnaciter contendit: ita *Theoph.* *Et ſervit cum filiis ſuis*, refertur ad eam quæ *nunc eſt Hieruſalem*: vel meliùs ad *Agar*; ut ſenſus ſit. Vetus teſtamentum ſignificatum per Agar, *ſervit cum filiis ſuis*, id eſt in filiis, quatenùs ſcilicet filios ſuos in ſervitutem generat. Vel per Sina montem, ac filios ejus intelligunt illius montis accolas obnoxios illi ſervituti, de qua dixerat, *Unum quidem à monte Sion, in ſervitutem generans.* Siquidem Hieroſolyma finitima eſt monti cognomini ancillæ: ex *Chryſ.*

℣. 26. *Illa autem, quæ ſursùm eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.*

Sara autem *libera* præſigurat novum teſtamentum, ſive Eccleſiam novi teſtamenti, quod filios ſuos in libertatem generat: id enim volunt hæc Apoſtoli verba, quibus dicit *eam Hieruſalem quæ ſurſum eſt*, (ſubintellige *eſt Sara per ſignificationem*) liberam eſſe, ac matrem noſtram:

non quòd ſolùm triumphantem in cœlis Eccleſiam intelligi velit hic (totam enim Eccleſiam hâc notatione comprehendit) ſed quia etiam quâ parte militat & peregrinatur in terris, tamen per fidem & ſpem ſurſum eſt, dum ea quæ ſurſum ſunt, quærit, *Col.* 3. ℣. 1. *Philip.* 3. ℣. 20. *Apoc.* 21. ℣. 2. Contrà verò qui ad vetus teſtamentum & terrenam Hieruſalem pertinent, ſicut de terra ſunt, ita terrena quærunt, & terrenis ducuntur promiſſis. *Libera eſt* autem ſuperna Hieruſalem & filios ſuos in libertatem generat, quæ poſita eſt in ſpiritu dilectionis, *Rom.* 8. ℣. 15. & in eo quòd filii novi teſtamenti per Chriſtum exempti ſunt à ſervili jugo legis Moſaïcæ. *Quæ eſt mater noſtra*; ſignificat nos Chriſtianos, quos per fidem & baptiſmum Eccleſia gignit, liberos eſſe: utpote ex matre libera genitos, ùt *Iſaac*: atque ita etiam Galatas eſſe filios cœleſtis Hieruſalem, ac proinde *liberos*. Nam Græca & Syra legunt, *omnium noſtrûm*, quod ſignificat magnam fidelium multitudinem ex Gentibus collectam.

℣. 27. Scriptum eſt enim: lætare ſterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi filii deſertæ, magìs quàm ejus, quæ habet virum.

Scriptum eſt, ſcilicet *Iſaïæ* 54. Verba ſunt ad Eccleſiam novi teſtamenti. Tu, inquit, Eccleſia, quæ uſque ad Chriſti adventum *ſterilis* fuiſti, & ex Gentibus quidem pene nullos, ex Judæis verò pauciſſimos Chriſto filios, eoſdemque ſub ſervitutis velamine, tanquam & ipſi ſervi eſſent, latitantes enixa es (nam parere, & parturire pro eodem hic ponuntur.) *Lætare, erumpe, & clama*, id eſt, cum lætitia Deum lauda, & in clamorem & cantica laudis *erumpe*. Et ratio laudis, & lætitiæ eſt, quia tu quæ

hactenùs ſolitaria fuiſti, nec viro ad gignendos filios conjuncta (ſterilis enim eras) nunc fœcunda reddita, Chriſto viro tuo filios paries multò plures, quàm ſynagoga viro ſuo conjuncta, id eſt, legem Moſaïcam ſtudiosè amplexata, toto veteris teſtamenti tempore filios peperit. Nam legem Moſaïcam virum fuiſſe ſynagogæ docet, *Rom.* 7. ℣. 1. & 2. Vel *deſerta* ſeu ſolitaria, quòd ſola eſſet filios non habens, ex quibus familia multiplicaretur, ùt *Pſalm.* 67. ℣. 6. & *Pſ.* 112. ℣. 9. *Thren.* 1. ℣. 1. *Iſa.* 49. ℣. 21. *Baruch.* 4. ℣. 19. ut quemadmodum Sara poſt longam ſterilitatem tandem ex divina promiſſione ac virtute fœcundata filium peperit, in qua ſemen Abrahæ multiplicaretur; ita ſignificetur Eccleſia poſt ſterilitatem tot ſæculorum tandem adveniente Chriſto, quampluri mos promiſſionis filios paritura confluentibus ad eam undique Gentilium populis: ex *Chryſ.*

℣. 28. *Nos autem fratres ſecundùm Iſaac promiſſionis filii ſumus.*

Secundùm Iſaac. Id eſt, juxta typum & ſimilitudinem Iſaac, quem ſupra naturæ ordinem mater ſterilis ex Dei promiſſione concepit, *filii* matris Eccleſiæ *ſumus*, non ex viribus naturæ, ſed ſupra naturam ex virtute Dei, qui Abrahæ promiſit, geniti, ùt *Joan.* 1. ℣. 13. Ideò ex libera nati non debemus legi ſervire: ex *Chryſ.*

℣. 29. *Sed quomodo tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum: ita & nunc.*

Et jam ex eo quòd fideles perſecutionem ſuſtinebant à Judæis (nam tunc perſecutionem ſuſtinebant) oſtendit figuram quoque veritati reſpondere. Etenim Iſmaël, *qui ſecun-*

dùm carnem natus erat, perſequebatur Iſaac, qui ſecundùm Spiritum, id eſt promiſſionem genitus erat. Luſus autem Iſmaëlis cum Iſaaco de quo *Gen.* 21., erat illuſio & perſecutio: vox enim illa interdum luſum ſerium, id eſt pugnam ſignificat: ùt 2. *Reg.* 2. ℣. 14. interdum etiam cultum idololatriæ: ùt *Exod.* 32. ℣. 6. ex *Hier.* Vel perſecutio dicitur, quia volebat eum ſcurrilem facere, ſicut & ipſe erat. Vel quia ad idola colenda inducere volebat. ex *S. Th.* Vel ad laſciviam. Et in omnibus perſecutio quædam eſt: corporalis quidem in machinanda morte, & in deriſione & vindicatione primogenitorum. Spiritualis verò, in eo quòd ad idololatriam & ad laſciviam inducere puerum volebat; utroque modo carnales Judæi filios Eccleſiæ perſecuti ſunt corporaliter. 1. *Theſſ.* 2. ℣. 15. Spiritualiter verò, in quantum fideles à Chriſto revocare & ad legem ſuam traducere conati ſunt, ùt 2. *Tim.* 3. ℣. 12.

℣. 30. *Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.*

Id eſt, *quid Scriptura* refert Saram dixiſſe viro ſuo Abraham, quando vidit filium ancillæ ludentem cum filio ſuo? Hìc altera congruentia figuræ cum re figurata. Sicut enim Sarâ poſtulante, & *Deo* poſtulatum ejus probante, ejecta eſt è domo Abrahæ Agar ancilla cum filio ſuo: Sic Eccleſiâ per ſpiritum Dei inſtante, legem cum iis qui illam veluti neceſſariam obſervant, ejici oportuit è familia & populo Dei. Per quod palam demonſtratur legis ac prioris teſtamenti ceſſatio. Altera congruentia eſt, quòd ſicut ancillæ filius non eſt admiſſus in partem hæreditatis unà cum filio liberæ: ſic qui ſub lege ſunt, non percipient promiſſam

hæreditatem ſimul cum Chriſtianis, ideòque cum lege ſua foràs mittendi: ex *Hier.*

℣. 31. *Itaque, fratres, non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ: quâ libertate Chriſtus nos liberavit.*

Id eſt, non pertinemus ad legem ſignificatam per Agar; ſed ad Hieruſalem quæ ſurſum eſt, ſignificatam per Saram. Unde ſcire debemus nos liberos eſſe à ſervitute legis, utpote vocatos in libertatem ſpiritûs, in quam Chriſtus nos aſſeruit per mortem ſuam, *Joan.* 8. ℣. 36. Et à jugo ceremoniarum legalium præfigurantium Chriſtum, liberatos veritate jam exhibitâ. Abſurdum igitur eſt ultrò ſemetipſos in ſervitutis jugum tradere, ait *Chryſ.*

CAPUT V.

Avertit Galatas à Circumciſione, & hortatur ad charitatem: oſtendit quæ ſint opera carnis, qui fructus ſpiritûs.

℣. 1. *State, & nolite iterùm jugo ſervitutis contineri.*

INdicat eos vacillare, & hortatur ut abjectâ omni fluctuatione perſiſtant in libertate, quam per Chriſtum adepti ſunt. *Jugum ſervitutis* vocat legem Moſaïcam, ùt *Act.* 15. ℣. 10., propter multitudinem præceptorum, quæ ſervis congruebat magìs, quàm liberis: dicit *iterùm*, non quòd ſub lege fuiſſent aliquando Galatæ; ſed quia ſervierant ſub falſa religione Deorum, à qua ſervitute per Chriſtum liberati: ex *Eſtio.*

℣. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.*

Græci exponunt, nolite alias rationes quærere, mea *Pauli* pro omni ratione ſatis eſt autoritas. *Dico* ergo vobis ſi circumciſionem apprehenditis, & per eam ſalvatum vos iri putatis, *Chriſtus nihil vobis proderit*, quem ſpernitis velut ſalvandi impotem, ait *Gaig.*

℣. 3. *Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.*

Qui enim in uno aliquo legem obſervavit, quia putat eam ſibi neceſſariam ad ſalutem; neceſſitatem ex eadem erronea opinione ſibi inducet in omnibus legem ſervandi: quia omnia mutuò ſe ſequentur tanquam connexa; quid autem gravius legalibus obſervationibus? Ex *Oecum.* & *Chryſ.*

℣. 4. *Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini: à gratia excidiſtis.*

Amputati eſtis, excidiſtis *à Chriſto*: nullam deinceps vobis adferent utilitatem quæ ſunt Chriſti & gratiæ ipſius, quicumque ſtudetis ex lege juſtificari, *à gratia excidiſtis*; & nec à lege juſtificamini.

℣. 5. *Nos enim ſpiritu ex fide, ſpem juſtitiæ expectamus.*

Nos qui rectè in Chriſtum credimus per ſpiritum ex fide quâ Chriſtum credimus authorem juſtitiæ, ſpecertâ *juſtitiam expectamus* & conſequimur, non autem ex lege, aut circumciſione.

℣. 6. *Nam in Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides, quæ per charitatem operatur.*

In Chriſto Jeſu, id eſt, in Religione Chri-

ſtiana nihil confert ad juſtitiam, quòd quis circumciſus ſit, aut incircumciſus, ùt 1. *Cor.* 7. ℣. 19. *Sed fides* plurimùm valet ad juſtitiam ſive acquirendam, ſive exercendam atque augendam. Eſt enim fides totius juſtitiæ fundamentum, quam tamen non præſtat ſinè charitate, id eſt eâ dilectione, quam tot præconiis Apoſtolus commendavit 1. *Cor.* 13. Græcè *per dilectionem operans*, quæ non otioſa eſt, ſed per dilectionem bona opera exercet, tamquam benè agendi directrix. Vel *operatur* non activè, ſed paſſivè exponendum, ut ſenſus ſit. Sed fides per charitatem animata, acta, mota, incitata ad opus, q. d. Quæ per charitatem conſtituitur in actu, quamque charitas non ſinit eſſe torpentem & otioſam; Charitas enim eſt velut ignis, anima, ſpiritus, inflammans, vivificans, impellens fidem; quæ ſinè charitate frigida, mortua, otioſa eſt: unde forma fidei, & cæterarum virtutum dicitur, & contrà ſinè charitate fides informis & mortua. *Jac.* 2. ℣. 17.

℣. 7. Currebatis benè: quis vos impedivit veritati non obedire?

q. d. Antequam aures accommodaretis novis magiſtris, eratis in bona via, non ſimpliciter ambulantes, ſed progreſſum facientes; quid actum eſt: quis tantum potuit, ut impedimento vobis eſſet, ne Evangelii veritati pareretis? Non inquirentis, ſed indignantis interrogatio, vel potiùs deplorantis, ex *Oecum.* Græci non habent, *Nemini conſenſeritis*, nec *Hier.* legit. Eſt autem ſenſus. *Nemini conſenſeritis*, quantùm ad fidem attinet, alteri quàm mihi: ſeu nulli acquieſcite, qui vos ad legalium obſervationem ſolicitat.

℣. 8. *Perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos.*

Id eſt, Chriſtus qui vos ad fidem vocavit, nequaquam vobis perſuaſit, ut circumcideremini, ait *Gaig.*

℣. 9. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.*

Id eſt, perverſa doctrina etiam modica, ut *Matth.* 16. v. 11. & 12. Vel pauci impoſtores & hæretici totam maſſam & congregationem veſtram inficere poſſunt: ex *Hièr.*

℣. 10. *Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud ſapietis: qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumquè eſt ille.*

Quamvis metuendum, ne à paucis qui à Judæa veniunt ad vos, corrumpamini, tamen benè *confido de vobis* per Chriſti Domini gratiam, quòd corrigemini, & nihil ſentietis præter doctrinam meam, ait *Oecum. Auguſtinus* hinc colligit nondum illos fuiſſe poſſeſſos à malis ſuaſoribus. Notare autem videtur unum aliquem præ cæteris authorem turbationis Galatarum. Non liquet utrùm denunciet extremi judicii vindictam, an verò minetur tacitè judicium excommunicationis: ex *Eſtio.*

℣. 11. *Ego autem, fratres, ſi circumciſionem adhuc prædico: quid adhuc perſecutionem patior? Ergò evacuatum eſt ſcandalum crucis.*

Perſuadebant pſeudoapoſtoli Galatis circumciſionis neceſſitatem, *Paulumque* circumciſionem adhuc prædicare; quam opinionem tollens, *ſi circumciſionem prædico, quid* adhuc *perſecutionem patior* à Judæis, quibus utique gratus

eſſem ſi illam prædicarem ? Ita *Gaig*. Debet ergo ceſſare offenſio Judæorum, quâ offenduntur ob crucis prædicationem : Non enim tam offendit eos prædicatio Chriſti crucifixi, quàm legis per crucem abolitæ : vellent enim legem cum Chriſto retinere : ſic *Hier*. Vel *ſcandalum crucis*, eſt ipſa crux Chriſti, quæ Judæis Chriſtum ſibi promiſſum expectantibus ſcandalo fuit, ne præſentem & in propria venientem reciperent, ùt 1. *Cor*. 1. v. 23. q.d. Ergo fruſtrà crucem Chriſti prædicamus cum tanto Judæorum ſcandalo; quia ſi per legem juſtitia, ergo gratìs Chriſtus mortuus eſt : ita *Auguſt*.

℣. 12. *Utinam & abſcindantur qui vos conturbant.*

De vobis mihi cura eſt, de his autem qui vos *labefactant*, vel vos dejicere moliuntur, tanquàm de his qui incurabiliter ægrotant, non ampliùs. Illi itaque non ſolùm circumcidantur, ſed utinam etiam ſeipſos exſecuiſſent, ſeipſos amputaſſent, qui vobis circumciſionis adferunt impoſturas : ita *Oecum*. Hæc maledictio non ex odio, ſed ex juſtitia profecta : juſtum enim erat ut tale quid paterentur. Quidam ex loco hoc dictum excuſant : alii de ſpirituali pudendorum abſciſſione interpretantur. q.d. Utinam eunuchi fiant propter regnum cœlorum : ſic *Auguſt*. & *Thom*. Alii de abſciſſione, id eſt, de ſeparatione hominum, quæ fit per excommunicationem, ùt 1. *Cor*. 5. ex *Cryſ*.

℣. 13. *Vos enim in libertatem vocati eſtis fratres : tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem Spiritûs ſervite invicem.*

Quoniam in præcedentibus & in ſequentibus vocat libertatem, & quòd per Chriſtum libe-

ratiſumus à lege : timuit ne exiſtimarent ſolutum eſſe jugum legis, ac deinceps licere quæcumque velimus agere. Hoc ergo corrigit, & ait. Ne abutamini libertate, ut etiam ſerviatis carnis concupiſcentiis, & quia legis jugum abſtulit, aliud imponit, nempe charitatis leve ac fortius illo : ex *Oecum.* q.d. Hæc libertas adeò non laxat carni habenas, ut etiam ſervitutem illi contrariam Chriſtianis imponat, eam ſcilicet quâ quiſque proximo ſuo ſubſerviat, exhibendo charitatis officia, quibus videt eum indigere. Non dixit diligite, ſed *ſervite* : intenſam, ac vehementem declarans amicitiam : ex *Chryſ.*

℣. 14. *Omnis enim lex in uno ſermone impletur : diliges proximum tuum ſicut te ipſum.*

Si omninò legem complere vultis, non in hoc ut circumcidamini, ſed ut invicem diligatis ipſam complete. *Tota enim lex* moralis obſervatione unius mandati impletur, ùt *Rom.* 13. ℣.8. & 9. Vocatur hìc *Sermo*, & ad *Rom.* 13. *Verbum*, eâ ratione quâ decem præcepta Decalogi *Deut.* 4. & 10. vocantur decem verba legis ob brevitatem verborum, quibus ſingula præcepta comprehenduntur, ut quaſi ſingula verba videri poſſint.

℣. 15. *Quod ſi invicem mordetis, & comeditis : videte ne ab invicem conſumamini.*

Id eſt, graves inimicitias exercetis. *Videte*, terrentis verbum eſt hoc : nam hæc quoque diſſenſio vobis etiam concitantibus poteſt nocere. Veriſimile eſt hoc non de ſolis dogmatibus dici, ſed etiam de rapinis & avaritia, & de obtrectationibus & injuriis quibus ſe mutuò affecerant : ex *Eſtio.*

℣. 16. *Dico autem: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.*

Juxta Spiritum ſanctum (inquit) & ea quæ Spiritui placent degite, ac vivite, & carnis concupiſcentiam non explebitis: ex *Chryſ.* Non dixit, non habebitis, ſed *non perficietis.* Nam deſideria carnis non habere, id eſt, parvos motus non ſentire, impoſſibile eſt in hac vita, non conſentire autem poſſibile fit per Spiritum.

℣. 17. *Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum: ſpiritus autem adversùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis.*

Lyranus per *carnem & ſpiritum* duplicem appetitum ſignificari putat, inferiorem qui fertur ad ſenſibilia, & ob id ſenſitivus appetitus vocatur, alio nomine ſenſualitas: & ſuperiorem, id eſt, intellectum, ſeu rationalem appetitum, quo diliguntur intelligibilia, quæ ſenſu percipi nequeunt. Alii *per carnem* intelligunt animam, quatenùs carnalis eſt, id eſt, ad vitia proclivis: per *ſpiritum* verò eandem animam quatenùs ſpiritualis eſt, id eſt, per Spiritum ſanctum reformata. Alii hominem ipſum, qui unus & idem caro dicitur, quâ parte carnalis eſt, & ſpiritus, quâ parte ſpiritualis, ùt *Rom.* 7. propter fomitem peccati. Pro hac expoſitione poteſt adferri *Joan.* 3. ℣. 6. Alii ipſam carnalem concupiſcentiam ex prima tranſgreſſione nobis inſitam, ac nomine ſpiritûs ipſum Spiritum ſanctum ſignificari, *Rom.* 8. ſic *Theod.* & *Occum.* *Spiritus autem* concupiſcere dicitur *adversùs carnem*, quia ſancta deſideria quæ carni contraria ſunt, in nobis excitat. Denique *caro concupiſcit*, id eſt, concupiſcere nos facit *adversùs*

ſpiritum, *& ſpiritus concupiſcit*, id eſt, concupiſcere nos facit *adversùs carnem*; & eo modo dicitur ſpiritus poſtulare & clamare, quia poſtulantes & clamantes nos facit: ita *Aug. Ench.* 17. l. 1. *de nupt. cap.* 28. *&* 29. *de nat. & grat.* c. 52. 53. 56. *Hæc*, id eſt, caro & ſpiritus contrariis motibus, ac deſideriis ita pugnant inter ſe in hominibus juſtis, quales vos eſtis; ut propter eam cauſam *non omnia quæ vultis, ea faciatis.* Vultis enim omninò non pati motus carnis, vel ſinè repugnantia quod bonum eſt facere: verùm impediente carne, non facitis, imò nec durante hâc mortalitate facere poteſtis, ùt *Rom.* 7. ℣. 19.

℣. 18. *Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.*

Id eſt, ſi vos Spiritus ſanctus movet, agit, impellit, ſi ſpiritu ambulatis, jam *non eſtis ſub lege* terrente, premente, vindicante, quomodo ſub lege ſunt homines apertè mali, vel qui ſerviliter tantùm ea quæ legis ſunt faciunt. Nam vos per ſpiritum libenter & ſponte facitis ea quæ lex præcipit, ùt 1. *Tim.* 1. ℣. 9.

℣. 19. *Manifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,*

q. d. Ex ipſis fructibus cognoſcetis pravam & malam converſationem. *Opera carnis*, vocat omnia illa ad quæ caro, id eſt, concupiſcentia carnalis homines incitat: cujuſmodi non ſolùm ſunt peccata, quæ propriè carnalia dici ſolent, id eſt, quæ corporis delectatione perficiuntur, & quæ 2. *Cor.* 7. ℣. 1. inquinamenta carnis vocantur, ſed etiam quæ ſpiritualia ex *Aug. l.* 14. *de civit.* c. 2. & 3. Vide 2. *Cor.* c. 12.

℣. 20. *Idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ,*

Servitus pro cultu; quomodo contingat Chriſtianum hoc peccato inquinari diximus 1. *Cor.* 10. ℣. 7. & 14. *Veneficia*, id eſt, Veneni procuratio, ſeu maleficium ex pacto cum dæmonibus inito. Odia, diſcordiæ, *æmulationes* ſunt animi ægritudines indè natæ, ſi eo quod quis concupierit, alius potiatur, ipſe careat. Animoſitates & *diſſenſiones*, Hebræi furorem vocant. *Sectæ* ſive ſeditiones, diſſidia, hæreſes ſanæ doctrinæ adverſantes, 1. *Cor.* 11. ℣. 19. Vocabulum *Sectæ* plerùmque ad religionem refertur; & interdum quidem in bonam partem accipitur: ùt *Act.* c. 24. ℣. 14. & c. 26. ℣. 5.

℣. 21. *Invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.*

Quæcumque hìc enumerata ſunt aliquo modo mortalia, ſed alia ſecundùm genus ſuum; ùt fornicatio; quædam ſecundùm conſummationem, ùt ira, cujus conſummatio eſt in grave nocumentum proximi, in quod proinde ſi conſenſus acceſſerit, peccatum erit mortale, ex *S. Thom.* De quibus operibus carnis *prædico vobis* (inquit) & præmoneo, priuſquam veniat illud tempus retributionis, *ſicut* & *prædixi*, ac præmonui, cùm apud vos eſſem, eos *qui* hæc & ſimilia *agunt*, non accepturos hæreditatem regni Dei.

℣. 22. *Fructus autem Spiritùs eſt: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas,*

℣. 23. *Manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Adversùs hujuſmodi non eſt lex.*

Fructum dixit, & non opus; ut oſtendat Dei opus eſſe auxilio ad fructificandum. *Spiritûs*, id eſt, ipſius Paracleti: aut ſpiritualis, ac probæ vitæ. *Adversùs hujuſmodi non eſt lex.* Siquidem qui talia operatus eſt, non opus habet legis moderationem; eſt enim ſublimior, quàm ſit illa, ait *Oecum.* Vel quia fructuum hujuſmodi opera lex non punit, ùt 1.*Tim.* 1. ℣. 9. Imò qui talia agunt, regnum conſequentur. Quod non ex preſſit, ne videretur hoc eſſe beneficium legis.

℣. 24. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.*

Id eſt, qui verè Chriſtiani ſunt, id agentes quod profitentur, ii carnalem concupiſcentiam ſpiritui adverſantem cum paſſionibus ejus, hoc eſt, cum pravis deſideriis, quæ ab illa excitantur, in ſe mortificaverunt, idque per Spiritum ſanctum. *Rom.* c. 8. ℣. 13. & c. 6. ℣. 12.

℣. 25. *Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus.*

Id eſt, ſi verè in vitam novam per Spiritum regenerati ſumus, mens vitæ reſpondeat; exerceamus opera hujus vitæ ſpiritualis, quæ ſunt bonæ actiones. Vel viam quam monſtrat Spiritus teneamus, nec deſluamus à Spiritu ad opera carnis, vel ad legem Judæorum carnalem; ex *Chryſ.*

℣. 26. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi., invicem provocantes, invicem invidentes.*

Inanis enim gloria eſt origo contentionum & invidiæ. Dicitur *inanis*, quia tantùm in hominum opinione eſt poſita.

CAPUT VI.

Galatas hortatur ut alii aliorum ferant infirmitates: bonis operibus ſe exerceant. Non gloriandum niſi in cruce Domini.

℣. 1. *Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.*

ID eſt, ſi quis opinione præſumitur & exiſtimatur eſſe *in aliquo delicto*, nolite ſtatim illum vel traducere, vel acriter nimis objurgare, *vos qui ſpirituales eſtis*. Vel *Præoccupatus*, juxta Aug. *circumventus in aliquo delicto* dicitur, qui non malitiâ & animo deſtinato, ſed infirmitate, vel imprudentiâ lapſus eſt in peccatum. Nam & hujuſmodi peccatum ſolet delictum appellari, quaſi lapſus hominis ex improviſo impingentis. *Hujuſmodi inſtruite*, Græcè *inſtaurate*, reficite, perficite ex *Hier.* erigite ex Syro. *Spirituales*, doctores, presbyteri, qui lapſum inſtaurare, id eſt, reſtituere priori integritati & Deo reconciliare debeant; vel perfecti, & firmiores. *Spirituales* quos opponit carnalibus animalibus, parvulis in Chri-

ſto & infirmis. *Dicit in Spiritu lenitatis*, ut innuat manſuetudinem eſſe fructum & donum Spiritûs ſancti. *Tenteris*, quaſi dicat: teipſum conſidera quicumque ſpiritualis es, ne & tu in tentationem incidas, tentatione vincaris, in aliquo delicto præoccuperis. Nihil enim ſic ad miſericordiam inclinat, quàm proprii periculi cogitatio, ait *Aug.*

℣. 2. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

Admonet Galatas, ne exactè faciant inquiſitionem adversùs peccata proximi, & ut alii aliorum infirmitates & peccata quodammodo reputent ſua: condolendo, diſſimulando, ferendo, leniter admonendo, fraternè corripiendo, denique hoc agendo, ut corrigatur frater potiùs quàm puniatur: Et ſic *implete*, quiſque portando onus alterius, *legem* quam ipſe Chriſtus tulit. *Joan.* c. 13. ℣. 34. & c. 15. ℣. 17. Hinc conſtat Chriſtum eſſe legiſlatorem, cui obediendum: ex *Eſtio*.

℣. 3. *Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.*

Ob id ſolùm *nihil* eſt, quòd ſibi *aliquid eſſe* videtur. Et reverà omnes nihil ſumus, 2. *Cor.* 12. ℣. 11. Et nihil quod ad pietatem & ſalutem æternam pertineat, poſſumus. *Joan.* 15. ℣. 11. 2. *Cor.* 3. ℣. 5.

℣. 4. *Opus autem ſuum probet unuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantùm gloriam habebit, & non in altero.*

Preſſiùs videtur Apoſtolus hìc urgere eos qui tamquam ipſi puri à crimine facta aliena judicabant: & dicit. *Opus ſuum* id eſt vitam, converſationem ſuam *probet unuſquiſque*; ſive ſcrutetur & examinet, non ſolùm qualia opera, ſed

ſed quâ intentione fecerit. Et ſi quidem opus ſuum undequaque bonum inveniat, in ſemetipſo, ſive in conſcientia & coram Deo *gloriam habebit*, ut non ſit neceſſe gloriam *in altero* quærere. Cui ſenſui conſonat illud 1. *Cor*. c. 4. ℣. 3. *Mihi pro minimo eſt, ut à vobis judicer*. & ℣. 5. *Et tunc laus erit unicuique à Deo*. Hæc explicatio Eſtio præplacet. Alii tamen hoc modo exponunt. Et ſi quidem opus ſuum undequàque bonum inveniat, *in ſemetipſo tantùm* ſinè *alterius* comparatione *gloriam habebit*. Quam pro eo à Deo expectare poterit ſecundùm illud *Rom*. 2. *Gloria & honor & pax omni operanti bonum*. Supplendum autem conformiter ad ſententiam generalem, quæ eſt in verſu ſequenti, videtur ſequens membrum: Si verò opus ſuum minùs rectum vel malum inveniat, *in ſemetipſo ſolo* habebit unde ſibi diſpliceat & pro quo damnationem metuat: *Rom*. 2. ℣. 9. Igitur illud *in altero* juxta hunc modum idem eſt, quod *alterius comparatione*, quaſi dicat Apoſtolus: Nemo reſpicere debet ad alios fortè minùs bonos, ſed ad ſe ipſum: quia dicitur ℣. 5. *Unuſquiſque onus ſuum portabit*. Quòd autem Apoſtolus hic dicat, *in ſemetipſo gloriam habebit*, non eſt ſtatuentis ſeu ordinantis, ſed permittentis ob juſtam rationem. Nam per ſe non oportet gloriari: ſi tamen juſta ratio poſtulet & aliquis *opus ſuum* irreprehenſibile inveniat, de eo gloriari permittit *in ſemetipſo tantùm*; non verò in altero ſeu adversùs alterum: ùt ſtolidè & falsâ jactantiâ Phariſæus fecit *Luc*. 18.; ita *Oecum*.

℣. 5. *Unuſquiſque enim onus ſuum portabit.*

q. d. In judicio *unuſquiſque* ſarcinam ſuam *portabit*, non alienam; id eſt, ſtipendium recipiet peccati ſui, non alieni. Vel *onus* eſt

debitum reddendæ rationis Deo de factis, ùt *Rom.* 14. ℣. 12. & 1. *Cor.* 3. ℣. 8.

℣. 6. *Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui ſe catechizat, in omnibus bonis.*

Id eſt, qui per prædicationem fidei myſteria docetur, *communicet in omnibus bonis*, id eſt, de ſuis facultatibus elargiatur *ei qui ſe catechizat*, id eſt, inſtruit ùt 1. *Cor.* c. 9. ℣. 14. Non tamen hîc de catechumenis ſermo eſt, ſed de fidelibus adhuc rudioribus, quos pleniùs oportebat inſtitui in doctrina Chriſtiana, ùt patet ſuprà cap. 3. ℣. 27. Vel *Communicet* cum ſuo doctore, non in malis operibus quæ facit, ſed in bonis operibus, quæcumque & facit & docet, ùt c. 4. ℣. 18. ſic *Lyran.* Prima expoſitio communior eſt.

℣. 7. *Nolite errare: Deus non irridetur.*

Arguit eos qui falsò paupertatem prætendebant, ne doctores ſuos alerent. *Nolite* (inquit) *errare*; *Deus* novit veſtras facultates *neque irridetur*, neque tanquam deceptus ludibrio haberi poteſt: ita *Gaig.*

℣. 8. *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.*

Id eſt, omnium operum ſuorum quæ fecerit, juſtam retributionem accipiet, conformiter ad explicationem parabolæ *Matth.* 13. ſi carnalia tantùm ſeminat & ſuis concupiſcentiis ſervit, de his *corruptionem metet*; id eſt, mortem æternam reportabit. *Qui autem in ſpiritu ſemina-*

verit, id eſt, ſpiritualia bona fecerit, de his vitam æternam metet, ùt *Rom.* 2. cap. 6. & 8. Igitur in bonis operibus, velut in ſemine, vita æterna continetur contrà hæreticos: ex *Eſtiò.*

℣. 9. *Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes.*

Id eſt, ne deſides ſimus, neque defatigemur in benefaciendo proximis: *tempore enim ſuo*, Græcè proprio, hoc eſt enim cùm venerit conſummatio ſæculi, quæ eſt proprium tempus metendi, tunc metemus, ſi priùs non fuerimus defatigati bene operando: ita *Auguſt. de tract. de cant. novo*, cap. 2.

℣. 10. *Ergò dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.*

Nam in hac vità tempus eſt operandi, in futuro verò non ita. *Ad omnes*, erga Judæos & erga Græcos, potiſſimùm tamen erga *domeſticos fidei*, ſive credentes: Præcipitur ordo charitatis, ſecundùm quem, cæteris paribus, fideles infidelibus ſunt præferendi.

℣. 11. *Videte qualibus litteris ſcripſi vobis meâ manu.*

q.d. Cùm non noſcam rectè pingere, coactus ſum tamen propriâ manu epiſtolam exarare, ut proprium confeſſionis meæ chirographum deponeretur, quòd circumciſionem non prædicem, veluti dicunt calumniatores: ita *Oecum.* Vel videte quàm grandem epiſtolam ſcripſerim *vobis meâ manu.* Quòd non de magnitudine characterum, aut de prolixitate epiſtolæ, ſed de granditate ſenſuum vult intelligi: ex *Hieron.*

℣. 12. *Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantùm ut crucis Chriſti perſecutionem non patiantur.*

Quicumque (inquit) *volunt* apud homines laudari, Judæi ſcilicet, *in carne*, id eſt, per carnalem circumciſionem, quam prædicant, & per veſtram circumciſionem, *hi vos cogunt circumcidi:* non quòd in circumciſione virtutem eſſe putent, neque quòd legis ſint zelatores, ſed tantùm ne circumciſionem deſtruendo perſecutiones patiantur, quas crucem & Evangelium prædicantibus Judæi inferunt. Id eſt, Chriſtiani quidem eſſe volunt, & crucifixum colere, ſed ſinè periculo perſecutionis à judæis fratribus tolerandæ. Nam Judæi plerique non tam perſequebantur fidem Crucifixi, quàm doctrinam legis abrogatæ vel abrogandæ per crucem : ex *Cajet.*

℣. 13. *Neque enim qui circumciduntur, legem cuſtodiunt : ſed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtra glorientur.*

Oſtendit ex inani gloria rem omnem illos peragere. *Non enim qui circumciduntur*, hoc faciunt ut legem ſervent ac cuſtodiant; ſed ut habeant gloriandi occaſionem, ex eo quòd vos circumcidant. Nam hoc eſt quòd ait, *in veſtra carne*: Ut ſint (inquit) præceptores, voſque habeant diſcipulos, & per hoc ad legem ſuam vos traducant, ac proſelytos faciant, ùt *Matth.* 23. ℣. 15.

INDEX
ET SUMMA CAPITUM
In Epiſtolam ad Romanos.

Cap. I. *Ex fide Evangelii juſtitia.* pag. 1
Cap. II. *Judæos ait inexcuſabiles, quòd legem à Deo acceptam in qua gloriabantur, non ſervarent.* 18
Cap. III. *Declarat in quibus Judæi præcellant Gentibus: & omnes eſſe ſub peccato.* 30
Cap. IV. *Non ex circumciſione, non ex operibus, neque ex lege, ſed ex fide expectandam eſſe juſtitiam.* 44
Cap. V. *Recenſet juſtificatorum ornamenta, & magnam Dei erga nos charitatem.* 57
Cap. VI. *Declarat non ideò peccandum, ut gratia abundet.* 67
Cap. VII. *Docet fideles liberos à lege, non vitio legis, quæ bona eſt: ſed peccati, quod per legem cognitum, ejuſdem occaſione magis excrevit.* 75
Cap. VIII. *Et cæteris oſtendit nos ſolutos à lege mortis per Chriſtum, &c.* 88
Cap. IX. *Docet Deus pro ſua voluntate & non ex operibus, alios eligere & alios reprobare.* 111
Cap. X. *Judæi ſuam volentes ſtatuere, juſtitiam Dei non ſunt aſſecuti; quam repellentibus Judæis Gentes receperunt.* 133

CAP. XI. *Prædicit plures ex Judæis poſteà convertendos; & Gentes monet ne adversùs illos glorientur: & finit doctrinam hanc, admirando divinæ ſapientiæ profunditatem.* 143

CAP. XII. *Hortatur ad vitæ novitatem, pluraque ad hanc ſpectantia ordinat & præcipit.* 162

CAP. XIII. *Magiſtratibus ùt Dei miniſtris parendùm eſt: etiam omnibus debita reddi debent. &c.* 171

CAP. XIV. *Nemo proximum judicare poteſt; nec firmi infirmis præbere ſcandalum.* 178

CAP. XV. *Hortatur ad concordiam, Chriſtumque Judæis promiſſum & redditum, & Gentibus ex miſericordia annunciatum declarat.* 192

CAP. XVI. *Monet cavendum ab iis qui ſerunt diſſentiones, variaſque deinde ſubjicit ſalutationes.* 205

IN EPISTOLAM I.

ad Corinthios.

CAP. I. *Damnat illorum ſchiſmata, & humanam ſapientiam cum ſuis profeſſoribus. Et oſtendit Chriſtum ſtultos mundo & ignobiles ad Evangelii prædicationem delegiſſe.* 214

CAP. II. *Chriſtum & hunc crucifixum Corinthiis prædicat cum virtute Dei.* 228

CAP. III. *Non in præceptoribus, ſed in Deo gloriandum. Nec aliud eſſe fundamentum præter Chriſtum.* 239

CAP. IV. *Reprehendit eos qui de acceptis donis gloriabantur, acſi illa à ſeipſis haberent.* 254

CAP. V. *Fornicarium excommunicat, & fugiendum docet.* 266

℣. 14. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*

q. d. Illi gloriam quærunt apud homines ex carne veſtra circumciſa; at verò procul ſit à me, ut in aliqua re glorier, *niſi in cruce*, id eſt, niſi in paſſione & morte *Domini noſtri Jeſu Chriſti*, quam in crucis patibulo ſuſtinuit, & per quam omne bonum ſalutare nobis promeruit & procuravit. Non vetat autem gloriari in virtutibus, laboribus, paſſionibus pro juſtitia ſuſceptis, ùt ipſe ex neceſſitate fecit. 2. *Cor.* 11. & 12. Sed vult, ut intelligat quiſquis aliquid boni habet, id ſe non aliunde habere quàm ex fonte crucis: ex *Hier. & Leo. ſerm. de paſ. Mundum* dicit res mundanas, nempe laudem & gloriam quæ ab hominibus quæritur. Hæc igitur quod ad me attinet mortua ſunt, & ego his mortuus ſum, invicem alieni & adverſi ſumus. *Mundus* me odit, ego illi placere nolo, ùt *Joan.* 15. ℣. 19. ex *Chryſ.*

℣. 15. *In Chriſto enim Jeſu neque circumciſio aliquid valet; neque præputium, ſed nova creatura.*

In Chriſto, id eſt, in negotio ſalutis obtinendæ per Chriſtum: *neque Circumciſio aliquid prodeſt, neque præputium, ſed novà creatura*, id eſt, anima fide ac baptiſmo renovata in novitate litteræ ſecundùm ſpiritum, non in vetuſtate litteræ ſecundùm carnem: *Gaig.*

℣. 16. *Et quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſraël Dei.*

Hanc regulam, id eſt, hunc vivendi modum

ut in novitate vitæ ſecundùm Chriſtum ambulent & in eo ſolo glorientur. Addit *ſuper Iſraël Dei*: ne videatur excludere Judæos. Vel *Iſraël Dei*, id eſt, veros Chriſtianos: neque enim omnes qui ex Iſraël ſunt, hi ſunt Iſraëlitæ, *Rom.* 9.

℣. 17. *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.*

Id eſt, *nemo mihi* moleſtiam adferat & hypocriſeos inſimulet aut levitatis, quòd circumciſionem nunc tollo, nunc prædico: *Ego enim ſtigmata*, id eſt, plagas, verbera & afflictiones ob prædicationem *Domini Jeſu* & circumciſionis ſublationem *in corpore meo porto*: ita *Photus*. Hujuſmodi Stigmata commemorat ipſe *Paulus* in 2. *Cor.* c. 11.

℣. 18. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum ſpiritu veſtro, fratres. Amen.*

Cum ſpiritu veſtro, id eſt, vobiſcum vel cum mente; optat animæ gratiam contingere per Chriſtum morte ſuâ, ut 2. *Theſſ.* Vel ait *cum ſpiritu*, avocans eos à carnalibus: ex *Chryſ.*

FINIS TOMI PRIMI.

J. BENCE.

CAP. VI. *Damnat avaritiam, quòd judiciis contendebant apud infideles & inter ſe.* 275

CAP. VII. *Agit de matrimonio, & viduitate, ac cœlibatu.* 286

CAP. VIII. *Arguit promiſcuè cum fratrum offendiculo idolorum menſâ veſcentes.* 309

CAP. IX. *Quamvis pro libertate ſumptus exigere poſſet, ſe tamen abſtinuiſſe oſtendit, ne quod Evangelio offendiculum daret.* 317

CAP. X. *Ab idololatria, & fornicatione & murmuratione veterum Judæorum exemplo eos deterret, & ab idolorum menſa.* 330

CAP. XI *Viros aperto Capite, mulieres autem operto orare jubet. Arguit quòd Dominicam Cœnam tumultuosè celebrarent.* 349

CAP. XII. *De varietate donorum Spiritûs ſancti, eorumque diſpenſatione.* 373

CAP. XIII. *Charitatem omnibus gratuitis præfert: virtutes & opera charitatis recenſet, ipſamque cæteris, eo quòd ex parte ſint, ceſſantibus permanſuram oſtendit.* 392

CAP. XIV. *Donum linguarum dono prophetiæ poſtponit. Ordinem præſcribit iis donis utendi in Eccleſia, in quâ vult ut mulieres taceant.* 401

CAP. XV. *Reſurrectionis fidem confirmat, ejuſdem ordinem & modum, & varias reſurgentium dotes inſinuat.* 430

CAP. XVI. *Ad eleëmoſynas in ſanctos pauperes conferendas invitat. Adventum ſuum promittit Timotheo & aliis commendatis. Salutationibus Epiſtolam claudit.* 467

IN EPISTOLAM II. ad Corinthios.

CAP. I. *Tam afflictiones quàm ex iis conſolationes cedere in Corinthiorum ſolatium & ſalutem ait, excuſans quòd nondum eos reviſere ſibi licuerit.* 479

CAP. II. *Ne eos triſtitiâ afficeret ſe non veniſſe mandat: & ut pœnitentem fornicarium in Eccleſiæ conſortium recipiant, ſinceritatem ſuam in prædicando verbo commendans.* 493

CAP. III. *Aſſerit ſe commendatitiis epiſtolis non indigere: commendationem ſatis habens ex illorum fide: Excellentiorem Evangelii quàm legis gloriam: & Judæorum cæcitatem aperit.* 504

CAP. IV. *Se non ſuam, ſed Chriſti gloriam in prædicando quærere: ſeque affligi, ſed non dejici, ait, ob ſpem repoſitæ ſibi æternæ gloriæ.* 513

CAP. V. *Optat terreni corporis diſſolutionem ut glorioſè induatur: ſe Chriſto, quem judicem exſpectat, non hominibus placere oſtendit. Cujus ſe legatum aſſerit, ut per eum nos Patri reconciliatos annunciet.* 523

CAP. VI. *Hortatur ne tempus gratiæ negligant: ut in adverſis & proſperis veros ſe Dei miniſtros exhibeant: à jugo cum infidelibus ducendo revocat.* 541

CAP. VII. *Suam erga Corinthios dilectionem oſtendit, & conſolationem quam ex illis accepit. Gaudet de illorum contriſtatione ſecundùm Deum: & de illorum obedientia gloriatur.* 551

CAP. VIII. *Hortatur Macedonum & Chriſti exemplo, ad largiendas eleëmoſynas in uſum Eccleſiæ.* 560

CAP. IX. *Eleëmoſynas ex hilaritate dandas oſtendit, & multum illarum fructum.* 571
CAP. X. *Dignitatem ſuam tuetur & magnificat adversùs pſeudoapoſtolos.* 575
CAP. XI. *In veritate & coactus in Domino commendat ſeipſum, & ſe magnis Apoſtolis confert.* 584
CAP. XII. *Revelationes ſibi factas proponit, coactus id facere.* 601
CAP. XIII. *Minatur Corinthiis niſi reſipuerint, ſe cum animadverſione venturum ad illos, & bene iis precatur.* 614

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

CAP. I. *Increpat Galatas quòd à doctrina per ipſum tradita receſſiſſent: oſtendens ſe Apoſtolum à Deo Patre & Chriſto delegatum, ab aliis Apoſtolis non fuiſſe edoctum.* 622
CAP. II. *Aperit quare cum Apoſtolis Evangelium ſuum contulerit, & Petrum exemplo cogentem Gentes Judaïzare reprehenderit. Non juſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem JESU Chriſti.* 634
CAP. III. *Juſtitia non ex lege, ſed ex promiſſione & fide; lex pedagogus fuit ducens ad Chriſtum.* 650
CAP. IV. *Oſtendit Judæos ad tempus fuiſſe ſub ſervitute donec veniret Chriſtus, & filios novi teſtamenti non eſſe ſub ſervitute.* 665
CAP. V. *Avertit Galatas à circumciſione, & hortatur ad charitatem: Oſtendit quæ ſint opera carnis, qui fructus ſpiritûs.* 681
CAP. VI. *Galatas hortatur ut alii aliorum ferant infirmitates, bonis operibus ſe exerceant. Non gloriandum niſi in cruce Domini.* 691

APPROBATIO.

LEgi Librum cui titulus: *Commentaria in Omnes Beati Pauli Epſtolas* &c. Auctore JOANNE BENCE, nihilque in eo reperi contra fidem aut bonos mores. Dabam Lovanii hâc 15. Julii 1762.

P. JACOBI S. T. L. Ap. Reg. L. C.